BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA

HISTORIA
SACRA ET PROFANA
ARCHIEPISCOPATUS
MECHLINIENSIS;

Sive

DESCRIPTIO ARCHI-DIOECESIS ILLIUS;

Item

URBIUM, OPPIDORUM, PAGORUM, DOMINIORUM, MONASTERIORUM, CASTELLORUMQUE sub eâ,

IN XI. DECANATUS DIVISA.

Cum Toparcharum Inscriptionibus Sepulchralibus,

Ex Monasteriorum Tabulis, Principum Diplomatibus insertis; Et Inspectionibus locorum verificata.

Eruta Studio, ac Opera

CORNELII VAN GESTEL,

Pastoris in Westrem Comitatus Alostani.

TOMUS SECUNDUS.

HAGÆ COMITUM,

Apud CHRISTIANUM VAN LOM, Bibliopolam.

MDCCXXV.

L16897730

HISTORIA
SACRA ET PROFANA
ARCHIEPISCOPATUS
MECHLINIENSIS.

DECANATUS BRUXELLENSIS.

BRUXELLA Belgicarum Urbium nobiliſſima, Principum Brabantiæ Sedes, fontium perennium ſcaturigine amœna, partim in clivo montium, partim in decliviore loco ſita eſt: quam partim *Senna* Fluv. in Hannoniâ ortus irrigat. Veteribus ferè *Broſella*, vel *Bruſella*, aut *Bucſella* ſcribitur. *Meyerus* in Annal. Fland. An. 974. *Bruſolam* nominat. Cingitur duplici muro, quorum poſterior & exterior An. 1361. eſt circumductus, impletumque hoc opus XXIX. annorum ſpatio.

In editiore Urbis parte Palatium ſuum Princeps habet, a *Joanne III.* Brabantiæ Duce circa annum 1300. inchoatum, renovatum perfectumque Anno 1452. a *Philippo* Bono, auctum a *Carolo V.* qui & Capellam vulgo Burgundicam An. 1525. exſtruxit, aut perfecit potius, nam antea *Philippus* ejus parens inceperat, quæ dedicata eſt An. 1553. Denuo renovatum a Sereniſſimo Duce *Alberto*.

Ad latus Palatii eſt *Parcum*, ſeu nemus & labyrinthus ſub An. 1450. á Burgundis Principibus adornatum, & ſalientibus paſſim aquis amœnum, a Senatu coemptis aliquot hæreditatibus muro cinctum, ubi, feris, piſcibus, volatilibus ſervandis; item obambulationi, pilæ ludo, epulis ſua ſunt loca deputata.

Præter hæc ſunt Principum, Comitum, & Magnatum Palatia plurima Superbiſſima, ac Nobilium auguſtæ domus, inter quæ eminent Arſcotanum, Auriacum, Egmondanum, de la Tour & Taſſis, Arembergicum, Ligniacum, Spinolæ, de Berghes, Rubempræum, Bournovillii, Croyacum, Hornanum & plurima alia. Ad extremum civium ædes plurimæ ſplendent amplitudine, ſpecie & commoditate fontium; & licet An. 1695. per Gallos ignitis pilis & bombis permagna, eaqua præcipua hujus Urbis pars in cineres redacta ſit, brevi tamen temporis ſpatio glorioſior & auguſtior exſurrexit, & exſtruxêre domus ſinguli ſumptuoſas admirandæ & nobilis ſtructuræ.

Hortorum hîc non amœnitas ſolum ſed & luxus eſt, & invenies qui flores in exiguo hortulo natos pluribus florenorum millibus æſtiment.

Hic quoque perpetua ſedes fixumque domicilium CANCELLARIÆ BRABANTIÆ (quam a Cancellis *Cancellariam*) idque ab An. 1430. Per *Philippum* Ducem Brabantiæ &c. niſi quod in turbis Belgicis, quando Bruxella partium ſtudiis diſtracta, An. 1580. Lovanii aliquanto tempore hæſerit, ſed poſt ſex annos reverſum eſt. Conſtat hodie uno Cancellario, XV. Conſiliariis, Conſiliario Fiſcali uno, & Procuratori Generali uno, ſex Secretariis, & duobus Graphiariis. Munus Cancellarii eſt ſummæ auctoritatis, & præeminentiæ dignitas; in adminiſtrandâ enim juſtitia eſt velut Gubernator Brabantiæ, & Vicarius quidam Ducalis, quorum ſeriem hic damus.

CANCELLARII BRABANTIÆ.

I. ROGERIUS VAN LEEFDAEL Toparcha de Oirſchot & Parcke, Cancellarius anno 1326. ſub *Joanne III.* Duce Brabantiæ. Ita *P. Divæus.*

II. JOANNES VAN LOEN Toparcha de Agimont, Walhain & Gheet, Cancellarius anno 1372. ſub Duce *Wenceſlao.* Ita *Chartularium* * *Edictorum Brabantiæ* tom. I. fol. 134. ubi ante reliquos Senatores Concilii Brabantiæ nominatur.

* *Placcaeten van Brabant.*

III. PETRUS DE CAMDONCK J. U. D. antea Præſes Senatus Flandriæ, vixit anno 1407. ſub *Antonio* Duce Brabantiæ.

IV. JOANNES DE BONT J. U. D. Canonicus & Cantor Eccleſiæ *S. Gudulæ* Bruxellis, Cathedralis Cameracenſis Canonicus & Theſaurarius & Archidiaconus Famennæ in Eccleſiâ Leodienſi, ſponte ſeſe munere Cancellarii abdicavit. Obiit Bruxellis anno 1453. reſtaurato Hoſpitali XII. Apoſtolorum Bruxellis pro decrepitis ſenibus, quod Patruus ſuus *Guilielmus* fundaverat.

V. JOANNES GISLENIUS natus Sarti in Gallo-Brabantiâ, Canonicus Cathedralis S. Lamberti, & Præpoſitus *S. Dionyſii* Leodii, creatus Cancellarius a *Philippo Bono* Ao. 1429. & obiit 1443.

VI. GOSWINUS DE RYT Antverpienſis, Eques Auratus, Cancellarius ab anno 1445. uſque ad 1462. quo mortuus eſt.

VII. JOANNES L'ORFEBVRE, J. U. D. antea Præſes Concilii Luxemburgenſis ſubitaneâ morte exſtinctus anno 1465.

VIII. JOANNES DE GROOTE Cancellarius ab Ao. 1467. paulo poſt mortuus.

IX. GELDOLPHUS VANDER NOOT Bruxellenſis Eques, Auratus, antea ejuſdem Senatus Conſiliarius, munus Cancellarii propter ſenium depoſuit anno 1481. & obiit 1492. ætatis 78.

X. JOANNES DE LA BOVERIE. Eques, Toparcha de Bierbeeck, Waevere &c. teſte Chriſtinæo creatus eſt Cancellarius Ao. 1481; ſed quo anno mortuus ſit ignoratur.

XI. CAROLUS DE GROOTE, Eques, creatus Cancellarius Ao. 1483. paulo poſt obiit.

XII. JOANNES DE HOUTHEM, Eques Auratus, Toparcha de Houthem, Oirberghe, Viſſenaken, Huldenberghe &c. Cancellarius ab Ao. 1485. uſque ad 1498. quo obiit.

XIII. GODEFRIDUS RAES Toparcha de Pamele & de Leetberghe; juxta Chriſtinæum Cancellarius ab anno 1498. Obiit anno ſequenti.

XIV. GUILIELMUS DE STRADIO, Eques, Toparcha de Maleves, Orbays &c. Cancellarius ab anno 1499. uſque ad 1503. quo obiit.

XV.

XV. Ludovicus Roelants Lovanienſis J. U. D. ejuſdem Univerſitatis, Toparcha de Wilſel, & Putte, Conſiliarius Brabantiæ; juxta Chriſtinæum Cancellarius ab anno 1503. Obiit. 1504.

XVI. Joannes vander Vorst Bruxellenſis, Eques Auratus, Toparcha de Loonbeke creatus, Cancellarius anno 1504. Obiit Ao. 1508. ætatis 48.

XVII. Joannes Sylvagius, vulgo *Sauvage*, Eques Auratus, Toparcha de Eſcambeke, Bierbeke &c. e Præſide Senatus Flandriæ Cancellarius Brabantiæ Ao. 1509. inde magnus Burgundiæ Cancellarius ab Ao. 1514. Obiit in Hiſpaniâ 1518.

XVIII. Hieronymus vander Noot Bruxellenſis, Eques Auratus, Toparcha de Luteaux, Cancellarius ab anno 1514. uſque ad 1531. quo munus ſenio confectus & oculis captus dimiſit. Vitâ defunctus Ao. 1554. ætatis 77.

XIX. Adolphus vander Noot Bruxellenſis, Eques Auratus, Toparcha de Doignies, J. U. D. e Conſiliario Brabantiæ Cancellarius Ao. 1531. hinc ſupremæ Curiæ Clientelaris Brabantiæ Vicarius Anno 1540. Obiit Ao. 1543.

XX. Engelbertus van Daele Mechlinienſis, Toparcha de Wildere & Leefdael, Conſiliarius magni Senatus Mechliniæ. Cancellarius ab Ao. 1540. uſque ad 1556. quo obiit.

XXI. Joannes Schyf Antverpienſis J. U. D. Toparcha de Rhodio S. Agathæ Nethene, Cancellarius ab anno 1557. Legatus *Caroli V.* Cæſaris ad Regem Angliæ Eduardum, & Mariam Reginam ejus Sororem, ſua in Rempublicam merita fœdavit turpiter, dum anno 1577. Bruxellenſium partes (tunc temporis Imperium Regis Catholici detrectantium) ſectatus fuit. Hinc a munere ſuo depoſitus, obiit anno 1581.

Extat in libro * Edictorum Brabantiæ Tom. I. pag. 255. Decretum Regium in Abbatiâ Lintrenſi Ordinis Ciſtercienſis juxta Thenas die 19. Julii 1578. de mandato Joannis Auſtriaci tunc Belgium gubernantis, quo Concilium & Cancellaria Brabantiæ ſtabilitur in Urbe Lovanienſi, revocatâ omni Juriſdictione illius Concilii quod Bruxellæ reſidebat, factaque prohibitione ſub pœna rebellionis, ne quis iſto Concilio adhæreret. * *Placaeten van Brabant.*

Tunc quoque novus Cancellarius inſtitutus fuit *Deſiderius Sexagius*, de quo infra, novique Conſiliarii Martinus Antonius Del-Rio, Philippus Veuſels J. U. D. Guilielmus van Candrieſſche, Gregorius Ayala, & Goſwinus Batzon Fiſci Patronus.

Theodorus a Liesvelt anno 1581. in locum Schyffii Cancellarius creatus eſt a Statibus Patriæ contra Regem rebellantibus, favore Guilielmi Principis Auriaci, a quo Legatus ad Regem Galliæ anno 1584. miſſus fuit. Ita *S. Strada* in Hiſt. Bellorum Belgii *Decade* 2. Lib. 5.

XXII. Desiderius Sexagius, vulgo *t Seſtich*, Eques, e Conſiliario Senatus Brabantiæ Cancellarius ab anno 1578. uſque ad 1585. quo obiit.

XXIII. Nicolaus Damant Eques Auratus, Vice-Comes Bruxellenſis, Toparcha d'Ottignies, Bauwel, Olmen &c. Conſiliarius Status, Præſes Senatus Flandriæ, dein Sanctioris Concilii Senator, inde Supremi Concilii Rerum Belgicarum in Hiſpania Præſes. Obiit Anno 1616.

XXIV. Petrus Peckius, Eques, Toparcha de Bouchout, Borsbeke, & S. Laurentii ten Hove filius Petri J. U. D. in Acad. Lovan. celeberri-

rimi, antea Senator Magni Senatus Mechliniæ, dein Sanctioris Bruxellæ, Legatus inde Archiducum ad Henricum IV. Galliæ Regem, & ad Fœderatos Belgii Ordines. Mortuus 1625.

XXV. Ferdinandus de Boisschot, Eques Ordinis Militaris S. Jacobi, Comes d'Erps, Baro de Saventhem, Nossegem, Sterrebeke &c. Sanctioris Concilii Senator, atque Legatus ad Henricum IV. Galliæ & Jacobum Angliæ Reges. Creatus Cancellarius ab anno 1626. usque ad 1649. quo vitâ excessit.

XXVI. Franciscus de Kinschot Bruxellensis, Eques Ordinis Militaris S. Jacobi, Toparcha de Rivieren, Jette, Ganshoren &c. e Senatore supremi Concilii Belgici in Hispaniâ creatus Cancellarius anno 1653. Obiit anno sequenti ætatis 74.

XXVII. Robertus Asseliers Antverpiensis, Consiliarius Senatus Brabantiæ, inde Supremi Concilii Belgici in Hispania apud Regem Senator, Cancellarius factus anno 1654. Obiit anno 1661. ætatis 85.

XXVIII. Philippus Guilielmus de Steenhuyse Baro de Poederle, Toparcha de Flers, Mourbeke &c. primo Senator Magni Senatus Mechliniæ, dein Sanctioris, & Status, Cancellarius creatus anno 1661. Obiit 1668.

XXIX. Simon de Fierlant, primo Magni Senatus Consiliarius, dein in Hispaniâ Supremi Belgarum & Burgundionum Senator. Obiit anno 1686.

XXX. Joannes Antonius Locquet Bruxellensis, antea Consiliarius Senatus Brabantiæ, dein in Hispania Rerum Belgicarum, exinde Præses Magni Senatus Mechliniæ, fatis concessit anno 1687.

XXXI. Joannes Baptista Christyn Mechlinienſis, Baro de Meerbeeck, primo Magni Senatus Consiliarius, exinde Concilii Sanctioris & Legatus ad Congressum pacis Neomagensem, dein in Hispania Supremi Belgarum apud Regem Senator. Vitâ excessit Anno 1690. Libris editis clarissimus.

XXXII. Guilielmus Philippus, *Marchio d'Herzelles*, primo Consiliarius Senatus Brabantiæ, dein in Supremo Rerum Belgicarum in Hispaniâ, exinde Præses Magni Senatus Mechliniæ. Mortuus Anno 1698.

XXXIII. Guilielmus Albertus de Grispere. Baro de Goyck & Libersart, Consiliarius Magni Senatus, dein in Hispania in supremo Rerum Belgicarum, exinde Præses Magni Senatus Mechliniæ, creatus Cancellarius in fine anni 1698.

In hac Urbe Palatinâ residet Concilium Imperii sive *Status*, vulgo *Conseil d'Estat*, quod Regi, vel ejus per Belgium Vicario Gubernatori ex more assistit, incerto quodam, & pro re nata, ipsiusque adeo Principis voluntate, nunc plurium, nunc paucorum rursus Consiliariorum numero constat. Agitur in eo de pace, bello, & universalis terræ regimine.

Item hîc Concilium Sanctius, sive Privatum, vulgo *le Conseil Privé*, & Financiarum, vulgo *Conseil des Domaines & Finances du Roy*, opum ac Patrimonii Principum curam habens, & Camera Rationum suprema. Item ab anno 1494. hic perseveravit Curia Feudalis Ducatus Brabantiæ.

Inter præcipua Urbis opera eminet *Curia* Senatorum curâ publica & Principis strui cœpta anno 1402. perfecta est anno 1442, cujus turris raræ altitudinis, Gothicæ, sed admirandæ structuræ insignis, & e medio frontispicio

cio exurgens, re & nomine præferens Archangelum Michaelem ſtatuâ verſatili æreâ pedum XV. perfecta anno 1454. mobilis eſt circa axem ferreum, & globo inſiſtens æreo, variorum ventorum ſtationem, converſione ſuâ diſtinguit.

Ex adverſo hujus Curiæ eſt foro publico *Domus Panis* vernaculè *Het Broot-huys*; Pannarium enim initio fuit, in quod panes foris advehi ſoliti reponebantur, conſtructa eſt anno 1518. Ubi tribunalia hodiè exercentur, Venationum, Aucupiorum, Piſcationum, Vectigalium &c. in cujus medio & frontiſpicio conſtituta eſt major Deiparæ Virginis ſtatua ex albo lapide, cui hæc ſequentia auratis characteribus ſubſcripta A PESTE, FAME, ET BELLO LIBERA NOS MARIA PACIS. HIC VOTVM, PACIS PVBLICÆ ELISABETHA CONSECRAVIT. Cætera circum circa ædificia totidem ſive Curiæ, ſive Prætoria videntur.

In hac Urbe eſt ad quinque milliaria ſe extendens *Aquæ Ductus*, incredibili civium & mercatorum commodo defoſſus, cœptus anno 1550. die 16. Junii, & perfectus anno 1561, cujus inventor & ſuſcitator primarius *Joannes Locquengien* Urbis Prætor, directore uſus celeberrimo Architecto *Georgio Rinaldi*, a machinis, conſiliiſque bellicis *Alexandro Farneſio* Parmenſium Duci & perfamiliaris. Hic Aquæductus quinque locis ad ſervandam profunditatem certis retinaculis continetur; ita ut a primo limine quod eſt Bruxellæ uſque ad ultimum quod eſt Willebrocæ 42. pedum differat altitudine. Cæterum cum tota aquæ moles ibi ſuſtineatur, ad ſingulas tamen ſtationes pro navigantium commodo immitti vel emitti, augeri vel minui poteſt. Ferunt impenſas hujus operis 800000. florenorum vix ſuperaſſe, quæ conſtitutis novis vectigalibus eâ omnium promptitudine collecta ſunt, ut nec infimi quidem alicujus ex plebe de novo gravamine, quæſtus toto eo temporis ſpatio exauditus ſit.

Quoad rem ſacram Bruxella VII. habet Curæ animarum deſtinatas Eccleſias. Antiquiſſima fuit illa quæ *S. Gaugerico* ſacra eſt, non ea quæ hodiè Parochialis quæ auguſtior priori; in quâ *Carolus Lotharingus D. Gudulæ* corpus ex Morſellâ non procul Aloſto, ubi negligentius & contemptim habebatur adventum, tranſtulit anno 980. Porro pluribus agetur eâ de re in Decanatu Aloſtaneo cum de præfatâ Morſellâ agemus.

Prima quæ dignitate & antiquitate primaria, eſt quæ *D. Michaeli & S. Gudulæ* ſacra eſt, olim *D. Michaeli* Urbis tutelari ſoli dicata. Hoc templum erectum vel potius auctum, ornatumque a *Balderico* Comite Lovanienſi circa annum 1047. Parochiali jure donatum atque a *Gerardo I.* Cameracenſi Epiſcopo dum *D. Gudulæ* corpus in hunc collem ex æde Gaugericianâ, ipſo *Gerardo* Epiſcopo præſente ſolemni, pompâ tranſtulit & evexit ut ibidem illuſtrius conditum, majori pietate coleretur.

Porro auguſtum *D. Gudulæ* templum quod hodie exſtat, ab *Henrico I.* Brabantiæ Duce cœptum eſt circa annum 1226. ut patet ex ejus Diplomate apud *A. Miræum* Lib. I. Diplom. Belg. Cap. LXXX. infra producendo, & *Henricus III.* Lotharingiæ & Brabantiæ Dux anno 1273. ad *D. Gudulæ* perficiendam fabricam, in ſolidum a novo ædificari cœptam, juſſit ſecundi anni fructus Canonicorum eo verti.

In hac Baſilicâ vetus eſt XII. Canonicorum Collegium unâ cum Decano, Cantore, Scholaſtico & Theſaurario. Decanatum confert Dux Brabantiæ; cæteri eliguntur. Circa fundationem non admodum conveniunt Scriptores & ſcripta; ſunt qui volunt erectum a *Balderico* prædicto anno ſuperius expreſſo; rectius ſentiunt qui *Lambertum Baldericum*

Comitem Lovanienſem Eccleſiam *D. Michaeli* & ſtruxiſſe & Clericos ibi conſtituiſſe aſſeverant, *Henricum* filium ejus a *Lietberto* Eccleſiæ immunitatem obtinuiſſe: *Lambertum* vero *II.* ſive *Baldericum* bona quædam aſſignaſſe anno 1047. & in XII. Clericorum (ſic ævo iſto Canonici vocabantur) uſus diſtribuiſſe; & *J. B. Gramaius* refert *Henricum I.* Ducem noſtrum duas Sacerdotales præbendas addidiſſe, ſed hallucinatur, non enim ſuperaddidit *Henricus* ille *XII.* jam ante fundatis duas alias præbendas Sacerdotales, ſed ex duodenario illo fundatarum antea numero, duæ ſub illo Sacerdotales factæ ſunt, quæque alternis ſcilicet vicibus, divina quotidie in ſummo altari officia celebrarent, has duas præbendas cum vacant ex conceſſione præfati *Henrici* eodem anno, conferuntur a Capitulo. Cæteræ X. Præbendæ conferuntur a Duce Brabantiæ. Diploma ipſius *Balderici* an. 1047. recitat A. Miræus in Cod. piar. Donat. Cap. XLVII. novæ edit: en Diploma.

Quidquid in hoc ſeculo fundamento bonitatis quiſquam ſuperædificat, apud Dominum in æterna remuneratione retribui confidat.

Quapropter ego BALDRICUS Parochialem Eccleſiam BRUCSELLIS conſecrari feci, & in ea corpus ſanctiſſimæ Virginis Chriſti GUDILÆ, quantâ potui honorificentiâ, tranſtuli, quod in Eccleſiola S. GAUGERICI negligenter poſitum inveni, eidemque ſanctiſſimæ Virgini, cum appendiciis omnibus, ipſam Eccleſiam, pro animæ meæ meorumque propinquorum remedio, legaliter coram * omnibus tradidi, addens quinque manſos in *Haſcreold* & in *Wolewe* ſeptem bonaria. Hoc totum quamvis eſſet parum, in clericorum duodecim præbendas dedi, & diviſi, quos ibi ad ſerviendum Deo & ſanctæ Virgini conſtitui, pro animæ meæ heredumque meorum & proheredum redemptione, eiſque in paſcuis, ſilvis, teloneis talem conceſſi libertatem, ut abſque ullius redditu ſervitutis, liberè horum fruerentur utilitate.

* *Hominibus Weymſius.*

His ita conſtitutis, quorum Eccleſia nullo erat juvamine fulta, & undique egens auxilii, ad ejus ædificationem redimiculi præbendarum partem dimiſi, ne ſtatum eleëmoſynæ omnino viderer vendere pretio. Ad hoc etiam conceſſi illis, ut unuſquiſque fratrum ipſorum, poſt vitæ ſuæ ſpatium, per annum integrum, præbendam ſuam, cuicumque ſibi placuerit relinquat, & ſi quis eorum ſupra præbendariam terram ædificavit quidquam, per annum iſtum heres ejus, aut cuicumque ipſe adhuc vivens conceſſerit, ædificationes ejus ſibi auferat.

Si quis autem, quod abſit, heredum aut proheredum meorum, aut etiam extranea quælibet perſona, hanc meam traditionem pervertere, & inde demere tentaverit quidquam, iram Dei, & offenſam *S. Michaëlis* Archangeli, cujus in prædicta Eccleſia veneratur memoria, & prædictæ S. Virginis in perpetuum incurrat, & excommunicationem ſancti Pontificis, quæ in præſentia cunctorum, qui aderant, terribilis reſonabat, nunquam evadat, ſed ſemper hujus vinculi nodo appareat, ante vultum Altiſſimi, conſtrictus.

Actum publicè BRUCSELLÆ anno Dominicæ Incarnationis milleſimo quadrageſimo ſeptimo, Indictione decimâ quintâ, LEONE NONO in Apoſtolica Sede præſidente Pontifice Summo, regnante HENRICO Imperatore tertio, Cameracenſium Pontificalem Cathedram Domino GERARDO obtinente Præſule, qui in his omnibus, cum uxore mea ODA, adjutor mihi exſtitit, tam auxilio quàm conſilio, & præſens eamdem Eccleſiam dedicavit, &, ut præſcriptum eſt, excommunicatione omnia firmavit. Ejus præſentiâ ſunt omnia ibi conſtituta, & teſtibus idoneis firmata.

Signum Domini GERARDI prædicti Epiſcopi.

S. Gerardi Archidiaconi.
S. Emelini.
S. Ingelberti fratris ejus.
S. Sigeri.
S. Folcardi.
S. Ornulfi filii ejus.
S. Gerardi.
S. Lietberti.
S. Azonis Presbyteri.
S. Folberti Presbyteri.
S. Oſtonis.
S. Joannis.
S. Faſtradi.
S. Joannis.

S. Step-

S. Stepponis.
S. Siberti.
S. Thiedonis Decani.
S. Heimezonis.
S. Hartfridi Presbyteri.
S. Adelardi.
S. Radulfi.
S. Emmonis.

Præfatus *Henricus I.* Lotharingiæ & Brabantiæ Dux Anno 1226. X. novos Canonicos veteribus adjecit & dotavit quamvis non ita opulenter, quorum duas præbendas confert Capitulum, ſeptem alias conferunt Canonici ſecundum turnum, reſtantem vero alternis vicibus conferunt Illuſtriſſimus D. Cancellarius Brabantiæ & Canonicus Turnarius. Diploma hujus fundationis profert *A. Miræus* in Diplom. Belg. Lib. I. Cap. LXXX. novæ edit. quod ſic ſe habet.

Henricus Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, tam præſentibus quàm futuris in perpetuum. Nos conſiderantes quod ait Apoſtolus, qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, metet vitam æternam; ſeminare proponimus in terris, undè Domino reddente multiplicatum fructum in cælis colligere debeamus.

Cum igitur in Eccleſia Bruxellenſi à Prædeceſſoribus noſtris pauci ſint Canonici inſtituti, à quibus pro modulo ſuæ paucitatis Deo laudabiliter ſerviatur, nos cupientes Cultum Divinum ampliare, & Canonicorum numerum augmentare, pro ſalute noſtra, & pro ſalute animarum Prædeceſſorum & Succeſſorum noſtrorum, nec non & uxorum noſtrarum; Mathildis ſcilicet & Mariæ, liberaliter & abſolutè memoratæ Eccleſiæ Bruxellenſi, quæ ad voluntatem noſtram & admonitionem de novo reædificari incipit, in honorem Beatiſſimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, concedimus & donamus allodium noſtrum in * *Didenghem*, quod comparavimus à nobili Viro Ægidio de Wangha, & duas partes totius decimæ de * *Holpa*, tam in cultis quàm in excolendis, cum Eccleſia ejuſdem villæ, nec non & quatuor manſos terræ ibidem.

* *Dighem.*
* *Hulpen.*

Hæc autem concedimus, ad uſum decem Canonicorum, de novo inſtituendorum in Eccleſia memorata, qui à Decano & Capitulo debent eligi, & nobis & Succeſſoribus præſentari: nec aliquid de prædictis bonis percipient, ſi non faciant reſidentiam perſonalem, & ſi admoniti à Decano & Capitulo, ad Sacros Ordines non ſint promoti, niſi Decano & Capitulo videatur aliud pro utilitate Eccleſiæ faciendum.

Actum anno Gratiæ milleſimo ducenteſimo viceſimo ſexto, menſe Auguſto. 1226.

Anno 1605. Sereniſſimi Belgarum Principes *Albertus & Iſabellâ* ſuâ munificentiâ non parum augmentarunt ac dotarunt majus Canonicorum Collegium, luculentâ dote illi aſſignatâ, ſcilicet centum ferè jugeribus terræ, quæ Scaldis propè Valencenas Hannoniæ Urbem fœcundat, quâ dote fundarunt miſſas quatuor dietim celebrandas, per totidem majores ejuſdem Eccleſiæ Canonicos, cum Anniverſariis duobus pro animarum ſuarum refrigerio faciendis. Diploma refertur in Donat. Belg. *A. Miræi* Lib. II. Cap. CXLII. novæ edit. hujus tenoris.

Additum ac tranſlatum ex Diplomate Gallico, quod habetur in Baſilica Bruxellenſi.

Albertus & Isabella Clara Eugenia Hiſpaniarum Infans, Dei gratiâ Archiduces Auſtriæ, &c. omnibus has præſentes viſuris ſalutem.

Cum ex tempore Læti noſtri Introitûs & ſucceſſionis in Ditionibus noſtris citerioribus Germaniæ Inferioris ſingulariter Nobis commendatio fuerit accepta, ut in Dei honorem & exaltationem noſtræ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ Fidei, videremus proficere Divinum Officium in Eccleſiis Metropolitanis, Cathedralibus & Collegiatis dictarum noſtrarum Ditionum tum & in Eccleſia Collegiata S. Gudulæ in hac Urbe noſtra Bruxellenſi, quæ ab antiquo ædificata fuit à Prædeceſſoribus noſtris Brabantiæ Ducibus, a quibus in ea fundati fuerunt duodecim Canonici cum Decano ſuo quamvis modicè dotati, quibus incumbit cura Officii Divini quod peragitur quotidie in dicta Eccleſia, cupientes ex parte noſtra dictum Officium proficere & auge-

re dotem præfatorum Decani & Canonicorum, atque etiam procurare ut oretur pro ſalute Perſonarum noſtrarum, felicitate & bono ſucceſſu rerum noſtrarum, pro ſolatio animarum Prædeceſſorum noſtrorum, atque ut Miſſæ poſt deceſſum noſtrum, aut aliàs ſecundùm intentionem noſtram fiant:

Quibus conformiter tractari curavimus cum Venerabilibus nobis caris & dilectis præfatis Decano & Canonicis dictæ Eccleſiæ, eò uſque ut contenti fuerint ſuſcipere onus celebrandi in illa quatuor Miſſas privatas quotidie & duo anniverſaria annuè, ſemper atque in petpetuum in forma & modo prout ſequitur:

Videlicet præfati Decanus & Canonici obſtringent ſe pro ſe ipſis & ſuis ſucceſſoribus ad celebrandum perſonaliter per ſe ipſos quotidie ſemper & in perpetuum in dicta Eccleſia quatuor Miſſas privatas dividendo æqualiter dictum onus inter ſe, adeo ut quatuor ex ipſis quâcumque hebdomadâ eâ obligatione fungantur, habeatque dictus Decanus qui modo eſt, & qui ſucceſſuri ſunt, eoque abſente aut non reſidente, primus Canonicorum poſt ipſum curam principalem & ſpecialem ut id accuratè & exactè mandetur executioni tam reſpectu quatuor prædictarum Miſſarum, quàm duorum Anniverſariorum.

Eapropter, tum & quia præfata dignitas modicè ſatis eſt dotata pro ſe, jure prærogativæ ex reditibus & fructibus bonorum ipſis aſſignandorum præcipiet florenos centum annuè cum reſidebit, & quinquaginta cum non reſidebit; & quinquaginta florenos reſtantes prædictus primus Canonicorum, & quod ſupererit æqualibus portionibus dividetur inter præfatos Decanum exiſtentem Canonicum & Canonicos Confratres ejus, deductis primùm & ante omnia ſumptibus & impenſis faciendis pro dictis Miſſis & duobus Anniverſariis, ut infra dicetur.

In initio verò cujuſcumque anni fiet dicta repartitio, quomodo in ejus decurſu hebdomadatim præfatæ Miſſæ celebrandæ ſint, cujus repartitionis quilibet dictorum Canonicorum particularem habebit declarationem ejus quod ſibi facere incumbet, & præfatus Decanus generalem aliquam, ut ex ea poſſit diſcernere an quiſque eorum adimpleat ordine deſignato Miſſas ſibi injunctas: qui verò inter dictos Canonicos non erunt Presbyteri, neque partem, neque portionem bonorum hujus fundationis habebunt, quanto tempore Presbyteri non erunt, ſed ipſorum portio ſimul & Miſſæ oneris ipſorum æqualiter diſtribuentur inter alios Canonicos Presbyteros; neque etiam Fundationis participes erunt Canonici foranei, aut abſentes, niſi prædicti abſentes ſubſtituant aliquem ex numero præfatorum Canonicorum ſuis expenſis.

Quod ſi contingat aliquem dictorum Canonicorum reſidentium, morbo, invalitudine, aut alio impedimento legitimo detineri, ut non poſſet obligationi dictarum Miſſarum per ſe ipſum ſatisfacere, poterit curare, ut id fiat per alterum; modò faciat, ut dictus morbus aut impedimentum præfato Decano innoteſcat, tum ſimul, cui Sacerdoti aut Religioſo curam iſtam ſeu dederit, ſeu dare deſideret, idque ideo, ut ipſi pro quacumque Miſſa celebranda ex reditibus dictorum bonorum dentur in eleëmoſynam decem aſſes, qui detrahentur de competenti portione dicti Canonici aut Canonicorum infirmorum & impeditorum.

Quod ſi aliquis præfatorum Canonicorum contentus fuerit obligationi alterius ſatisfacere, præferetur quibuſvis aliis Sacerdotibus, vel Religioſis; atque tunc inter ipſos curabit dictus Decanus fieri diſtributionem quantum maximè poterit æqualem.

Si contingat, dictum Capitulum non adimplere omnia quæ ſupra dicta ſunt, ſuâque culpâ in defectu perſiſtere, ſemelque aut bis ex parte noſtra aut dictorum Succeſſorum noſtrorum commoniti, non emendaverint neque ſatisfecerint, liberum licitumque erit Nobis ſeu Succeſſoribus noſtris Ducibus & Duciſſis Brabantiæ omni & quovis tempore dicta bona recipere, eaque transferre, atque cuipiam Eccleſiæ aut Monaſterio donare, ut per eorum ſeu Clerum ſeu Religioſos, dictæ Miſſæ & Anniverſaria celebrentur, prout cum ipſis conventum fuerit.

Atque ut tanto firmiùs celebratio dictarum Miſſarum & Anniverſariorum conſtituatur, ſi quis Canonicus in ſua parte deficiat, per culpam ſuam aut negligentiam, à præfato Decano, aut in ejus abſentia â primo poſt ipſum mulctabitur viginti aſſibus in ſingulas Miſſas neglectas, qui diſtribuentur inter alios Canonicos & Presbyteros, qui defectui ſupplebunt.

Si autem in dicta Eccleſia tam pauci forent Canonici reſidentes, ut per ipſos ſatisfieri nequiret celebrationi antedictarum quatuor Miſſarum privatarum indies, eo caſu tantummodo obſtricti erunt eas dumtaxat celebrare quas commodè poterunt, partien-

tientes Missas restantes inter alios Presbyteros qui equidem illas in Ecclesia præfata, & non alibi, celebrare debebunt, quibus etiam distribuetur integra portio emolumenti, quæ alias pertineret ad Canonicos Missarum dictarum celebrationi obstrictos.

Celebrabuntur verò dictæ Missæ durante nostrâ amborum vitâ de Sancto, aut de Festivitate quæ occuret, pro salute personarum nostrarum, felicitate & bono successu rerum nostrarum, & solatio animarum Prædecessorum nostrorum. At verò quacumque feriâ quintâ, si non incidat in eam diem festum aliquod solemne, dictæ quatuor Missæ privatæ celebrabuntur de Sancto & Venerabili Sacramento.

Et post obitum nostrum aut alterius nostrûm, celebrabuntur omnes pro solatio animarum nostrarum & dictorum Prædecessorum nostrorum & felicitate Successorum nostrorum Ducum & Ducissarum Brabantiæ, Dominorum & Dominarum hujus Belgii, & in diebus Paschatis, Pentecostes, Omnium Sanctorum, Nativitatis, Dominicis, Festis B. Virginis & Apostolorum, S. Michaëlis, S. Gudulæ aliisque similibus, celebrabuntur omnes quatuor secundùm diem & festivitatem occurrentem, & à quovis celebrantium in fine cujusvis dictarum Missarum legetur Responsorium de Defunctis, durante nostrâ amborum vitâ pro animabus Prædecessorum nostrorum, & post obitum nostrum pro solatio nostrarum, prout dictum est.

Celebrabuntur autem dictæ quatuor Missæ super Altare Sacelli S. Sacramenti miraculosi in præfata Ecclesia, & non alibi. Ad quod inchoandum, curabimus submini-strari nostris expensis Casulam, Albam, Cortinas, Calicem, atque omnia ulteriùs ad dictum Officium requisita, secundùm specificationem quæ desuper fiet. Eâ conditione ut præfati Decanus & Canonici obstringant se ad illa in perpetuum sarta conservanda, & cum opus fuerit, renovanda suis impensis & sumtibus, tam honorificè quàm nostro & Successorum nostrorum honori convenit, submini-strando jam nunc & deinceps perpetuò insuper luminaria panem atque vinum.

Quæ Casula, Alba, Cortinæ & alia ornamenta custodiri debebunt in Sacello, quod ædificatum & ponè majus Altare Chori S. Sacramenti miraculosi in dicta Ecclesia, eritque antedictum Sacellum usui præfatorum Decani & Canonicorum, ut inibi induantur tanquam in Sacrario, committentque ipsi suis expensis ædituum, seu ministrum aliquem, qui custodiat & reponat dicta ornamenta.

Insuper etiam obstringent se præfati Decanus & Canonici pro se suisque Successoribus, ad faciendum & celebrandum duo Anniversaria quotannis in perpetuum in magno Choro supradictæ Ecclesiæ pro animabus nostrorum Prædecessorum, donec vixerimus; quorum alterum fiet sub Octavam omnium Sanctorum die minùs impeditâ Officio, & alterum mense Februario; & post obitum alterius nostrûm, fiet unum dictorum Anniversariorum pro illo quotannis ipsâ die obitûs sui, eodemque modo fiet, cum Deus ex hoc modo evocaverit alterum, nisi propter Dominicam aut Festum solemnius fieri non posset; quo casu transferentur in diem proximiorem & minùs impeditam.

Obstringetur dictum Capitulum tempestivè significare & notam facere diem quâ unumquodque Anniversariorum celebrabitur, Nobis & Ducibus & Duciffis Brabantiæ Successoribus nostris, aut eorum pro isto tempore Provinciarum Præfectis generalibus; debebuntque insuper curare ut prædicta dies populo annuntietur Dominicâ præcedente in concione prima, ut qui piè affecti fuerint Officio possint interesse.

Jubebunt etiam pro quolibet Anniversario pulsari quater maximas campanas, primùm eo tempore quo inchoabuntur Virgiliæ, secundò eâdem die sub Vesperam, horâ in hujusmodi casibus consuetâ, tertiò die sequenti horâ sextâ matutinâ, & quartùm dum inchoabitur Sacrum, quod immediatè subsequetur Missam solemnem ordinariam isti diei propriam.

Duorumque horum tempore Officiorum obstringentur dicti Decanus & Canonici curare, ut circumvestiatur magnus Chorus præfatæ Ecclesiæ panno, aut crispo laneo nigro suis sumtibus & expensis, atque ut tumulus dictorum Ducum & Ducissarum tegatur umbellâ serici heteromalli, qualem Nos ad eum finem fieri jubebimus pretiosè ornatam talibus insignibus & inscriptionibus, prout convenire judicaverimus, quam umbellam ipsi sartam debebunt conservare, & cum opus fuerit eâdem formâ renovare.

Circum tumulum debebunt ardere viginti quatuor tædæ toto dictorum duorum

Officiorum tempore, ſex magnæ candelæ in Altari ſummo, & aliæ quatuor in Choro, ſuis quatuor æneis candelabris impoſitæ, ſumptibus & expenſis præfatorum Decani & Canonicorum.

Dictus Decanus celebrabit Officium ſupradictarum Vigiliarum & Miſſarum, eoque abſente aut extra hanc urbem impedito dignior Canonicorum poſt Cantorem; qui Cantor cum ſeniore Canonico præſidebunt Choro, induti pluvialibus nigris, ceteris ad latera aſſiſtentibus in habitu Chori.

Fientque dictæ Vigiliæ cum tribus Lectionibus ſecundùm ritum Romanum, cum Laudibus, poſt quas dicetur abſolutio ſupra dictum tumulum per præfatum digniorem Canonicorum. Prima ſupradictarum Lectionum cantabitur Muſicè à Cantoribus, ſecunda cantu Gregoriano per aliquem Canonicum minorem aut Sacellanum, & ſimiliter tertia per digniorem dictorum Canonicorum, *Benedictus* & *Magnificat* * Muſicâ rudiore, Abſolutio ſupra tumulum muſicè, prout & Miſſa, eâque finitâ, Abſolutio ſupra dictum tumulum.

* *Faux Bourdon.*

Ipſo die quo celebrabitur Miſſa dicti Anniverſarii, diſtribuent centum panes, ſingulos valoris trium aſſium pauperibus totidem, duodecim deſignandis à præfatis Decano exiſtente Canonico per plumbeta aut aliam teſſeram, & ſinguli præfatorum Canonicorum eligent ſingulos octo, modò Presbyteri fuerint: ſi verò non reſideant tam multi, reſidentes repartientur inter ſe plumbeta abſentium & deligent pauperes quos voluerint.

Præfatus Decanus, aut qui eo abſente peraget Officium, habebit pro ſua præſentia in Officio ſingulorum prædictorum dierum tres florenos; Presbyter qui ei aſſiſtet pro quolibet Officio pro ſua præſentia & aſſiſtentia decem aſſes, Diaconus & Subdiaconus pro miniſterio in Miſſa & præſentia ſua ſinguli decem aſſes, Cantor ejuſque collega pro ſua præſentia & præſidentia ſinguli pro quolibet Officio unum florenum, ipſorumque duo Vicarii pro aſſiſtentia & præſentia in duobus Officiis ſinguli unum florenum; Canonici majores in quolibet Officio decem aſſes, Magiſtri Cæremoniarum & Accenſus virgatus totidem; Canoniei minores & Sacellani ſinguli quinque aſſes pro ſingulis præſentiis.

Canonici qui eodem, die, quo dicta Anniverſaria fient, Miſſam celebraverint, Collectamque pro Defunctis dixerint, habebunt aſſes quinque, Canonici minores & Sacellani tres. Atque, hæc omnia mediante aſſignatione ſufficiente bonorum & fundorum terræ, infra exprimendorum.

Ad quæ omnia & ſingula ſupradicta præſtandum & ſolvendum, præfati Decanus & Canonici obſtringent ſe ipſos & ſuos Succeſſores in perpetuum, ſicut dictum eſt, tradentque Litteras ſuas reciprocas obligationis ſuſceptæ in forma debita & luculenta, ita ut neque unquam neque in futurum poſſint ſe deſuper excuſare; niſi fieret ut reditus dictorum bonorum & poſſeſſionum ipſis aſſignatarum pro dicta Fundatione, ſive bello ſive alio caſu ſine ipſorum culpa diminueretur ultra unam tertiam modernorum proventuum. Quo caſu non erunt obligati aliter quàm ſecundum proportionem fructuum quos inde recipient, uſque dum prædicta bona referant antecedentes proventus, poſtquam id Nobis aut Succeſſoribus noſtris indicaverint.

Notum facimus quod Nos, his de quibus ſupra conſideratis, cupientes ad effectum deducere in perpetuum Fundationem dictarum quatuor Miſſarum privatarum, duorum Anniverſariorum, eleëmoſynæ, diſtributionum, & omnium quæ inde dependent, poſt maturam conſilii deliberationem, ex judicio Nobis planè dilectorum & fidelium Præſidum, Theſaurarii generalis & Delegatorum ad noſtra Dominia & Financias, ex noſtra certa ſcientia, poteſtate & auctoritate, pro Nobis, heredibus noſtris & Succeſſoribus, Ducibus & Duciſſis Brabantiæ, Comitibus & Comitiſſis Hannoniæ, Dominis & Dominabus Valencenarum, donaverimus, ceſſerimus & tranſtulerimus, donemus, cedamus & transferamus propter Deum in eleëmoſynam, & ad effectum de quo ſupra, præfatis Decano & Canonicis dictæ Eccleſiæ S. Gudulæ in Urbe noſtra ſupradicta, amodo & Succeſſoribus eorum nonaginta quatuor jugera, tres quartas aut circiter pratorum, quæ nominantur *les-Prets-le-Comte*, quodlibet jugerum quinque * mencaldorum, ad Nos ſpectantia ſub Queſtura Dominii noſtræ † Aulæ in dictis Valencenis, libera à juriſdictione Toparchiarum vicinarum, & ſita intra territoria *Domraingy*, *Vy* & *Fraſne*, ſimul cum iis comprehenſo prato, quod vocatur ‡ *Apparitoris*; quod continet jugerum unum. Quæque prata modò ⸸ per auctiones publicas locata ſunt diverſis perſonis in ſexdecim portionibus, pro ſumma mille quin-

* *Mencalds.*
† *De la Sale.*
‡ *Du Sergeant.*
⸸ *Par recours publics.*

quingentarum & octo librarum & quindecim assium annuè, librâ æstimatâ quadraginta grossis Monetæ nostræ Flandricæ, quæque locatio finietur ultimâ Septembris millesimo sexcentesimo septimo;

Ut præfati Decanus & Canonici eorumque Successores illa teneant, iis gaudeant, illaque possideant semper atque in perpetuum libera & exempta ab omnibus censibus & reditibus, * vectigalibus nobilibus, & cum eadem ipsa libertate & exemptione, quâ Nos ipsi usque ad præsens iis gavisi sumus, illaque possedimus. * *Charges Foncières.*

Sub onere & conditione, ut satisfaciant ipsique adimpleant bene ac debitè celebrationem dictarum quatuor Missarum quotidie, duorum anniversariorum annuè, distributionem, luminaria, subministrationem & conservationem ornamentorum & præstationes, nihil omnino excepto, ut gaudeant dictis pratis à die datæ harum & deinceps ad ratam redituum.

Cum autem & inceperint facere & celebrare dictas quatuor Missas privatas, ad eum effectum separavimus & distraximus, separamus & distrahimus à nostro Dominio in dictis Valencenis prædicta prata, per has memoratas præsentes; idque omnino, non obstantibus nostris Ordinationibus & Edictis, illisque Prædecessorum nostrorum in contrarium, statuentibus ut nullis Ecclesiasticis, Abbatibus, Prælatis, Capitulis aut aliis à * caducaria lege immunibus liceat novas facere acquisitiones, aut jure hereditario obtinere fundos, reditus, census, aut alia bona. Quibus Ordinationibus & Edictis, respectu hujus modò institutæ Fundationis, cessionis & transcriptionis, per hasce derogavimus & derogamus, atque ex ampliore nostra gratia prædicta prata * jure caduci liberavimus & † liberamus, atque hæc universim sub oneribus & conditionibus prædictis. * *mortes mains.* * *avons admorti.* † *admortissons.*

Idque eâ conditione, ut præfati, Capitulum Decanus & Canonici tradant Litteras suas promissionis, obligationis & reciprocas in bona & rata forma pro se, suisque Successoribus, continentes planè dilucidè atque amplè, quod per nonaginta quatuor jugera tres quartas pratorum, agnoscant sibi abundè & ad beneplacitum suum provisum, dotatum & factum esse satis, idque ad manus Præsidis & Senatorum Cameræ Rationum in Brabantia, ut ibidem pro nostra securitate asserventur, ad eas recursus habeatur cum opus fuerit.

Quæ omnia supra dicta & singula eorum, Nos pro Nobis ipsius, heredibus nostris & Successoribus Ducibus & Ducissis Brabantiæ, Comitibus & Comitissis Hannoniæ, Dominis & Dominabus Valencenarum promisimus & promittimus per hasce, fide Principis præstare & præstari facere, fovere & observare; ita ut nec inferamus nec inferri patiamur à quoquam, quisquis fuerit directè seu indirectè quocumque modo, turbationem, aut impedimentum ullum in contrarium.

Et propter ampliorum ipsorum securitatem & Successorum eorum, renuntiavimus & renuntiamus per hasce præsentes omnibus juribus Regiis, aliisque quæ Principes possent exigere, omnibusque quæ quis posset aut vellet allegare ad impugnandum aut irritam faciendum modò institutam Fundationem, Donationem, Cessionem & Transcriptionem, quin imò & juri quo asseritur, generalem renuntiationem non subsistere, nisi peculiaris præcesserit. Atque ubi dictus noster Quæstor Valencenarum has dictas præsentes intulerit, *Vidimus* aut earum Copiam authenticam, volumus & statuimus ut memorata nonaginta quatuor jugera tres quartæ pratorum eradantur ex Quæstura computuum ejus, sintque tam ipse quàm ejus Successores in munere in posterum exonerati, ut non desuper ulterius rationem reddant quocumque modo.

Quapropter mandamus, Nobis admodùm caris & fidelibus Primis Præsidibus & personis nostrorum Sanctioris & Magni Conciliorum, Concilio Montensi, prædictis nostrarum Financiarum Præsidi & personis nostrarum Rationum Insulis, nostro Præposito-Comiti in dictis Valencenis, dicto nostro Quæstori ibidem præsenti & futuro, omnibusque aliis nostris Justitiæ & Officiorum administris & subditis ad quos hoc pertinebit, ut hâc nostrâ præsente Cessione & Transcriptione iis conditionibus, secundùm & juxta modum, prout dictum est, ipsi & eorum singuli faciant, patiantur & sinant præfatos Decanum & Canonicos memorati Capituli S. Gudulæ in hac Urbe nostra Bruxellensi, ipsorumque Successores integrè, pacificè & perpetuò frui & uti, neque ipsis faciant, inferant aut moveant turbationem ullam aut impedimentum in contrarium, procedentibus dictis Financiarum nostrarum, atque iis qui rationum nostrarum Insulis curatores sunt ad verificationem & inscriptionem harum dictarum præsentium, juxta formam & tenorem suum absque ulla contradictione aut difficultate. *Prevoste-Comte.*

Quibus Curatoribus Rationum noſtrarum Inſulis præfati Decanus & Canonici pariter tradere debebunt Copiam authenticam Litterarum ſuarum obligationis, promiſſionum atque reciprocarum, eo non obſtante quod per Edicta anteriùs facta ſuper adminiſtratione noſtrorum Dominiorum & Financiarum inter alia diſertè prohibitum ſit, ne dicta noſtra Dominia vendantur, onerentur, oppignorentur aut alienentur, quod nullatenus volumus in ipſorum præjudicium cedere, verùm ab eo ipſos exemimus & eximimus per haſce dictas præſentes, perque illas præfatos Financiarum & Rationum noſtrarum, alioſque omnes noſtros Officiorum adminiſtros jurejurandi obligatione per ipſos reſpectivè præſtiti quoad conſervationem & obſervationem prædictorum Edictorum abſolvimus, illis attamen quoad cetera perſtantibus in ſuo robore & vigore, non obſtantibus etiam quibuſcumque aliis noſtris Edictis, reſtrictionibus, mandatis aut inhibitionibus huic contrariis. Quoniam ita Nobis placet.

Quod ut firmum ſit & in perpetuum ſtabile, dictas præſentes Sigillo noſtro juſſimus muniri, jure noſtro in aliis ſalvo atque alieno in omnibus.

1605. Datum in Urbe noſtra Bruxellenſi, menſe Martio anno gratiæ milleſimo ſexcenteſimo quinto. Inferiùs ſcriptum eſt: De mandato Archiducum,

Marchio de Havre Eques * Ordinis,
Baro de Haveskercke Toparcha de Vendegies † Præſides,
Dominus Johannes de Drenckwairt, Eques Toparcha de Dormale, Theſaurarius generalis,
Philippus Stercke,
Joannes Dennetieres, * Curatores Financiarum, & alii præſentes.
Signatum Verreyken.

* *Id eſt Aurei Velleris.*
† *Chiefs.*
* *Commis.*

Anno 1606. die 7. Aprilis iidem Principes ad augendum Dei cultum, tria in hac eâdem æde fundarunt Sacra quotidiana, unum item Anniverſarium in Februario XXII. die celebrandum pro animâ *Erneſti* Archiducis Auſtriæ, qui *Alberti* frater ſumma cum laude *Philippi II.* Regis Catholici nomine paucis antea annis Belgium, Burgundiamque gubernarat.

Erecti vel nominati ſunt ex hoc Canonicorum Collegio ad Epiſcopalem dignitatem ſequentes.

Veſontinam.	Franciscus Busleiden.	Anno 1502.
Cameracenſem.	Maximilianus a Berghes.	1559.
Mechlinienſem.	Joannes Hauchinus.	1583.
Tornacenſem.	Maximilianus Morillon.	1583.
Buſcoducenſem.	Laurentius Metzius.	1570.
Gandenſem.	Petrus Damantius.	1590.
Antverpienſem.	Joannes Miræus.	1604.
Iprenſem.	Martinus Prats.	1665.
Ruræmondenſem.	Lancelottus de Gottignies.	1672.
Antverpienſem.	Joannes Ferdinandus de Beughem.	1679.
Ad Antverpienſem nominatus eſt	Philippus Nigri.	1561.
Ad Audomarenſem.	Jacobus Pamelius.	1586.

Habuit & Epiſcopum Trapezuntinum.

Damus hic exactam ſeriem Decanorum hujus Capituli; prout a Viro primario hujus Capituli ex archivis ejus accepimus.

DE-

DECANI ECCLESIÆ COLLEGIATÆ S. GUDULÆ.

I. D. Taydo. anno 1047.
II. Marcus.
III. Petrus.
IV. Arnoldus.
V. Michael notus *S. Bonifacio.*
VI. Albertus.
VII. Petrus de Burgundia. anno 1132. qui fuit Archidiaconus Cameracensis.
VIII. Balduinus. anno 1134. & 1143.
IX. Godeschalcus. 1174.
X. Bonifacius. 1216.
XI. Godefridus. 1222.
XII. Amelricus. 1257.
XIII. Mauritius. 1267.
XIV. Joannes Pipenpoy. 1273.
XV. Franco Pyleyser.
XVI. Henricus Prochian. Fundator Capellaniarum *S. Jacobi & S. Catharinæ* anno 1259.
XVII. Joannes vander Hellen. Fundator Capellaniæ *S. Laurentii* 1290.
XVIII. Henricus Cocke.
XIX. Nicolaus Clopper.
XX. Henricus Slabbaert. qui & fuit Canonicus Teneramundæ, ibique fundavit anno 1343. Domum S. Spiritus obiit anno 1347.
XXI. Joannes Serclas Anno 1357. teste *C. Butkens* in Prob. Troph. Brab. pag. 195. Anno 1378. fuit evectus ad Episcopatum Cameracensem obiit Ao. 1389.
XXII. Joannes Stoops.
XXIII. Joannes Columbanus. antea Pastor & Canonicus *S. Gaugerici* in Haeltert propè Alostum obiit Anno 1402.
XXIV. Laurentius de Bouchout. anno 1410. fuit quoque Canonicus Anderlechti.
XXV. Giselbertus de Monte Magister in Artibus & Medicinæ Doctor; Decanus anno 1416. item fuit Canonicus Anderlechtensis.
XXVI. Jacobus vander Horst. Legum Doctor, recensetur anno 1429. inter primos Professores Academiæ Lovanienſis.
XXVII. Arnoldus de Reysenaelde, Bredanus Decretorum Doctor, inter primos quoque Jurium Professores in Academiâ Lovanienſi enumeratur, vivebat anno 1440.
XXVIII. Martinus de Steenberghe Secretarius ac Graphiarius Ordinis Aurei Velleris, cui officio renuntiavit anno 1468. Decanatum vero Stæ. Gudulæ dimisisse videtur ab anno 1446. Obiit plenus dierum die 9. Octobris 1491.
XXIX. Joannes Coremans anno 1448.
XXX. Mathæus de Brakel Consiliarius & Eleemosynarius Ducis Burgundiæ fuit Decanus anno 1455. recensetur quoque inter Præpositos

tos ad Sanctam Pharaildem Gandavi & Sanctam Mariam Brugis. Obiit anno 1458.

XXXI. Marcus de Steenberghe. Decretorum Doctor & Professor in Academiâ Lovanienſi. Erat Decanus S. Gudulæ anno 1487. Fuit quoque Præpoſitus Eccleſiæ Sti. Hermetis Rothnaci. Obiit 1507.

XXXII. Georgius de Themsicke J. U. D. primum Conſiliarius Eccleſiaſticus in Magno Senatu Mechliniæ, dein aſſumptus in Concilium Sanctius Bruxellis, fuit Decanus anno 1491. dein Decanus S. Petri Caſleti, & S. Salvatoris in Harlebecâ, item Perſona ſeu Præpoſitus Harlemi. Vivebat adhuc 1530.

XXXIII. Nicolaus Everardi. Zelandus J. U. D. ac Profeſſor in Academia Lovanienſi, fuit Officialis Epiſcopi Cameracenſis in Urbe Bruxellenſi. Anno 1498. Decanus Anderlechtenſis. Hinc anno 1506. Decanus ad S. Gudulam Bruxellis, exinde relicto Statu Eccleſiaſtico factus Senator magni Senatus Mechliniæ; dein 1509. Præſes Curiæ Hollandiæ. Denique Præſes præfati Magni Senatus. Vivere deſiit anno 1532.

XXXIV. Joannes Godefridi, de Wemelinghem Zelandus J. U. D. ac Profeſſor in Academiâ Lovanienſi. Erat Decanus S. Gudulæ anno 1519. fuitque Conſervator Privilegiorum Academiæ Lovanienſis. Obiit anno 1525.

XXXV. Reinerus Stoops. Cameracenſis anno 1526.
Poſt hunc nominatus eſt ad Decanatum *Petrus Vorſtius* Epiſcopus Aquenſis & Inter-Nuntius Apoſtolicus; ſed poſſeſſionem non adiit.

XXXVI. Philippus Nigri Cancellarius Ordinis Aurei Velleris. Concilii Sanctioris Senator, Præpoſitus Harlebecæ, & ad S. Pharaildem Gandavi; Decanus quoque S. Gudulæ Bruxellis &c. inde primus Antverpienſium Epiſcopus nominatus, ante Conſecrationem obiit anno 1561.

XXXVII. Laurentius Metzius. Gerardimontenſis S. T. L. ex Plebano deſignatus Decanus. Fuit quoque Conſervator Privilegiorum Academiæ Lovanienſis, anno 1570. factus Epiſcopus Sylvæducenſis. Vivere deſiit anno 1580.

XXXVIII. Joannes Hauchinus. Gerardimontenſis S. T. L. ex Decano renuntiatur Archiepiſcopus Mechlinienſis anno 1583. Obiit 1589.

XXXIX. Henricus vanden Broeck antea Canonicus Anderlechti, obiit anno 1591.

XL. Petrus Pantinus Tiletanus S. T. L. Primo Græcarum Litterarum Profeſſor Toleti in Hiſpaniâ, inde Decanus ad S. Gudulam, Delegatus Apoſtolicus ad exercitus Regios in Belgio, Seniſſimiſque Belgarum Principibus *Alberto & Iſabella* a Sacris Oratorii. Fuit quoque Præpoſitus Eccleſiæ B. M. V. Condati. Vir ſcriptis clarus. Obiit anno 1611. ipſo die Natali Domini.

XLI. Petrus Vinck. Vicarius Generalis Archiepiſcopi Mechlinienſis, & Archipresbyter diſtrictus Bruxellenſis. Obiit anno 1618.

XLII. Cæsar Clemens Anglus S. T. D. antea *S. Petri* Anderlechti Decanus, fuit quoque Vicarius Apoſtolicus ad exercitus Regios in Germaniâ Superiore & Inferiore & Capellanus Oratorii Regii Bruxellis. Vivere deſiit Bruxellis anno 1626. ætatis 65.

XLIII. Philibertus de Mol. ex Canonico D. Gudulæ, Magiſtro Fabri-

bricæ, & Cantore Succeſſive Decanus. Obiit die 8. Octobris anno 1637.

XLIV. Carolus a Mansfelt filius Petri Erneſti Comitis Mansfeldii, (qui fuit Gubernator Belgii per biennium anno 1592. dein Provinciæ & Urbis Luxemburgenſis, ubi obiit anno 1604. ætatis 103.) Fuerat antea Præpoſitus Eccleſiæ *S. Petri* Seclinii, Conſiliarius Equeſtris in Senatu Luxemburgenſi, Vicarius Apoſtolicus ad Exercitus Regis Catholici, Aulæque ejus Bruxellenſis Capellanus ac Cæremoniarius. Obiit anno 1647.

XLV. Martinus Prats Bruxellenſis J. U. L. primo Cathedralis Atrebatenſis Canonicus dein Præpoſitus *S. Petri* Seclinii. Succeſſit Mansfeldio in Decanatu D. Gudulæ, item in Vicariatu Apoſtolico ad Exercitus Regis Catholici; inde factus Cancellarius Ordinis Aurei Velleris; tandem anno 1665. Epiſcopus Iprenſis. Obiit Ao. 1671.

XLVI. Matthias Middegaels Hilvaribecanus S. T. L. Archipresbyter oppidi ac Diſtrictus Bruxellenſis, judex Synodalis ac Librorum Cenſor, ex Plebano Anderlechtenſi, Plebanus D. Gudulæ, factus hujus Eccl. Decanus Diplomate Regio die 16. Maii 1665. Vivere deſiit die 22. Februarii 1673.

XLVII. Joannes Ferdinandus de Beughem, Bruxellenſis J.U.L. Canonicus & Fabricæ Magiſter ad Decanatum evectus anno 1673. die 26. Martii & anno 1679. ad Cathedram Antverpienſem, ubi obiit anno 1699.

XLVIII. Gabriel de la Torre Canonicus Eccleſ. Metrop. Cameracenſis, creatus Decanus hujus Eccl. die 17. Novembris 1679. & die 25. Martii Anno 1681. factus eſt Præpoſitus Eccl. Cathed. Gandavenſis.

XLIX. Ambrosius Ignatius de Thosse Antverpienſis, Canonicus primo Sti. Gummari Liræ, creatus hujus Eccleſiæ Decanus die 8. Decembris anni 1681. Obiit anno 1694.

L. Jacobus de Maeyere Bruxellenſis, primo Secretarius Illuſtriſſ. *D. Alphonſi de Berghes* Archiep. Mechl., dein hujus Eccl. Canonicus, creatus anno 1684. elevatus a Rege Catholico ad Decanalem dignitatem anno 1694. die 11. Octobris. Vivendi finem fecit die 20. Februarii 1722. ætatis 79.

LI. Joannes Benedictus Joseph de Stockaert de Tirimont Dom. d'Harmignies, præſens Decanus.

Baſilicæ hujus novam fabricam cum geminis turribus ad quas 500. gradibus aſcenditur auſpicatus eſt *Henricus I.* Brabantiæ Dux, circa annum 1226. Præludium horarium cum horologicis indicibus in eis eſſe cœpit ad annum 1535. Biennio ante, hoc eſt ad annum 1533. vetus Sacellum Sacramenti Miraculoſi deſtructum fuit, ut ædificaretur auguſtius & ſplendidius, quod hodiè videtur (ubi tres adſervantur Hoſtiæ a Judæis confixæ Ao. 1369. purum ſtillantes Sanguinem, quæ hodiedum ingenti hominum frequentia viſuntur & venerantur) Primus ibi lapis poſitus eſt per *Philippum de Lannoy* Dominum de Molenbaix Aurei Velleris Equitem nomine *Mariæ* Hungariæ Reginæ Belgium pro Cæſare fratre tum gubernante. Perfectum fuit anno 1539. & conſecratum die 24. Aprilis Anno 1552. Nec parvum ornatum Sacello huic adferunt feneſtræ vitreæ verſus cæmiterium a Magiſtro *Rogerio*

famoſiſſimo Bruxellenſi pictore delineatæ, in quibus notantur variæ inſcriptiones videlicet *Caroli V.* Imp. *Ferdinandi* Imp. *Fanciſci I.* Francorum Regis, *Mariæ* Viduæ *Ludovici* Hungariæ Regis, *Joannis* Portugalliæ Regis, *Philippi* Archiducis Auſtriæ, *Caroli V.* filii, *Maximiliani* Archid. Auſt. *Ferdinandi Cæſaris* filii.

Ante Aram majorem ſeu intra ſuppedaneum Aræ majori antepoſitum viſitur lapis Sepulchralis, nullis inſignibus, titulis nec inſcriptione ornatus ex candido marmore, ſub quo quieſcunt exuviæ mortales Sereniſſimorum Archiducum *Alberti* & *Iſabellæ* Conjugum Belgii Principum: at vero cujus Principis exuviæ ſint, melius compertum ſit, ſolent inſcriptiones loculis inſeri, ſic in *Alberto* factum, ejuſque loculo plumbeo inſerta eſt lamina ærea, hac Epigraphe.

ALBERTI.
Archiducis Auſtriæ
Burgundiæ, Brabantiæque Ducis,
Belgarum Domini,
&
Imperatorum
Maximilian II. & Ferdinandi I. Auguſtorum
Filii, Nepotiſque,
Iſabellæ Claræ Eugeniæ
Philippi II. Hiſp. Indiarumque Monarchæ
Filiæ Mariti.
Pietate, Juſtitia, Clementia
Magni & æternum memorandi Principis
Exuviæ mortalitatis,
Immortalitatis gloriam
Beata reſurrectionis in ſpe
Hic exſpectant.
Vixerat annos LXI. Mens. VII. Diem I.
Rexerat religioſè, prudenterque annos XXV.
Obiit verum Chriſtiani Principis exemplar
Anno Chriſtiano M. DC. XXI.
III. Idus Julii.

Iſabellæ autem loculo inſerta hæc fuit inſcriptio.

Deo.
Et ſacræ memoriæ
Magnæ Principis
ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ
D. G. Hiſp. Infantis.
PHILIPPI II. Regis Filiæ

CA-

CAROLI V. Imp. Neptis,
Regum PHILIPPI III. & IV. Sororis & Amitæ
ALBERTI Pii Archiducis Auſtriæ
Principis Belgii
Pientiſſimæ Conjugis
Sanctimoniæ, Sapientiæ, Clementiæ
Cæterarumque, dum Vixit in terris, Cæleſtium Virtutum
Incomparabilis Heroinæ
Mortales Exuviæ hic ſitæ ſunt
Vixerat in ſolatium omnium annis 67. menſes 3. dies 68.
Devixit ſummo cunctorum mærore,
Kal. Decemb. M. DC. XXXIII.

Viſitur in eodem Sacello inſcriptio ſepulchralis Sereniſſimi Principis Electoralis *Joſephi Ferdinandi Leopoldi, Maximiliani Emanuelis* Bavariæ Ducis filii, ut ſequitur.

Hoc in Sarcophago quieſcit corpus Ser^mi. JOSEPHI FERDINANDI LEOPOLDI &c. Principis Electoralis Bavariæ Filii Primogeniti Sereniſſimorum Principum MAXIMILIANI EMANUELIS Utriuſque Bavariæ Ducis Electoralis, Gubernatoris Belgii, & MARIÆ ANTONIÆ natæ Regiæ Principiſſæ Hungariæ & Bohemiæ, Arciduciſſæ Auſtriæ Conjugis ejus, qui natus eſt Viennæ Auſtriæ 28. Octobris Ao. CHRISTI 1692, mortuus autem Bruxellis Metropolis Brabantiæ die veneris 6. Februarii intra primam & ſecundam matutinam Anno CH:TI 1699. Ætatis ſuæ annorum ſex, menſium trium, & dierum novem.

Cæterum Sereniſſimi Belgarum Principes *Albertus Pius & Iſabella Clara Eugenia* pro ſingulari ſua Religione huic Sacramento Miraculoſo Coronam triplicem auream unionibus gemmiſque pretioſiſſimis diſtinctam, & alia ornamenta decem aureorum millibus æſtimata obtulerunt ac dicarunt.

In medio Chori hujus Baſilicæ apparet Mauſolæum marmoreum, cui leo æreo ſimulacro affabrè factus, atque inauratus, dextrâ tenens gentilitium Brabantiæ ſcutum, ſuper incumbit: tumulus eſt Sereniſſimorum Brabantiæ Ducum, Archiducis *Alberti* pietate, munificentiâ & ſumptu ita reſtauratus. Et noviſſimum reſurrectionis diem hic exſpectant *Joannes II.* Brab. Dux & uxor ejus *Margareta Eduardi* Angliæ Regis & *Eleonoræ* Caſtellæ filia. Obiit ille anno 1312, 27. Septembris, illa anno 1318. quibus adjacet *Antonius Philippi Boni* Burgundiæ, Lotharingiæ, & Brabantiæ Ducis filius, qui ſupremum diem clauſit anno 1431. Ibidem ſub terra in Hypogæo muro inſcripta leguntur ſequentia.

In hac tumbâ jacet *Joannes II.* Dux Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgiæ qui obiit Anno Domini M. CCC. XII. nec

non hic ſubtus jacet *Margareta Eduardi* primi Regis Angliæ filia, quæ erat conthoralis *Joannis* ſecundi Ducis Brabantiæ.

A Siniſtris In hac tumbâ nobilis *Antonius* filius primogenitus Illuſtriſſ. Strenuiſſ. Principis *Philippi* Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgiæ Ducis moderni, nec non Flandriæ, Arteſiæ, Burgundiæ & Namurcenſis Comitis, qui quidem *Antonius* obiit anno M. CCCC. XXXI. quinta die menſis Februarii.

Ibidem ſub terrâ ſuprâ Thecam vel ciſtam egregiè ornatam.

Erneſtus Dei gratia Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Wittenbergiæ, Comes Habsburgi, Tirolis, Maximiliani II. Imperatoris filius, Belgicarum Provinciarum Gubernator, moritur Bruxellis anno M. D. XCV. Die XX. Febr. Ætatis ſuæ anno XLI. menſ. VIII. D. V.

In Choro vero ad latus Epiſtolæ, ejuſdem Mauſolæum ſpectatur, ejuſque Symbolum: *Soli Deo gloria:* ex Cœnotaphio Principem noſce:

Memoriæ Sereniſſimi Principis
Ernesti Archiducis Auſtriæ
Maximiliani II. Imperatoris filii.
Ex Maria Caroli Imp. filia
Ferdinandi I. nepotis.
Maximiliani I. abnepotis
Rudolphi II. fratris:
Qui cum regnum Hungariæ & finitima loca per annos XVII.
fortiter feliciterque adminiſtraſſet
ad Belgii gubernacula
a Philippo Rege II. Avunculo vocatus
ejuſdem Provinciæ.
etſi brevi XIII. menſium ſpatio
cum æterna ſua laude, & gratia rexit.
In avita religione, in pace, in Imperio reducendo,
intentus.
In iiſdemque curis mortuus anno M. IↃ. XCV. X. Kal. Mart.
cum vixiſſet annis XLI. menſes VIII. dies V.
Poſuit Albertus Archidux Auſtriæ, Belgii Princeps
Singulari in fratrem affectu,
ejuſque corpus,
Ex adverſo Ducum Brabantiæ tumulo reliquit,
Monumentum hîc voluit extare.

Cho-

Chorum hujus Basilicæ præterea non parum exornant Scutorum gentilitiorum Equitum Ordinis Aurei Velleris hinc inde depictæ imagines, in memoriam quod non semel hîc fuerunt celebrata Ordinis Comitia. I. *Philippo Bono* Ordinis Institutore anno 1435. & cum non constaret de cujuspiam Equitis obitu, nulli fuerunt novi electi. Deinde sub *Philippo Pulchro* anno 1501, & sub *Carolo V.* anno 1516. atque in demortuorum Equitum locum alii electi; horum nomina & titulos, quemadmodum Gallico idiomate in Archivis conscripta leguntur subjicio:

Electi in Comitiis XVI. habitis anno 1501. sub *Philippo Pulchro* Ordinis supremo Principe IV.

Wolfang Seigneur de Polheim.
Eitelfrich Comte de Zollern.
Cornille de Berghes Seigneur de Zevenberges.
Philippe Bastard de Bourgoigne Admiral, Seigneur de Somerdyck.
Michiel de Croy Seigneur de Sempy.
Jean de Luxembourg, Seigneur de Ville.
Charles d'Austrice, Duc de Luxembourg depuis Roy d'Espagne, & Empereur V. du nom.

Sub Rege *Carolo V.* Ordinis Supremo Principe in Comitiis XVIII. habitis anno 1516. electi.

Treshaut, tresexcellent & trespuissant Prince François I. Roy de France I. du nom.
Don Ferdinand Infant d'Espagne, Archiduc d'Austrice, depuis Empereur I. du nom.
Frederic Comte Palatin Duc en Baviere Electeur.
Jean Marquis de Brandenbourg.
Guy de la Baume Comte de Montreveil.
Hoier Comte de Mansfelt.
Laurent de Gorrevod Marquis de Marnay.
Philippe de Croy Comte de Porcean.
Jacques de Gavre Seigneur de Fresin.
Antoine de Croy Seigneur de Thou & de Sempy.
Antoine de La Laing Seigneur de Montigny.
Charles de Lannoy Seigneur de Senzelle.
Adolph de Bourgoigne Seigneur de De Beures.
Philibert de Chalon Prince d'Oranges.
Felix Comte de Werdenbergh.

Et quemadmodum in iisdem Comitiis pro complendo numero quinquagenario per *Carolum* Regem instituto, XX. electi fuerunt Equites, eorum quoque nomina & titulos ordine prosequar.

Tres haut, tres excellent & tres puiſſant Prince Emanuel Roy de Portugal I. du nom.
Tres haut, tres excellent, & tres puiſſant Prince Louis Roy d'Hongrie.
Michel Seigneur de Wolckenſteyn.
Maximiliain de Hornes Seigneur de Gaesbeke.
Guillaume Seigneur de Ribaupiere.
Jean Baron & Seigneur de Trazegnies.
Jean Seigneur de Waſſenaer, Vicomte de Leyden.
Maximiliain de Berghes Seigneur de Zevenberges.
François de Melun Comte d'Eſpinoy.
Jean Comte d'Egmont.
Don Fabrique de Toledo, Duc d'Albe.
Don Diego Lopes Pacheco Duc d'Eſcalona.
Don Diego Hurtado de Mendoça, Duc de l'Infantado.
Don Inigo de Velaſco, Duc de Frias, Conneſtable de Caſtille.
Don Alvaro de Zuniga Duc de Vejar.
Don Antonio Manrique de Lara, Duc de Najara.
Don Ferdinand de Remon-Folck, Comte de Cardona.
Don Pedro Antonio Sanſeverino, Duc de San-Marco, Prince de Biſignano.
Don Fabrique Henriques de Cabrera, Comte de Modica, Admiral de Caſtille.
Don Alvaro Perez Oſorio, Marquis de Aſtorga, Comte de Traſtamara.

Cæterum hæc Baſilica Anno 1707. circumſæpta eſt illuſtribus & magnificis Baluſtris, & gradibus quaſi Regalibus ex patrio marmore, ad quam ex inferiori parte ad eam aſcenditur.

Secunda Parochialis non vetuſtate, ſed dignitate eſt *S. Jacobi* Frigidi Montis vernaculè *Cauwenbergh*, in quâ Præpoſitura Ord. *S. Auguſtini* in Monte Palatino, adſcitum Palatio Ducis Brabantiæ, quam licet vulgo credant & putent *Ludovicum Pium* inſtituiſſe anno 830. tamen ex Diplomatibus ait *J. B. Gramaye* „ſcio *Henricum I.* anno 1228. Eccleſiam *D. Ja-* „ *cobi* de *Frigido Monte* contuliſſe Canonicis Regularibus ibidem Deo famu- „ lantibus perpetuo poſſidendam. An autem *Godefridus* Dux Cœnobii jecerit „ fundamenta, præterquam quod tradunt Hiſtorici ignoro."

Quoad initium fundationis hujus Cœnobii attinet fieri potuit, ut qui primo hic Regulares conſtituti fuêre Capellani tantum fuerint ipſius Aulæ ad officium divinum nocturnum atque diurnum iſtic decantandum deputati vel ut ſeculares Canonici, ſed in eodem loco ac Societate viventes ut Religioſi, niſi forte dicatur etiam quod lapſu temporis ea vivendi ratio tale detrimentum paſſa fuerit, ut ex Regularibus Canonicis plane defecerit ad ſeculares. Conſtat interim poſt aliquot ſecula VIII. Canonicos qui cum Præpoſito ſuo hoc in Cœnobio convivebant optaſſe & rogaſſe aſſignari ſibi Regulam *S. Au-*

gu-

gustini quod *Godefridus* Cameracensis Episcopus ipsis concessit anno 1228. datæ sunt litteræ consensus Capituli ejusdem anni.

A. Miræus in Not. Eccl. Belg. Cap. CXXX. novæ edit. profert Diploma quo *Henricus I.* Brabantiæ Dux, ejusque frater *Guilielmus* de Peruwes & Rusenbroeck dotant Cœnobium *S. Jacobi* in Monte Frigido Anno 1201.

Alexander IV. Pont. Concedit ut Canonici Regulares Frigidi Montis possint obtinere in Ecclesiâ *S. Gudulæ* Bruxellis unam Præbendam anno 1257. refertur in Supplem. Diplom. A. Miræi novæ edit: part. 2. Cap. 106.

Philippus Bonus Burgundiæ ac Brabantiæ Dux Anno 1460. cedit Præpósito Montis Frigidi jus Patronatus in quasdam Ecclesias Ducatus Limburgensis; refertur Diploma in præfato Supplem. part. 2. cap. 140. novæ edit. sequuntur hic tria hæc Diplomata.

Notum sit tam præsentibus quàm futuris, quòd Ego HENRICUS Dux Lotharingiæ terram in *Rusbruc*, quæ Wilhelmi Sacerdotis fuit, quam WILHELMUS Frater meus à censu annuo, ab omni jure suo & ab omni exactione liberam mihi resignavit & defestucavit, in usus Canonicorum S. Jacobi in Caldenberga liberam contuli, & Sigillorum, mei videlicet & Wilhelmi Fratris mei attestatione, & Testium subscriptione corroboravi. Testes

Ruysbroeck.

Cauwenbergh.

Sigerus Cameracensis Archidiaconus in Brabantia,
Michael Parochianus,
Arnoldus Notarius,
Heinricus Villicus,
Alardus Rapa,
Arnoldus de Bigardis,
Hugo Waurus,
Walterus Bach.

Actum anno Incarnationis Domini millesimo ducentesimo primo. 1201.

EGO WILLELMUS, Dominus de Peruwes & de Rusebruc, omnibus hoc Scriptum intuentibus in perpetuum. Scire vos volumus, quòd Willelmus devotus Sacerdos terram quamdam XII. bonaria continentem, inter terram arabilem & prata, à parentibus suis hereditariò jure ei relictam, in Rusebruc nostro Dominio jacentem, liberè & absolutè per Scriptum Domini & Fratris nostri Ducis Lotharingiæ in eleëmosynam contulit Ecclesiæ S. Jacobi de Caldenberga, ad usus Clericorum ibidem Deo deservientium. Censum verò & exactiones, quas eadem terra nobis debuit, prædictæ Ecclesiæ contulimus in eleëmosynam perpetuam liberrimè possidendam.

Et ut hoc nostrum Scriptum perpetuâ firmitate roboratum teneatur, Domini & carissimi Fratris nostri Sigillo ac nostro duximus utile Paginam præsentem communiri. Hujus facti Testes sunt,

Magister Sigerus Cameracensis Archidiaconus,
Heinricus Bruxellensis Decanus,
Magister Michaël,
Arnoldus Ducis Protonotarius,
Henricus de S. Joanne, de Aerscoet, &
Henricus de Hilduberga.

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Præposito & Conventui Monasterii Frigidi Montis de Bruxella Ordinis Sancti Augustini Cameracensis Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Ex Archivis MS. Capituli Anderlecht.

Cum à Nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum.

Sane petitio vestra Nobis exhibita continebat, quod dilectus Filius noster P. Sancti Georgii ad Velum aureum Diaconus Cardinalis tunc in partibus Alamanniæ Apostolicæ Sedis Legatus ob tenuitatem redditum Monasterii vestri præfati, Auctori-

toritate ſuæ Legationis Vobis per ſuas conceſſit Litteras, ut in S. Gudulæ de Bruxella Cameracenſis Diœceſis unam Præbendam, ſi Nobilis Vir Dux Brabantiæ Patronus ipſius Eccleſiæ, ac Decanus & Capitulum ejuſdem Eccleſiæ, ad collationem quorum & præſentationem ſpectant Præbendæ ipſius Eccleſiæ, ipſam Vobis conferre voluerint, licitè recipere ac retinere libere valeatis, & in eadem Præbenda per aliquem de veſtris Canonicis facere deſerviri.

Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper hoc ab eodem Cardinali providè factum eſt, ratum & gratum habentes, dummodò ad id Diœceſani accedat aſſenſus, id Apoſtolicâ Auctoritate confirmamus, & præſentis Scripti Patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Laterani xv. Februarii, Pontificatûs noſtri anno tertio.

Ex MS. Archivis Capit. Anderlecht.

PHILIPPUS Dei gratiâ Dux Borgundiæ, Lotharingiæ, &c.

Ducalis noſtræ celſitudinis magnificentia mentem noſtram excitat & inducit, ut ad ea, per quæ Eccleſiarum, Eccleſiaſticarumque Perſonarum quarumlibet, præſertim titulo Dignitatis præditarum, nobis ſubjectarum (ne cum omnis temporalium rerum tenuitas urgeat, earum vileſceret decentia ſtatûs) opportunitatibus & commodis conſulitur, ac eorum honor ac decentia procurantur, operoſis ſtudiis & remediis, non immeritò noſtræ ſollicitudinis partes impendamus.

Sane per Nos intellecto, quod Præpoſitura Monaſterii Sancti Jacobi in Frigido Monte in Oppido noſtro Bruxellenſi Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Cameracenſis Diœceſis per Præpoſitum ſoliti gubernari, noſtro Ducali Palatio vicina & contigua, quæ Dignitas magni nominis & principalis inibi adeo tenuis & exigua exiſtit, quod ipſius Monaſterii Præpoſitus, qui prout veridica relatione percepimus, vix duodecim coronas aureas, ultra communem diſtributionem aliis ipſius Monaſterii Religioſis annis ſingulis dari ſolitam, percipit;

Quodque præterea, ſi aliunde ſibi non foret aut eſſet proviſum, onera incumbentia ſupportare, ac ipſam Præpoſituram regere, illique præeſſe, nec ſtatum ſuum ſecundùm ipſius decentiam ducere minimè valeret, ut deberet, in ipſius Monaſterii vilipendium & dicti Præpoſiti pro tempore ſcandalum non modicum & contemptum.

Cum autem, ſicut Nobis Venerabilis Religioſus Vir Dominus Ægidius Strael, dicti Monaſterii modernus Præpoſitus ſuâ petitione monſtravit, ſi Menſæ dictæ ſuæ Præpoſituræ, S. Petri in Gallopia, & Sanctorum Petri & Pauli in Tennen, regione Brabantiæ, & de Cſarrat in Gallica Patria, Parochiales Eccleſiæ Provinciæ Limburgicæ nec non Sancti Pancratii de *Serle* Perſonatus, cum ſuis appendiciis Terræ *Valkenborgh*, Ducatuum & Dominiorum noſtrorum, ad Nos pleno Jure Patronatûs ſpectantes & pertinentes, perpetuò incorporarentur & unirentur & adnecterentur, ipſe Præpoſitus pro tempore exiſtens, incumbentia ſibi onera ſupportare ſtatumque ſuum decentiùs, & eo meliùs ducere poſſet & valeret, cultuſque etiam Divinus in dicta Eccleſia ſive Monaſterio peramplum ſuſcipere poſſet augmentum.

Quare pro parte dicti Domini Ægidii Præpoſiti Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictas Parochiales Eccleſias & Perſonatum, quamprimum eum vel eas, aut earum alterutrum conjunctim aut diviſim vacare per ceſſus vel deceſſus, aut ceſſum vel deceſſum, vel aliàs quomodocumque vel qualitercumque vacare contigerit, cum plenitudine Juris Canonici, & omnibus juribus & pertinentiis ſuis dictæ Menſæ Præpoſituræ in perpetuum unire, adnectere & incorporare de benignitate noſtra dignaremur.

Nos igitur, prælibati Domini Ægidii Strael Præpoſiti moderni, qui prout intelligimus de Nobili genere procreatus, & Conſiliarius noſter Juratus exiſtit, precibus favorabiliter annuentes ad honorem Dei, ejuſque Genitricis Mariæ, vivificæ Sanctæ Crucis, ad quam in dicto Monaſterio populus ſingularem gerit devotionem, Beatique Jacobi Majoris Apoſtoli & Patroni dicti Monaſterii, totiuſque Cœleſtis Hierarchiæ, Divinique cultûs augmentum, proque noſtræ chariſſimæ Duciſſæ dilectiſſimique Filii noſtri Caroli de Borgundia Comitis de *Charlois*, noſtrorumque Prædeceſſorum,

Here-

Heredum & Succeſſorum, animarum remedio & ſalute;

Dictas tres videlicet de *Gallopia*, de *Tennen* & de *Cſarrat* Parochiales Eccleſias, ac Perſonatum de *Serle* cum pertinentiis ſuis, & quamlibet earum conjunctim ac diviſim, ad Nos pleno Jure Patronatûs, ut præmittitur, ſpectantes & pertinentes, ac ſpectantem & pertinentem, cujuſcumque annui valoris exiſtant, aut quævis earum exiſtat, vacantes vel in poſterum vacaturas, aut aliquam earum vacantem aut vacaturam, aut dum vacare contigerit, ex noſtra pura & mera liberalitate cum omnibus juribus & pertinentiis ſupradictis, Menſæ Præpoſituræ dicti noſtri Monaſterii de Frigido Monte, pro ſupportatione onerum & decentia ſtatûs ipſius Monaſterii pro tempore Præpoſiti, Divinique cultûs augmento, pro Nobis, Heredibus & Succeſſoribus noſtris Ducibus & Dominis dictorum Brabantiæ & Limburgiæ Ducatuum & Dominii de *Valkenborg*, in perpetuum incorporamus & adnectimus & unimus.

Et ex nunc prout ex tunc, & pro tunc prout ex nunc, moderno & pro tempore dicti Monaſterii Præpoſito de dictis Parochialibus Eccleſiis, & earum qualibet, ac de Perſonatu cum ſuis appendentiis, tam conjunctim quam diviſim, providemus, ipſumque Dominum modernum & pro tempore Præpoſitum inveſtimus, præſentium per tenorem; ita & taliter quod cedentibus vel decedentibus dictarum Parochialium Eccleſiarum & Perſonatûs, ac ipſarum appenditiarum Rectoribus, aut earum altero cedente vel decedente, ipſaſque Eccleſias Parochiales & Perſonatum & appenditias ejuſdem, aut aliquam ipſarum dimittentibus vel dimittente, tam conjunctim quam diviſim lubeat & liceat, aut lubebit & licebit præfato moderno, aut pro tempore prædicti Monaſterii Præpoſito, penſe vel Procuratorem ſeu Procuratores ſuos, idoneum vel idoneos, corporalem, realem & actualem poſſeſſionem ipſarum Parochialium Eccleſiarum ac & Perſonatûs de *Serle* & ejuſdem appenditiarum, juriumque & pertinentiarum earumdem propriâ auctoritate liberè & impunè, hujuſmodi noſtrarum Litterarum vigore & prætextu, apprehendere, & perpetuò habere, regere, & poſſidere, tenere, & retinere; ac hujuſmodi illarumque & quarumlibet earumdem Parochialium Eccleſiarum & Perſonatûs de *Serle* cum ſuis appenditiis, fructus, reditus & proventus in ſuos & dictæ Menſæ ſuæ Præpoſituræ uſus & utilitatem commodumque, Noſtri, Succeſſorumque noſtrorum, & Hæredum prædictorum ſuper hoc licentiâ minimè requiſitâ, aut abſque alterius expectatione ulterioris mandati à Nobis vel Succeſſoribus & Heredibus noſtris deſuper habendi vel obtinendi.

Volumus autem quod in ſingulis Parochialibus, Perſonatu & appenditiis prædictis, & qualibet earumdem per prædictum pro tempore Præpoſitum aliquis ſui Ordinis inſtituatur Vicarius perpetuus. Et cuilibet eorumdem perpetuorum Vicariorum ſuper fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus ipſarum Parochialium Eccleſiarum, ac & Perſonatûs de *Serle*, congrua portio reſervetur; ex quibus ipſe Vicarius vivere & ſe commodè ſuſtentare, corporalia jura ſolvere, & alia incumbentia onera valeat congruè ſupportare; proviſo ac attento, quod divinus cultus in ipſis Parochialibus Eccleſiis, vel Perſonatu de *Serle*, cum ipſis appenditiis non diminuatur aut ſupprimatur, ſed inibi bene & laudabiliter conſervetur & continuetur.

Quo circa præcipimus & mandamus omnibus & ſingulis, etiam viris Eccleſiaſticis, quâcumque auctoritate fulgentibus, nec non Officiariis & aliis ſubditis noſtris Brabantiæ, Limborgiæ & Valkenbourg, & aliis quibuſcumque quorum intereſt, aut intereſſe poterit in futurum, quatenus prælibatum Præpoſitum, aut ipſius legitimum Procuratorem, cum & quoties vigore præſentium deſuper requiſiti fuerint, aut alter eorum fuerit requiſitus, ad dictarum Parochialium Eccleſiarum & quarumlibet earumdem, & Perſonatûs de *Serle* cum ipſorum appenditiis, dum eas aut aliquam earumdem ſimul vel ſucceſſivè vacare contigerit, ut præfertur, hujuſmodi noſtrarum Litterarum vigore, abſque alicujus ulterioris expectatione mandati, indilatè, & ſine quacumque contradictione, in corporalem, realem, actualem poſſeſſionem inducant, & inductum defendant & manuteneant, ipſque, vel dicto ejus legitimo Procuratori de ipſarum Eccleſiarum, & cujuſlibet earumdem, ac & Perſonatûs de *Serle* cum ejus appenditiis, fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus univerſis plenariè & integrè faciant reſpondere: ac quilibet eorum inducat, inductum defendat, manuteneat, & quantum in eis ac eorum altero eſt, aut erit, reſpondere faciat temporibus congruis & opportunis.

In cujus rei Teſtimonium Sigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum.

1460. Datum in dicta Urbe Bruxellensi, mensis Martii die ultimâ, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo.

Idem *Philippus Bonus* anno 1456. designavit Præpositum Montis Frigidi Capellanum suum domesticum, & eodem procurante anno 1461. ex indulto Pontificio Præpositus utitur mitrâ, & ornamentis Pontificalibus.

Prima autem Capella Aulæ censetur hoc templum Montis Frigidi, ubi & in Choro locus eidem semper Principi reservatus est.

Cæterum anno 1405. Plebanus *S. Gudulæ* concedit in Frigido Monte administrari duo Sacramenta Eucharistiæ nimirum & extremæ unctionis, deinde sub *Matthiâ* Archiepiscopo erectus etiam fons Baptismalis, & acquisivit jus Parochiale exceptâ Sepulturâ.

Ad commendationem hujus Ecclesiæ Parochialis facit quod in eâ Parochi munus gesserit in fine seculi XVI. *Joannes Miræus* laudatissimus Antverpiensium Antistes, mortuus Anno 1611.

In Choro hujus Ecclesiæ legitur hæc Sepulchralis inscriptio.

Francisci Divi Maximiliani Imperat.
Cæsaris semper Augusti filio
Philippi Hispan. Regis Catholici
Et
Ill^mæ. Dominæ Margaretæ Fratri Germani.
Qui natus anno M. CCCC. LXXXI.
Cum vixisset circiter menses quatuor
Concessit fatis.

Jacet in Choro majori in tumbâ marmoreâ nigrâ, cum imagine ejusdem defuncti ex alabastro.

In hac Ecclesiâ in Sacello laterali sepulchralem locum adeptus est *Emundus Dynterus* Brabantus ex pago Dynter Historicus, *Antonii* filius, qui *Antonio I.* ejusque filiis *Joanni* & *Philippo*, ac demum *Philippo Bono* Brabantiæ Ducibus fuit a Secretis. Aulicæ vitæ pertæsus sacris initiatus est & factus Canonicus in *D. Petri* Lovanii, scripsit Chronicon Ducum Lotharingiæ & Brabantiæ M. S. quod apud nos latet, & utinam typis aliquando edatur. Huic talis est inscriptio Sepulchralis.

D. O. M.
Hic jacet Magister de Dynter Illustrium Princip. & Dominorum quondam *Antonii*, *Joannis* & *Philippi* &c. ac etiam *Philippi* Burgundiæ & Brabantiæ &c. Ducum Secretarius, qui obiit anno Domini M. CCCC. XLVII. mense Februario XVII. cujus anima R. I. P.

Item conditus est in hac Ecclesiâ *Oliverius de la Marche* scriptis clarus, qui nobili domo e Burgundiâ oriundus, domesticus *Philippi Boni*, *Caroli Audacis*, *Maximiliani*, ejusque filii *Philippi*, quibus omnibus charus exstitit, in funesto illo ad Nancæium prælio captus, tantum non periit, qui

obiit

obiit Bruxellis die 1. Januarii anno 1501. ſepultus cum uxore ſuâ in hac Eccleſiâ, cujus tumulus in turbis Belgicis per Iconoclaſtas violatus & devaſtatus eſt, cui hoc Symbolum inſignibus adfixum erat TANTA MARCANUS TULIT.

Nobilitatur hæc Eccleſia inſigni & artificioſa tabulâ in ſummo altari *S. Ildefonſi* Archiepiſcopi Toletani a manu & penicillo *Petri Pauli Rubenii* pictorum facilè principis.

Item imagine perantiquâ Deiparæ Virginis ex Civitate Sylvæducenſi dum ea anno 1629. in poteſtatem Statuum Hollandiæ devenerat huc advecta, a frequentibus miraculis (quæ R. P. *Otto Zylius* Soc. Jeſu ſtylo ſuo evulgavit) famoſiſſima.

Quæ imago primum quidem in æde *D. Gaugerici*, a Sereniſſimâ *Iſabellâ Clarâ Eugeniâ* poſita fuit anno 1630. at poſtea juſſu *Ferdinandi* Principis Cardinalis ipſo natalis ſui die videlicet 16. Maii 1641. inde ſolemni cum proceſſione ab ipſis dicti Monaſterii Religioſis ad hoc *D. Jacobi* Templum deportata fuit, ipſo Principe comitante, cum magno populi Bruxellenſis concurſu & applauſu, ubi nunc magna in honore habetur, coliturque ſub titulo & invocatione MATRIS DULCEDINIS.

PRÆPOSITI MONTIS FRIGIDI.

I. *Gilbertus.* Obiit 1225.
II. *Henricus Pius.* 1250.
III. *Leonius Bruer.* 1286.
IV. *Walterus de Rubra.* 1291.
V. *Joannes de Fura.* 1302.
VI. *Joannes Catharinæ.* 1307.
VII. *Giſelenus Hinckaert.* 1329.
VIII. *Joannes Bruer.* 1331.
IX. *Hermannus.* 1336.
X. *Joannes de Fraye.* 1341.
XI. *Dionyſius Ereſt.* 1342.
XII. *Joannes de Pede.* 1376.
XIII. *Theodoricus Lembeke.* 1397.
XIV. *Ægidius Lombeke.* 1399.
XV. *Gerardus de Platea.* 1432.
XVI. *Henricus Spiekaert.* 1454.

Præpoſiti Mitrati.

XVII. *Ægidius Strael.* 1500.
XVIII. *Joannes Everard.* 1516.
XIX. *Sybertus van Omſſen.* 1524.
XX. *Hermannus de Tumba.* 1535.
XXI. *Ægidius de Dieſt.* 1550.
XXII. *Nicolaus de Marie.* 1551.
XXIII. *Joannes Coudenbergh.* 1564.
XXIV. *Judocus Cuſtos.* 1572.
XXV. *Joannes Rempelberch.* 1581.
XXVI. *Joannes Bonnecroy* ex Paſtore in Duysborch. 1620.
XXVII. *Henricus Muelemans* 1634.
XXVIII. *Dionyſius de Carnin.* Vocatus ex Abbatia D. Gertrudis Lovanii, titulum Abbatis a ſummo Pontifice pro ſe tantum impetravit. Obiit 1653.
XXIX. *Ægidius van Linthout* Bruxellenſis ex Priore hujus Cœnobii. 1677.
XXX. *Carolus vander Baren* 1687.
XXXI. *Franciſcus Palfart.* 1688.
XXXII. *Andreas van Ophem* ceſſit. 1705.
XXXIII. *Thomas Bernaerts* Obiit. 1720.
XXXIV. *Joannes Tſerſtevens.* ex Paſtore in Neygene inauguratus die 2. Julii 1720. hodie præeſt.

Tertia Parochialis Eccleſia eſt *Cappelenſis*, in eâ *Godefridus Barbatus* Lotharingiæ & Brabantiæ Dux Præpoſituram ſeu Cellam (ut veteri verbo utar) *B. Mariæ* fundavit Anno 1134. quæ ab Abbate S. Sepulchri Ord. S. Benedicti Cameraci dependet, tunc extra, nunc vero intra Urbis ſepta. Diplo-

ma hujus fundationis refert *A. Miræus* in Diplom. Belg. Lib. I. Cap. LIIII. novæ edit. ut ſequitur.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ego GODEFRIDUS Lotharingiæ Dux, ab Eccleſiarum Doctoribus intelligens omnium hominum ſalutem in eleëmoſynarum largitione plurimùm conſtare: Principibus verò hujus ſeculi, utpote qui amplius acceperunt à Deo, ut retribuant ei, idipſum magis congruere, eò quòd eleëmoſyna peccatum exſtinguat, at, & animam vivificet; & quia Prophetæ Danielis teſtimonio, Rex quondam ille Babylonicus eleëmoſynis à peccatis redimi potuiſſet, ſi tamen acquieviſſet doctrinis horum & exemplis; operam dedi, & quorumdam fidelium meorum ſalubri uſus conſilio, quæ aure perceperam, opere adimplere curavi.

Denique cauſsâ ſalutis animæ meæ, patrumque meorum ac filiorum, allodium quoddam meum, Bruxellæ Opido adjacens, & Capellam in eo ad honorem Dominici Sepulcri, Dominique Genitricis Mariæ conſtructam, cum omnibus ſuis appendiciis PARVINO Abbati ac Monachis S. Sepulcri Cameracenſis Eccleſiæ in eleëmoſynam dedi: in tantum videlicet liberè, ut nullus Clericorum, ſive Laicorum aut potentum, illud omninò in perpetuum violare præſumat, vel ſui juris aliquid ex eo vindicare queat.

Eâ tamen conſideratione, ut ibidem Deo & ejus Genitrici, die noctuque obſequia divina impendantur, nec non & obitûs mei memoria, in prælibata capitali Eccleſia à Fratribus annualiter habeatur. Et ut hæc donatio mea in æternum inconvulſa permaneat, ſigilli mei impreſſione ac legitimorum teſtium ſubſcriptione, confirmo & corroboro.

Signum GODEFRIDI Ducis.

S. Filiorum ejus Godefridi & Henrici, quorum conſenſu hæc peregit.

Signa Liberorum.

Henrici de Birbeca.
Willermi & fratris ejus Henrici de Dungleberga.
Sigeri de Wavera.
S. Rodulfi Leodienſis Canonici & Capellani.
S. Walprici Capellani.
S. Godezonis Capellani.
S. Arnulfi Clerici.
S. Franconis Caſtellani & Dapiferi de Bruxella.
S. Franconis Pincernæ de Iſſa.
S. Arnulfi Dapiferi de Lovanio.
S. Gozewini Pincernæ.
S. Alardi fratris ſui.
S. Amulrici Militis.
S. Franconis Miniſtri de Bruxella, cujus labore & induſtriâ hæc ſuggeſta ſunt.
S. Radulfi fratris ejus.
S. Goſewini Miniſtri.
S. Henrici Monetarii.

Signa ceterorum fidelium meorum de mea Curia.

Signa quorumdam Nobilium.

Walteri Rodeſtoc & filiorum ejus.
Walteri Anglici.
Stephani Duri.
Hugonis Rampart.

Actum apud ISSAM menſe Decembri XIII. Kalend. Januarii, anno Dominicæ Incarnationis MCXXXIV. Indictione XIII. Imperii verò Domini Lotharii Regis anno IX. & IV. Liethardi Cameracenſis Epiſcopi.

1134.

Hanc fundationem ſuo Diplomate confirmavit anno 1138. *Nicolaus* Epiſc. Ca-

Cameracensis, quod profert idem *Miræus* in Not. Eccl. Belgii cap. LXXVII. novæ edit. cujus tenor est talis.

NICOLAUS Cameracensis Episcopus tam futuris quàm præsentibus in perpetuum.

Consilio Clericorum nostrorum, Venerabilis Fratris nostris Parvini S. Sepulcri Abbatis petitioni condescendimus, & Altare de *Tornepia*, cum Capella de *Ruschebroc*, eidem S. Sepulcri Cameracensis Ecclesiæ liberè & sine Persona concedimus.

Quod verò Illustris Lotharingiæ Dux, imò Bruxellæ & Lovaniæ Comes inclytus Godefridus Capellam B. Mariæ, Bruxellæ contiguam, præfato Abbati Parvino, suisque Successoribus tradidit, & Privilegio suo confirmavit, idem eisdem libertate Ecclesiasticâ assignamus, & omnia quæ jam collata in agris, pratis, aquis, & in posterum conferenda sunt, cum duabus partibus decimæ de *Hundesto*, & tertiâ parte decimæ de *Ros* eidem Ecclesiæ confirmamus.

Quod autem *Bauduinus* Decanus, & ceteri S. Gudilæ Canonici, Monachorum ordinatione, Presbyteri ibidem populo Divina celebraturi positionem sæpe-fatæ Ecclesiæ concesserunt, approbamus, & Episcopali auctoritate confirmamus.

SS. Theodorici, Joannis, Alardi, Theodorici; Archidiaconorum,
S. Guidonis Præpositi,
S. Gerardi Decani & Archidiaconi,
S. Alexandri Decani,
S. Werrici Abbatis Lesciensis,
S. Algoti Abbatis,
S. Mainardi Abbatis,
S. Walerici Abbatis S. Auberti.

Actum anno millesimo centesimo tricesimo octavo, Præsulatus Domini Nicolai secundo. 1138.

Ego GERINBAUDUS Cancellarius recensui.

Ex hoc tempore solet S. Sepulchri Abbas ex suis Religiosis aliquem & nonnumquam aliquos huc mittere, quorum unus Præpositi nomine ornabatur, olim ad placitum Abbatis revocabilis, nunc post confirmationem a Duce obtentam non nisi perspectâ causâ amovibilis, cujus Capella aucto hominum numero in partem Curæ Pastoralis assumpta est anno 1210. per Sigerum Archidiaconum Brabantiæ, Robertum Abbatem Affligemiensem, & Balduinum Scholasticum *D. Petri* Lovanii divisâ Parochiâ, ut patet ex hoc Diplomate edito in Suppl. Dipl. A. Miræi part, II. cap. LXXXI.

SIGERUS Cameracensis Archidiaconus in Brabantia, ROBERTUS Dei gratiâ Abbas Hasligemiensis, Magister BALDUINUS Scholasticus Lovanienses, omnibus præsentem Paginam inspecturis salutem in perpetuum. *Ex Archivis MS. Præposituræ de Capella.*

Ad tollendum materiam jurgiorum quæ facilè de rebus exiguis in magnam discordiam suscitantur, necessaria valdè sunt monumenta scriptorum, quæ dum rerum gestarum exhibent veritatem, litigandi malitiam sive causam excludunt.

Propterea volumus testimonio Scripti hujus omnibus notum esse: cùm Ecclesia S. Sepulchri Cameracensis Capellam quamdam haberet in Oppido Bruxellensi, jus autem Parochiale in circummanentibus & vicinis eidem Capellæ ad Ecclesiam S. Gudilæ pertineret, utrique Ecclesiæ visum fuit ut Parochialis Ecclesia fieret de Capella eadem, ad tollenda pericula vel defectus qui ex nimis remota Parochiali Ecclesia, vel quandoque proveniunt aut poterant provenire.

Ut autem hoc ad commodum utriusque Ecclesiæ meliùs ordinari valeret, in nos utraque Ecclesia compromisit firmiter, Canonici quidem fide interpositâ, Abbas verò sub pœna centum marcarum promittens ordinationi, quam super hoc faceremus, parêre.

Nos autem præhabitâ deliberatione solerti, rerumque circonstantiis diligenter inspectis, pro pace & commodo utriusque Ecclesiæ ordinavimus in hanc formam. Ecclesia B. Mariæ pleno jure habebit omnia Parochialia, videlicet sepulturam, baptiste-

rium . . . . . & ſuperiori Eccleſiæ perſolvet quindecim libras Lovanienſis monetæ ſingulis annis: quinque ad Natale, quinque ad Paſcha, quinque ad feſtum B. Joannis. Termini autem Eccleſiæ B. Mariæ ſicut antiquitus limitati erant permanebunt.

De Domo hoſpitalis B. Joannis, Canonici D. Gudilæ de ſepulturis Fratrum & Sororum & infirmorum oblationes habebunt. Nemo ſibi in eodem hoſpitali eligere poterit ſepulturam; ſi verò aliquis ex prædicta Parochia ſibi elegerit ſepulturam ad Eccleſiam B. Gudilæ, vel è converſo, Sacerdos funus ſuum proſequetur, & ibi Miſſam celebret & oblationes percipiat illâ tantum die quâ ſepelitur defunctus.

De Capella B. Petri ſic ordinatum eſt, ut omnino ſubjecta ſit Eccleſiæ B. Mariæ, & eundem cenſum quem perſolvit Eccleſiæ B. Gudilæ, perſolvet Eccleſiæ B. Mariæ.

Prædicta ſumma quindecim librarum perſolvetur de univerſis proventibus prædictæ Eccleſiæ ad Altare ſpectantibus, in quibus Presbyter habebit partem, exceptis confeſſionibus & viſitationibus quas ſpecialiter Sacerdos retinebit.

Deductis verò quindecim libris, de reſidua ſumma Sacerdos tertiam partem, Procurator Abbatis & Eccleſiæ duas partes recipiet.

Præterea ſi acciderit terram vel Oppidum interdicto ſupponi & interdictum tantummodo per menſem duraverit, nihil ob hæc minuetur de ſumma Canonicis perſolvenda; ſi autem ampliùs duraverit, pro rata temporis fiat ſubtractio, videlicet pro ſingulis menſibus ſingulæ libræ; ſi autem per annum duraverit, duodecim libræ ſubtrahantur, & tres tantùm perſolvantur: nam illæ tres libræ æſtimantur pro confeſſionibus & viſitationibus & baptiſteriis, in quibus non obeſt interdictum.

De reverentia quæ debetur Eccleſiæ B. Gudilæ in die Palmarum, omnes Parochiani dictæ Eccleſiæ conveniant ad majorem Eccleſiam, nec aliqui alibi benedicantur rami palmarum: & in majoribus ſolemnitatibus Sacerdos dictæ Eccleſiæ poſtquam celebraverit, ad magnam Miſſam ad majorem Eccleſiam accedat.

Omnes Parochiani dictæ Eccleſiæ ad Synodum in majori Eccleſia conveniant, nec Synodus in prædicta Eccleſia celebrabitur.

Item ſi acciderit aliquem Parochianorum dictæ Eccleſiæ pro exceſſu ſuo â Canonicis majoris Eccleſiæ excommunicandum, Sacerdos ibidem miniſtrans ad exequendam ſententiam eis obtemperabit.

Præterea ſi contigerit Sacerdotem decedere, Abbas S. Sepulchri idoneum Sacerdotem Canonicis majoris Eccleſiæ præſentabit, quem ipſi ad ſuſcipiendam Curam animarum Epiſcopo præſentabunt, nec ipſi præſentatum ab Abbate poterunt recuſare.

Item in Eccleſia majori oleum ad Paſcha ſumatur.

Ut autem Ordinatio prænotata ſtare poſſit in poſterum, tantoque firmiùs obſervetur quanto fuit ſolemniùs declarata, eam noſtrorum impreſſionibus Sigillorum fecimus conſignari.

1210. Actum anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo decimo, menſe Decembri.

Damus hic ſeriem Præpoſitorum prout modernus Præpoſitus nobis communicavit, & aſſequi potuit.

PRÆPOSITI B. MARIÆ DE CAPELLA.

D. Joannes vixit anno 1218.
Gerardus de Bouſies. 1251.
Dein an. 1262. Abbas S. Sepulchri.
Ægidius de Hordaing. 1276.
Wilhelmus. . . . . . .
. . . . . 1287.
. . . . . 1292.
. . . . . 1298.
Amolricus. 1304.
Wilhelmus. 1329.
Jacobus. 1335.
Theodoricus. 1340.
Petrus Beauregnies. 1360.
Joannes d'Enghiven 1365.
Jacobus de S. Georgio. . . .
Jacobus de Hauſſy. 1380.

Joan-

Joannes de Bethune. 1385.
Philippus de l'Epinoc. Prior Abbatiæ S.Sepulchri. 1401.
Stephanus du Bois. 1425.
Stephanus de Sorre de St.Amand. 1443
Joannes Baſchelier. 1447.
Bertrandus Fouret. 1480.
Joannes Bavelinghen. 1493.
Petrus Jacobi. 1513.
Petrus de Hennin. 1536.
Joannes Riqueloit. Obiit 1556.
Franciſcus de l'Honoré. Obiit 1574.
Auguſtinus Laloux. Obiit 1583.
Joannes Fruy. 1591.
Dein Abbas S. Sepulchri.
Raphael Rincheval. 1595.
Antonius de Noyelles. interfuit Synodo Diœceſano Mechlinienſi. 1609.
Joannes Secourgeon. 1619.
Antonius Charlait. 1637.
Dionyſius Gilles. 1662.
Bernardus de Haye. 1676.
Dein Abbas S. Sepulchri.
Victor Lejuſte. 1678.
Claude de Hove. 1697.
Hyppolite Brogniart. 1706.
Placidus Pouilliande. 1713.
Dein Coadjutor Abbatis Haſnonienſis.
Adrianus Bruouit ei ſucceſſit Anno 1714. 13. Junii; Præſens Præpoſitus.

Quarta Parochialis eſt *S. Gaugerici*, ſita in veteribus urbis mœnibus cujus antiquitatem ipſa ſtructura præ ſe fert, quæ in Parochialem erecta eſt circiter anno 1525.

Quinta Parochialis eſt *S. Catharinæ*, quæ tamen revera tantum pars aut Vicaria exſtat Molenbecæ, producto anno 1357. Urbis pomærio Parochiali jure donata, Parochus tamen inſcribit ſe Paſtorem S. Joannis de Molenbeeck reſidens ad S. Catharinam.

Sexta Parochialis Eccleſia eſt *S. Nicolai*, in foro inferiori, ubi turris pridem miræ antiquitatis, in quâ bannalis Urbis campana, abſque aliquo nocumento collapſa olim anno 1367. ſed pulchrius reſtaurata anno 1380. & anno 1602. inſigni horologio & præludio muſicali pridie *S. Nicolai* inſtructa, ingenti impenſa e publico ſuppeditata, ac dein Ao. 1662. Magiſtratus hujus Urbis aliud optimo concentu, & ſuaviſſimâ modulatione anteambulum horarium in eâ collocavit. Verum hæc omnia generali illo & funeſto incendio Urbis Bruxellenſis anno 1695. a Gallis pilis ignitis & bombis per tormenta bellica injectis cum Eccleſiâ igne conſumpta ſunt.

Denique anno 1714. novo iterum horologio & præludio muſicali maximis impenſis cum Eccleſiâ reſtaurata eſt. At vero die 29. Julii horâ circiter decima veſpertinâ ejuſdem anni, ſubito hæc turris corruit, non ſine gravi Eccleſiæ, vicinarum ædium, & hominum ſtrage, neque hactenus eſt educta.

Septima Parochialis & ultima eſt *B. Mariæ Finis Terræ* in nova Urbis regione. Primo fuit humile Sacellum Virginis Deiparæ, a populo tamen in magna veneratione fuit.

Deiparæ hoc in loco cultæ nomen additum ad aliarum diſtinctionem *S. Mariæ Finis Terræ*, prout ex Superliminari Sacelli inſcriptione patebat, quia nimirum ibi erat finis quaſi Urbis, priuſquam initio ſeculi XVII. elapſi locus iſte novis plateis & domibus eſt accomodatus, ut nova ibi Civitas videretur exſurgere. Plebs tamen per craſin aut nominis malè intellectum, vocat eam *Onſe L. Vrouwe inde Venſter Sterre.* Quæ duo poſtrema verba cum illis *Finis terræ*, rudi populo adfinitatem habent. Sacellum dein elegans & juſtæ magnitudinis ex albo lapide conſtructum eſt Anno 1618. & in tantum excrevit hæc Parochialis, ut cum hoc Sacellum non caperet ſuos Paro-

chianos Anno 1710. insignis & nova Basilica Mariana, destructo veteri Sacello, piorum eleemosynis exstruere, cœpta sit, atque ad illius consummationem plura Sortilegia (vulgo *Loteryen*) usque in hodiernum diem ad eundem finem indulta sunt. Atque ita sperandum quod brevi suam perfectionem acquiret.

Anno 1650. commissa & incorporata est hæc Parochialis Patribus Oratorii instituti *Petri Berullii* S. R. E. Cardinalis favore & gratia *Jacobi Boonen* Archiepiscopi Mechl. & consensu Decani & Capituli *S. S. Michaelis & Gudulæ.*

Inter majores hujus Urbis Ecclesias una est quæ cognominatur nostra Domina in Sabulo vernaculè *Onse L. Vrouwe op den Savel* sub Parochiâ de Capella. Hic locus antiquitus Cœmiterium erat a Matre Zenodochii *D. Joannis* Collegio *S. Antonii* Balistæ vetustioris datus anno 1304, ut in eo Sacellum D. Virgini exstrueretur annuente Abbate Diligemensi dicti Xenodochii provisore, jussu quoque *Joannis III.* Brabantiæ Ducis. Structura plane elegans est & vitreis perillustris, cujus peculiaris cura ad Cives spectat, qui aperiunt & claudunt. Fuit in eâ ante plures annorum centurias Miraculosa Deiparæ statua, multis glorioſa prodigiis, devotissima populi devotione culta; quam Deiparæ imaginem anno 1348. quædam Beatrix Soethens ex Templo Antverpiensi Mariano sublatam huc transtulit; sed monente per Somnium *Maria*, & monitum duplici miraculo confirmante, cum & Sacrista Antverpianus resistere parans immobilis hæsit, & navis a portu donec tam sacri pignoris bajula adventasset nulla artè potuit dimoveri, ad famam itum a Bruxellensibus obviam, & *Joannes III.* Brabantiæ Dux ipse humeris exceptam Statuam in Sabulonem intulit, cum Magistratu Supplicatione solemni, ubi continuis semper floruit Miraculis: donec furibundorum Iconoclastarum barbarâ & Sacrilegâ feritate anno 1580. rapta & contrita est. Sed alia substitutâ ei a Marianis cultoribus, secundum pristinam formam, quam singulis cujusque hebdommadæ Sabbatis, præter alia quotidiani cultus argumenta supplicatione solemni venerantur.

Hic Dominicâ præcedenti festum Pentecostes publica & solemnis admodum Supplicatio cum totius Urbis lætitiâ servatur quotannis, soletque magnificâ plane pompa per Urbis compita hæc Deiparæ imago cum Reliquiis *S. Julianæ* Virginis Nicomedienſis & Martyris, quæ olim per *Joannem I.* Ducem Brabantiæ reportata de hostibus victoria, Bruxellam ad D. Virginem in Sabulo ex Galliâ delatæ sunt, & hæreticis Bruxellæ omnia sacra diripientibus per nonnullos probos Catholicos adservatæ, intactæque permanserunt.

Cujus vero rei in memoriam annua hæc Supplicatio? agendis Deiparæ gratiis instituta est pro Victoriâ Woringanâ, ejus ope per Ducem nostrum, nostrosque obtenta anno 1288. Unde peculiare etiam festum illi decretum, cujus in Fastis Belgicis ita meminit *J. Molanus.* „Ad quintum diem Junii „ Bruxellæ commemoratio *B. Mariæ* semper Virginis instituta ob glorioſam „ victoriam, quam hac die apud Woringam habuit *Joannes* hujus nominis „ primus Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi Dux anno Christi 1288." Illam porro Victoriam fusè descripserunt ille ipse *Molanus* in libello de sacra Ducum Brabantiæ militiâ, *F. Haræus*, *A. Miræus*, & alii rerum Brabanticarum Scriptores.

Alia Basilica est Mariana D. Virginis Auxiliatricis in hac Urbe sub Parochiâ *S. Gaugerici* (vulgo *Onse L. Vrouwe ten Byslandt*) juxta antiqua mœnia interiora, quibus illud cinctum fuit ad forum carbonarium, haud procul

Car-

Carmelitarum mitigatorum Cœnobium, ubi antiquum Sacellum fuit in honorem *S. Jacobi* erectum, cui adjunctum erat Hoſpitale recipiendis peregrinis. In hoc Sacello reperta eſt imago Deiparæ anno 1625. tempore quadrageſimæ, inter Sordes dicti Sacelli a viro quodam pio Jacobo Mees nuncupato, cui tum ex officio dicti Sacelli cura incumbebat, quæ ſtatim cœpit miraculis clareſcere, quæ hodiedum perſeverant, atque ab illo tempore uſque in hanc diem devotio & concurſus populi tantus eſt, ut fidem pæne dicas excedere. Deinde cum Sacellum illud anguſtum non caperet populum eo confluentem Venerationis, vel voti cauſa, noſtrâ ætate deſtructo hoc veteri Sacello, Auguſta & Illuſtris ibidem conſtructa eſt Baſilica; adeo ut nullus hodie Bruxellâ totâ locus ſit celebrior & nullus in majori populi veneratione.

VIRORUM COENOBIA.

FRATRES MINORES D. FRANCISCI Regulam profeſſi, publico conſenſu & privatorum eleemoſynis eſt locus aſſignatus ſtructumque Monaſterium in meditullio hujus Urbis anno 1227.

In medio Chori hujus Conventus olim erat *Joannis I.* Lotharingiæ Brabantiæ & Limburgi Ducis marmorea tumba elevata ante ſummum altare, cujus hæc erat inſcriptio.

Anno Domini 1294. Obiit
Virtutum Amator, Juſtitiæ Procurator,
Ac Defenſor;
Flos mundi, Speculum Juſtitiæ
Ac totius Probitatis ſpectaculum
Illuſtriſſimus Princeps JOANNES
Primus Dux Lotharingiæ & Brabantiæ
Sepultus ante ſummum Altare hujus
Conventus in tumba lapidea.

Verum hæc tumba cum ſuâ inſcriptione & templi Choro in turbis Belgicis funditus eſt everſa. Dein anno 1620. Sereniſſimus Princeps *Albertus* monumentum hoc Sepulchrale reſtitui curavit, cum laminâ cupreâ quâ Sepulchrum obtexit adjectâ, hoc appoſito Cœnotaphio.

Potentiſſimus Princeps JOANNES Primus Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi Dux, Sacri Romani Imperii Marchio in haſtiludio Vulneratus, Obiit die III. Maii 1294.

Anno 1695. Generali illo ac funeſto Urbis Bruxellenſis incendio hic Conventus cum Eccleſiâ in cineres redactus eſt, & ſimul hæc tumba Sepulchralis adeo ut ejus tumbæ vel Epitaphii nullum appareat hodie veſtigium.

Hic Conventus & Eccleſia paulo poſt ex cinere ſuo & ruinâ piorum eleemoſynis & donariis glorioſior & ſplendidior reſurrexit; at hæc tumba manſit in interitu.

Ante turbas Belgicas & Iconoclaſtarum rabiem ſeculi XVI. viſebatur in eodem Choro Mauſolæum *Mariæ* uxoris *Joannes III.* Ducis Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi &c. quæ fatis conceſſit Anno 1335. die 30. Octobris, ſub quo dein condita *Maria* ejus filia vidua *Rainaldi III.* Geldriæ & Zutphaniæ Ducis quæ vitam exuit Bruxellis anno 1399. die I. Martii. Quarum inſcriptio Sepulchralis erat hæc.

Requieſcunt corpora Illuſtriſſimarum Principum & Duciſſarum Mariæ ſenioris, filiæ quondam Ludovici Comitis Ebroicenſis, filii Regis Francorum, quæ fuit conjux gratioſa magnifici Principis Johannis hujus nominis III. Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi Ducis, quæ obiit an. 1335. menſis Octobris 30. Atque Mariæ filiæ Junioris præfatorum Joannis III. & Mariæ Ducum Brabantiæ, quæ fuit Duciſſa Gelriæ & Domina de Turnhout. Obiitque an. 1399. I. die menſis Martii.

Hanc inſcriptionem refert in ſuâ Hiſtoriâ Gelricâ *Joh. Iſaacus Pontanus* pag. 339.

CONVENTUS FRATRUM DE MONTE CARMELO inter omnes vetuſtæ & primæ Religionis Carmelitanæ in Brabantiâ, primus fuit Bruxellenſis, fundatus anno 1249. eo videlicet tempore, quo Ordo ille in Syriâ ob Saracenorum incurſus & diram tyrannidem interibat, & in Europâ cum fœnore propagabatur. Annum fundationis hujus Conventus pridem declarabat hæc inſcriptio legi ſolita ſuper oſtium Clauſtri.

Hujus Conventus Fundatio incepit anno Domini M. CC. XLIX. Tempore Innocentii Papæ IV. Sub Generalatu Magiſtri Simonis Stock, jam miraculis Clareſcentis, Regnante Duce Brabantiæ Henrico Tertio.

Anno M. D. I. ſtylo veteri die XVII. Januarii. celebrata ſunt in hoc Carmelo Bruxellenſi Comitia Aurei Velleris a *Philippo* Archiduce Rege Caſtellæ, Maximiliani I. Imperatoris filii, creatique in iis Equites VII, quorum nomina & titulos hic damus Gallico idiomate ut in Archivis leguntur.

Wolfang Seigneur de Polheym.
Iſtel Frederick Comte de Zollern.
Cornille de Berghes Seigneur de Sevenberghes, & Grevenbroeck.
Philippe de Bourgogne Seigneur de Somerdyck, & de Blaton.
Michiel de Croy Seigneur de Sempy.
Jean de Luxembourg Seigneur de Ville & de Hamaide.
Charles d'Auſtrice Duc de Luxembourg, depuis Roy d'Eſpagne I. & Empereur V. du nom.

In medio Chori Eccleſiæ hujus Conventus olim condita fuit tumbâ elevatâ *Joanna* Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi Duciſſa &c. & circum cir-

Sepulture de la Duchesse Ienne aux Carmes à Bruxelles.

circa ejus Monumentum legebatur hæc inſcriptio litteris latinis in laminâ æneâ ſculptis.

Hier leet begraven Ghedenckeniſſe die Hooghеboren Vermogende Vorſtinne Vrouwe Jehanne, by der gratien Godts Hertoghinne van Lotryck / van Brabant ende van Limborch / Marck-Grevinne des Heyligh Ryckx / Ouſte dochter Lodewycx, Greven van Evreux / die Zoon was Philips, Coninck van Vranckryck / welcke Vrouwe Jehanne hadde drie Broeders / te weten Henricken, Janne, ende Godevaerde, die alle dry hoe wel ſy ende elck van hen aen Conincklyck bloet te huwelycken ſtate waren komen afkyvich worden ſonder ennige wittige geboorte achter te laten / ierſt te mannen hadde Willem, Greve van Henegouwe / van Hollant / van Zeelant / ende Heer van Vrieſlant / ende naer dat hy afkyvich was Wencelyn van Behem, Hertoghe van Luxemborgh ende Grave van Chiney / Allet by den levenden lyve Hertogen Jans haer Vaders voorſchreven / Ende deſe Vrouwe Jehanne hadde oyck twee ſuſteren daer af die outſte was geheeten Margerite, die te man hadde Lodowyck, Grave van Vlaenderen etc. daer af ſy hadde een dochter oock geheeten Margriete, die te man hadde Philips, Sone des Coninex van Vranckryck / Hertoge van Bourgoignen etc. daer af zy hadde drie Sonen / te weten Janne, Anthonis ende Philips. Ende d'ander hare jonckſte Suſter was geheeten Maria, die te manne hadde Reinalt Hertoge van Gelre / ende ſtarf ſonder wittige geboorte. Welcke voorſchreven Vrouwe Jehanne na dat zy LI. jaer lanck hare landen

in grooter eeren hadde beseten ende geregeert / stact oyck sonder eenige geboorte van haren lyve achter te laten int jaer ons Heeren XIV. hondert ende VI. den eersten dach van December.

Verum fatali illo incendio Urbis Bruxellensis anno 1695. per Gallos ignitis pilis & Bombis per tormenta bello injectis, hic Conventus cum Ecclesiâ & in eâ hoc Sepulchrale Monumentum voracibus flammis igne consumptum & in cineres abiit, Ecclesia quidem subsequentibus annis & Conventus restauratus est: at hoc monumentum in interitu mansit.

COENOBIUM BEGGARDORUM tertiæ Regulæ *S. Francisci* a privatis inchoatum anno 1330, origo ejus a pannificum Collegio, qui senes suos ibi nutriebant, quibus visum 1359. tertiam Regulam *S. Francisci* de pœnitentiâ assumere.

CONVENTUS FRATRUM S. DOMINICI Institutum sequentium, initia sua debet *Isabellæ Philippi Boni* Burgundiæ Brabantiæque Ducis tertiæ Conjugi, *Joannis* Portugalliæ Regis filiæ ac Matri *Caroli* Audacis, quæ litteras erectionis & construendi hoc Monasterium impetravit a *Calixto III.* Pont. Max. anno 1457. quas refert. *A. Miræus* in Donat. Belg. Lib. 1. cap. 148. novæ edit. quæ sunt hujus tenoris.

Calistus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archidiacono Bruxellensi, Cameracensis, & S. Pancratii Leidensis, ac S. Pharaildis Gandensis, Trajectensis & Tornacensis Diœcesis, Præpositis Ecclesiarum, salutem & Apostolicam benedictionem.

Piis Christi fidelium desideriis gratum Nos decet præstare consensum, & ea quæ Religionis propagationem, cultûsque Divini augmentum respiciunt, ut votivum consequantur effectum, favore prosequi gratioso.

Sane pro parte dilectæ in Christo filiæ, Nobilis Mulieris, ISABELLÆ Ducissæ Burgundiæ, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd cùm in Opido BRUXELLENSI, Cameracensis Diœcesis, quod admodùm insigne & populosum existit, nulla Domus pro inhabitatione Fratrum Ordinis Prædicatorum existat, ipsaque Ducissa, ob singularem devotionem, quam erga Ordinem ipsum & S. VINCENTIUM Confessorem gerit, desiderat in ipso Opido, in loco ad hoc congruo & honesto, unam Domum sive Conventum, pro usu & inhabitatione dictorum Fratrum, regularem vitam inibi ducentium, unà cum Ecclesia, campanili, campanis, cœmiterio, refectorio, hortis, hortaliciis, aliisque officinis necessariis, in honore sub titulo dicti S. Vincentii, de novo fundare, erigere, ac construi facere ferventer exoptat, dummodò ei ad id Apostolicæ Sedis suffragetur auctoritas.

Quare pro parte ejusdem Ducissæ nobis fuit humiliter supplicatum, ut suo pio proposito favorabiliter annuentes, ei Domum sive Conventum hujusmodi cum Ecclesia, campanili, campanis, cœmiterio, refectorio, hortis, hortaliciis aliisque officinis prædictis, in dicto Opido, in loco ad hoc congruo & honesto, fundandi & erigendi ac construi faciendi, ipsisque Fratribus, postquam constructum fuerit, illum sive illam recipiendi, & pro usu & habitatione prædictis perpetuò retinendi, licentiam concedere, ac aliàs super his opportunè providere, de benignitate Apostolica, dignaremur.

Nos igitur qui cultum Divinum nostris potissimè temporibus ubique adaugeri intensis desideriis affectamus, hujusmodi, supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica Scripta mandamus;

Quatenus vos, vel aliquis vestrum, dictæ Ducissæ Domum sive Conventum ipsum,

ſum, juxta Inſtituta & regularem obſervantiam dicti Ordinis in Opido præfato, in loco ad hoc congruo & honeſto, per ipſam Duciſſam eligendum, cum Eccleſia, campanili, campanis, cœmiterio, refectorio, hortis, hortaliciis aliiſque officinis prædictis, de novo fundandi, erigendi ſeu conſtrui faciendi, ac illam ſeu illum pro eorum uſu & habitatione recipiendi, & perpetuò retinendi, & plenam & liberam, auctoritate noſtrâ, licentiam largiamini; Diœceſani loci, aut cujuſcumque alterius licentiâ minimè requiſitâ.

Nos enim, ſi Domum ſive Conventum ipſum fundari, erigi ſeu conſtrui contingat, ut præfertur, univerſis & ſingulis Fratribus, in ipſa Domo ſeu Conventu pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis prærogativis, indultis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, aliiſque gratiis & conceſſionibus, quibus cæteræ ipſius Ordinis perſonæ & Domus, ubilibet potiuntur & gaudent, etiam uti & gaudere poſſint & debeant, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium indulgemus.

Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, illâ præſertim, quâ prohibetur, ne Fratres Ordinis Mendicantium ad inhabitandum de novo loca recipere, ſeu hactenus recepta mutare præſumant, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, nec non ſtatutis & conſuetudinibus Ordinis hujuſmodi, juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, cæteriſque contrariis quibuſcumque; jure tamen Parochialis Eccleſiæ, & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Nonis Novembris, Pontificatûs noſtri anno tertio. 1457.

Prædicta *Iſabella* ad inchoandum hunc Conventum emit domum valde amplam dictam de *Rummen* in plateâ de *Ridderſtraet* a filiis *D. Walteri van-der Noot* cum adjacentibus ædibus & fundis, quæ omnia dedit liberali dono & in puram eleemoſynam, qua de re dedit litteras ampliſſimas cum Ducali ſigillo in cerâ rubrâ anno 1463. die 8. Novembris, quas *Philippus Bonus* maritus ejus rati habuit & confirmavit die 12. ejuſdem menſis & anni.

Fundatorum etiam nomen obtinuerunt Illuſtriſſimi Duces Cliviæ *Adolphus* & *Anna Philippi Boni* & *Iſabellæ* ſupra memoratæ Ducum Burgundiæ & Brabantiæ filia, qui Chorum a fundamentis exſtruxerunt, Anniverſaria fundarunt, partem domus Conventui ceſſerunt, variaque alia beneficia præſtiterunt; qui Chorus demum perfectus eſt anno 1529.

In Chori meditullio ante conflagrationem anni 1695. conſpiciebatur inſigne Mauſolæum ære fuſum ex metallo deaurato ſuper ingentibus marmoribus ſeu potius lapidibus Lydiis præfati *Adolphi* Ducis Cliviæ, Comitis Marcani, Toparchæ de Raveſteyn, ejuſque ſecundæ & dotariæ Conjugis *Annæ Burgundicæ Philippi Boni* filiæ, extitit illud ſuper humum ad quinque pedes, & ſuperpoſita erant ſimulacra dictorum Ducum ære fuſa apparatu Ducali, ubi circumſpiciebantur triginta duo inſignia, proſapiæ partim ex Regibus, partim ex ipſo Imperatore, ſupremiſque Principibus deductæ. Antrorſum quoque ejus, ambarumque Conjugum inſignia, retrorſum inſcriptio latina, & ad imagines ſuperiores Gallico idiomate ut ſequitur.

Soubs cette lame giſt le corps de noble Memoire, d'Adolf Duc en Cleves, Comte en la Marck Seigneur de Raveſtain &c. fils puiſné d'Adolf Duc de Cleves, Comte de la Marck, & de Dame Mariæ de Bourgogne, ſœur germaine du bon Duc Philippe de Bourgougne, le quel apres avoir nourry ſon nepveu, le allia

par Mariage, a tresnoble Dame Beatrix fille de l'Infant Don Petre de Coymbre, fils, frere, & Oncle des Roys de Portugal, dont d'eux eſt demeure Philippe Duc & Comte eſdicts Pays Seigneur de Raveſtain, leur ſeul Heritier, apres le deçes de cette Dame, dont le corps giſt a Queſnoy, defunct ſe remaria a noble & Puiſſante Dame Anne fille du bon Duc Philippe, ces deux conjoincts apres avoir veſcu enſemble XXII. ans, & ayant en ce lieux dont ils ſon fondateurs eſleu leur ſepulture, le dit Seigneur Adolf delaiſſant la dicte Dame Anne Douagiere, treſpaſſa le XXVIII. jour de Septembre M. IIII^{C}. IIII. XX. XII. *& Icelle Dame Anne que cy giſt lez ſuſdit Seigneur, treſpaſſa le* XVII. *jour de Janvier* M. XV^{C}. *& un. Priez Dieu pour leurs Ames.*

Ad dextrum latus Chori non longe ab arâ Principe, fornice factâ in muro Chorum dividente, eſt Sacellum *Philippi* Apoſt. non adeo amplum ſed magnificum, exſtructum expenſis *Philippi* filii prædicti *Adolphi* & *Beatricis* ejus primæ uxoris, in quo ſub magnifico marmorio Mauſolæo jacent *Philippus de Clivia* Dominus de Raveſteyn ſupradicti *Adolphi* filius, qui obiit die 28. Januarii anno 1527. & *D. Franciſca Luxemburgica* infelicis Comitis *S. Pauli Ludovici* Francorum Regis juſſu decollati filia, quæ obiit in Flandriâ in Caſtro de Wynendaele die 5. Decembris anno 1523. cujus defuncti corpus ad hunc Conventum delatum eſt die 15. Januarii anno 1524. ubi poſtridie cum maximâ pompâ conditum eſt.

Navi hujus Eccleſiæ ad partem borealem adhæret Sacellum Regium vulgò Capella Hiſpanorum, quod erexit pietas & liberalitas Hiſpanorum, dicatum Immaculatæ Deiparæ & S. S. Virginis Roſario, quod ex refectorio hujus Conventus factum eſt & templo junctum anno 1593.

Anno 1695. hoc Sacellum cum Eccleſiâ & Conventu in cinerem & favillam redactum, poſtea a Sereniſſimo *Maximiliano Emanuele* Duce & Electore Bavariæ &c. Belgium gubernante ſolo æquatum eſt & aliud novum multo ſplendidius ædificatum fuit.

Hujus Conventus Eccleſia dein piorum eleemoſynis ſplendidiorem formam induit. Conventus paulatim reſtauratus curâ & induſtriâ *Jacobi de Bode* Prioris, qui ſexto huic Conventui præfuit, & obiit ibidem Anno 1718.

CONVENTUS FRATRUM EREMITARUM S. AUGUSTINI, ante annos CCCC. Collegium erat Fratrum Tertiariorum, alio inſtituto, ac diverſo a Beggardis capite, eâ tempeſtate viventium, ſub Miniſtri unius obedientiâ, a tenuibus initiis duorum aut trium Societate mediocriter auctum, & tandem anno 1406. Cœnobiis oppidi aſſociatum. Illi ubi per inopiam aut temporum adverſitatem res ſuas, cenſu, litteris defluxiſſe vident & jam officiis publicis haud pares eſſent, ii qui ſupererant *Fratrum Eremitarum S. Auguſtini* Anno 1589. Regulam & habitum aſſumpſerunt, & hoc modo Fratribus Eremitis *S. Auguſtini* Epiſcopali, & Senatoriâ auctoritate accedentibus, hic Conventus conceſſus eſt.

His ita conſtitutis anno 1589. die 11. Novembris hanc Coloniam novam Fra-

Fratres Auguſtiniani adierunt Lovanio egreſſi, Prior dèſignatus *Joannes Crabbius*. Hinc Fratres numero, eruditione, & re familiari plurimum aucti, anno circiter 1606. in hoc Conventu Scholas Humaniores aperire cœperunt, favente imprimis Senatu & populo hujus Urbis, quem in uſum Illuſtre Gymnaſium, in quinque claſſes litterarias diſtributum ad Sennam fluvium anno 1614. a fundamentis excitarunt, procurante *P. Nicolao Cruſenio* tunc illius loci Priore. Quod quidem adeo placuit Sereniſſimis Belgarum Principibus *Alberto & Iſabellæ*, ut in dicti Gymnaſii ædificationem non modo ingenten pecuniæ ſummam liberaliter contulerint; ſed in ejuſdem quoque frontiſpicio inſignia ſua gentilitia præfigenda mandarint.

Hujus Conventus Eccleſia, nobilis & admirandæ architecturæ a fundamentis exſtructa eſt anno 1642.

CARTUSIA titulum præfert *Domus Mariæ de Gratia*. Hi Religioſi ex loco ſuburbano, vulgo *Scheut-velt*, diruto per turbas Belgicas eorum Monaſterio, in Urbem migrarunt anno 1588. empto ad eum finem fundo dicto olim *Treeff* ab hæredibus Floriani Vitael, qui illum non ita pridem emerat ab Abbate & Conventu *S. S. Cornelii & Cypriani* Ninovienſis, quorum jam ab anno 1431. Hoſpitium ſive Domus Refugii fuerat, hunc ergo locum Cartuſiani ſibi pretio compararunt, atque paulatim in Monaſterii formam, Clauſtrum, Cellas, atque Eccleſiam perfecerunt, maximè munificentiâ & liberalitate Sereniſſimorum Principum *Alberti & Iſabellæ*, & aliorum benefactorum.

PATRES SOCIETATIS JESU Bruxellas advenêre anno 1584. & auſpicium Collegio datur anno 1586. primo propè *D. Gudulæ* commoratio, alteraque in Sabulone brevis temporis ſpatio fuêre, propter ædium anguſtias, tandem Palatium Epiſcopi Cameracenſis pretio comparata laxam ſtabilemque habitationem dedit, itaque perſtitit in eo fundo Societas, & Anno 1604. Scholas humaniores ab ipſis Principibus *Alberto & Iſabella* poſtulatas aperuit, ac præcipuâ eorum liberalitate templum illud auguſtum *D. Michaeli* ſacrum anno 1621. magno Urbis tum commodo tum ornamento eſt ædificatum, illo inſigni & nobili Architecto *Jacobo Franquart* opus perficiente. Juventus ſtudioſa gaudet ibidem nobili Gymnaſio.

PATRES CAPUCINI Bruxellis procurante Sereniſſimo Principe Parmenſi in Urbem recepti ſunt anno 1587. ejuſque liberalitate, ac diligentiâ *Leonardo de Taſſis* Curſorum Præfecto Conventum ibidem & Eccleſiam exſtruxerunt, quæ conſecrata eſt anno 1595. Auctus hic Conventus anno 1637. & rurſum Ao. 1619. quo etiam aucta eſt Eccleſia, & ædificata tria nova altaria, conſecrata a *Matthia Hovio* Archiep. Mechl. die 7. Aprilis anno 1620.

Verum cum Conventus & Eccleſia lapſu temporis abſque manifeſtiſſimo periculo ruinæ diutius ſtare non poſſent, nam in pluribus partibus rimas agebat grandes, tandem deliberatum fuit anno 1650. de novo Conventu cum Eccleſiâ exſtruendo, & veteri deſtruendo, quo circa cunctis ad ædificationem auſpicandam paratis & aptatis anno 1651. die 20. Martii primum lapidem fundamentalem Eccleſiæ & Conventus ſolemni ritu poſuit Sereniſſimus Princeps *Leopoldus Guilielmus* Archidux Auſtriæ Belgarum & Burgundionum Præfectus; quæ fabrica deinde tam proſperum etiam ac feſtinum habuit progreſſum & ſucceſſum ut anno 1652. die 14. Julii fuerit conſecrata, di-

cataque S. Patri *Franciſco*, eam ſolemnitatem peragente *Jacobo de la Terre* Archiepiſcopo Epheſino, Vicario Apoſtolico Fœderati Belgii &c. Ordinarii vices in hac functione ſubeunte: anno ſubſequente 1653. fabrica totius Monaſterii abſoluta fuit & completa non obſtante ejus amplitudine & grandi capacitate.

Fundatores hujus novæ Eccleſiæ potiſſimum fuêre Principes Illuſtriſſimi Ducatus Domus Arembergiæ Dux Arſcotanus, e quibus *Philippus Franciſcus Albertus* Dux Arembergius, Dux Arſcotanus &c. qui ad illius ædificationem liberaliter contulit XXX. millia florenorum.

Hic Conventus ſitus eſt in eminentiori Urbis loco juxta Hoſpitale *S. Juliani*, unde patet amœniſſimus æque ac latiſſimus quaqua verſum aſpectus, variiſque abundat uberrimis ſcaturientibus fontibus.

COENOBIUM CARMELITARUM EXCALCEATORUM Bruxellis initium ſumpſit anno 1610. adjutantibus & rem promoventibus ipſis Sereniſſimis Archiducibus *Alberto* & *Iſabellâ*, anno ſequenti novo Monaſterio Eccleſiæque in eorum proprio ſolo conſtruendæ poſitus eſt primus lapis a præfatis Archiducibus, & deinceps auctum perfectumque fuit ædificium ex liberalibus piorum fidelium eleemoſynis, maximeque Archiducalis Aulæ procerum donis munificentiſſimis; perfecta autem novæ Eccleſiæ fabrica & primum in ea Sacrificium Altaris oblatum die V. Octobris M. DC. XIV. ipſa die qua S. Matris *Tereſiæ* Beatificatio primum celebrata fuit.

CONVENTUS MINIMORUM Bruxellis initia ſua debet Anno 1616. *D. Helenæ de Sermoiſe* e Galliâ in Belgium profugæ viduæ *Nicolai de Rieux* Urbis Laudunenſis & Caſtri Petrifundi Gubernatoris in Galliâ, accedente favore & gratiâ Sereniſſimorum Principum *Alberti* & *Iſabellæ*. Comparatâ ampla & utcumque magnificâ domo in editiore Urbis loco, eam ad uſus eorum Monaſticos adaptarunt. Ad ſitum Monaſterii & fabricam quod attinet, ſitus (utpote in eminentiori loco) amœniſſimus eſt, aere totius Urbis ſaluberrimo perfuſus, tum quæ hactenus ædificata ſunt, ſplendida & auguſta.

Anno 1621. templi Auguſtiſſimi eorum jacta fundamenta, cujus primum fundamentalem lapidem poſuit Sereniſſima Belgarum Princeps *Iſabella Clara Eugenia*; verum annis plurimis inchoatum manſit: at nuperis annis novis animis iterum opus hoc exſtruere aggreſſi ſunt, atque anno 1715. ad culmen perductum eſt.

PATRES CONGREGATIONIS ORATORII JESU Inſtituti *Petri Berullii* S. R. E. Cardinalis primitus e Galliâ evocati, Bruxellis advenere anno 1633. favore & gratia *Jacobi Boonen* Archiep. Mcchl. Hi Patres in Baſilica *D. Gudulæ* & alibi in eâ urbe magno animarum fructu variis functionibus ſacris intendunt.

ALEXIANI ſepulturæ potiſſimum operam navantes, nullis ſacris Ordinibus initiati a *Joanne Colay* dotati ſub tutelâ eleemoſynariorum ac ſub tertia Regula *S. Franciſci* in Urbe recepti ſunt anno 1368.

COE-

COENOBIA VIRGINUM.

BEGINASIUM ſub titulo *B. Mariæ Virginis de Vinea*, ſitum, poſitumque in Parochiâ Molenbecana ad novam foſſam ejuſdem Urbis opportuno & amœno loco eſt, inter Labenſem & Vilvordienſem portam locum occupat velut peninſula quædam, ita foſſis aqueis fluvioque undique alluitur, olim ſitum extra Urbis ſepta; ſed per ultimum Urbis hujus augmentum anno 1357. intra mœnia hujus Urbis. Ejus fundationem referunt ad annum circiter 1230. a *Reynero Breeteycken* Presbytero factam, venerunt autem in hunc locum primitus illæ, conſentiente Decano & Capitulo *S. S. Michaelis & Gudulæ*, & Presbytero ſeu Parocho de Molenbeca, abſolutæque dein ſunt ab eâdem Parochia, ſic ut proprios Sacerdotes habere poſſent in Eccleſiâ ſuâ; ita ut modo regantur in rebus ſpiritualibus ab uno Presbytero quem Curatum, hoc eſt Parochum, vocant, cui coadjutores aliquot Sacerdotes alii conjuncti ſunt; præterea e ſenioribus plerumque habent quatuor directrices, ut rem hujus loci communem ac temporariam junctis conſiliis moderentur, deque moribus ac diſciplina inhabitantium aliquid ſtatuant.

Anno 1275. Jus Patronatus quod habebat in hac Eccleſiâ, Altaribus, Curato, Capellanis, & aliis &c. Decanus & Capitulum *S. S. Michaelis & S. Gudulæ & Arnoldus* Abbas Villarienſis transferunt in Abbatem *S. Bernardi* ad Scaldim Ord. Ciſterc. approbante *Joanne I.* Duce Brabantiæ, qui viciſſim concedit Capitulo liberam electionem ad duas præbendas Canonicales, quod jus Patronatus præfato Abbati etiam hodie competit, eoque jure utitur Epiſcopus Antverpienſis uti Succeſſor jurium Abbatis *S. Bernardi* per conventionem initam anno 1649. in diſmembratione ejuſdem Epiſcopatus a præfatâ Abbatiâ *S. Bernardi.*

Eccleſia hujus Beginaſii quæ multum inſignis eſt, & Architecturæ admirandæ dicata eſt *S. Joanni Baptiſtæ*; ea exſtrui cœpta eſt Anno 1657.

BEGINASIUM MINUS initium ſumpſit circa annum 1663, curâ Venerab. Viri *Joannis Vernimmen* Presbyteri Oratorii *Jeſu*, in cujus perennem memoriam ibidem in Eccleſiâ parieti inſertum eſt inſigne marmoreum Monumentum cum hac inſcriptione.

D. O. M. & Memoriæ Reverendi Admodum Patris *Joannis Vernimmen* Winocibergenſis J. U. L. Oratorii D. Jeſu Præsbyteri, & pluries Aſſiſtentis, hujus Beginaſii ad uſus pauperum puellarum Inſtitutoris, Verique ac magnifici Patris, hoc grati animi Monumentum piæ filiæ poſuerunt. Obiit 31. Julii 1677.

NOSOCOMIUM publicum *S. Joanni* inſcriptum, vulgo *St. Jans op den Poel.* (ubi omnis generis cura, & ære publico per Medicum & Chirurgum peculiares foventur & curantur) ab *Godefrido I.* Duce inſtitutum & dotatum non mediocriter; cujus templum anno 1131. ab *Innocentio II.* Pont. Max. adſtantibus pluribus Epiſcopis dedicatum. Quæ vero fuerit cauſa adventus Pontificis in Belgicam noſtram paucis ediſſeram. Is *Innocentius II.*

Honorio II. Papâ defuncto anno 1130. legitime creatus & *Anacleti II. Petri Leonis* dicti per Sciſma Subrogati potentiam fugiens in Galliam migravit, Noviomo, Cameraco, aliiſque Urbibus luſtratis Ao. 1131. menſe Martio Leodium ad *Lotharium* Imperatorem ſe contulit, inde Brabantiam profectus, aliquam Bruxellæ moram traxit, templum hujus Noſocomii in honorem Virginis Deiparæ *Mariæ*, *S. S. Petri & Pauli*, *S. Stephani*, *S. S. Medardi & Gildardi* Anno 1131. Eidus Octobris ſolemni ritu conſecravit, a *Divo Joanne* interim retinente Xenodochio nomen. Diploma Pontificium refert *A. Miræus* in Cod. Piar. Donat. Cap. LXXXIV. novæ edit. ut ſequitur.

Henricus de Bergis, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Cameracenſis univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis, pariter & audituris, ſalutem in Domino ſempiternam.

Quoniam pium eſt & rationi congruum, veritati teſtimonium perhibere, in iis præſertim, per quæ ſalus procuratur animarum, devotioque creſcit in populo, & cultus augetur divinus, hinc Univerſitati veſtræ notum facimus, ac tenore præſentium fideliter atteſtamur, quòd litteras fel. record. Innocentii Papæ, conſecrationis, dedicationis & Indulgentiarum Eccleſiæ S. Joannis Bruxellenſis, noſtræ Diœceſis, cum ſigillo oblongo, in cera viridi impendente impreſſo ſigillatas, nobis per dilectos nobis in Chriſto Mamburnos & Gubernatores hoſpitalis dictæ Eccleſiæ S. Joannis præſentatas, nos cum ea, quâ decuit, reverentiâ recepimus, ejuſmodi ſub tenore.

1131. Anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo triceſimo primo, Idibus octobris regnante Lodovico ſeniore in Francia, Dominus Papa Innocentius Eccleſiam iſtam dedicat, in honore B. Mariæ Virginis, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & B. Stephani Protomartyris, & beatorum Confeſſorum pariterque Pontificum Medardi & Gildardi. Quo facto, hujus dedicationis diem tot annis agi ſolemnem à populo celebri feſtivitate inſtituit, quot & peccatorum veniam ſe adepturos, & Domini gratiam promerituros incunctanter ſe à Sede Apoſtolica, ex auctoritate B. Petri, ſcirent, qui ad hunc diem ſingulis annis convenire, hunc ſolenniter peragere, hunc diem cum ſpirituali jucunditate, cum cordis puritate & animi pia devotione, ex juſſu & auctoritate Apoſtolica celebrarent.

Exterarum autem regionum plebes ne peractæ benedictionis, & tantæ gratiæ, & tanti muneris haberentur expertes, trium menſium tempus dominus Papa indicit, ut locum veniæ, donum gratiæ, in hac domo orationis perciperet, quicumque huc hoc tempore, cum devoti cordis ſacrificio, adveniret, & condignâ ſatisfactione à præteritis reſipiſceret. Huic autem dedicationi interfuerunt,

Hugo Rotomagenſis Archiepiſcopus, Oſtienſis Epiſcopus.
Mattheus Albanenſis Epiſcopus.
Alberus Virdunenſis Epiſcopus.
Gaufridus Catalaunenſis Epiſcopus.
Aluisus Atrebatenſis Epiſcopus.

Poſt quarum quidem litterarum præſentationem & receptionem, nobis & per nos, ut præmittitur, factas, fuimus per præfatos Mamburnos & Gubernatores dicti Hoſpitalis, debita cum inſtantia, requiſiti, quatenus ipſas præinſertas litteras auctoritate noſtrâ ordinariâ tranſumptari, exemplari & collationari, ac in publicam tranſumpti formam redigi facere, nec non aliquas Indulgentias eis concedere dignaremur.

Nos Henricus Epiſcopus præfatus, attendentes poſtulationem ejuſmodi fore juſtam & rationi conſonam, quodque juſta petentibus non eſt denegandus aſſenſus, idcirco dictâ noſtrâ ordinariâ auctoritate, litteras iſtas præinſertas, in præſentia Reverendi in Chriſto Patris Domini Godefridi, eadem gratiâ Epiſcopi Dagnenſis, noſtri Suffraganei, ac nobilis viri Domini Rolandi de Mol militis, *Reineri de Atrio* Canonici Anderlechtenſis, *Servatii de Kerhoven* Presbyteri, Leodicenſis Diœceſis, noſtri Capellani & *Franciſci Lupart* Clerici ac noſtri Secretarii, Rectoris parochialis Eccleſiæ de Celles, noſtræ Diœceſis, legimus atque tenuimus. Et quia illas ſanas & integras, non vitiatas, non cancellatas, neque in

aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspicione carere reperimus, eas ratas & gratas habentes & approbantes, ipsas per nostrum Secretarium inibi, in prælibatorum dominorum conspectu, exemplari, collationari, ac transumptari, & in publicam transumpti formam redigi fecimus....

In quorum & omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, præsentes litteras fieri & per Secretarium nostrum subscribi, sigillique Cameræ nostræ jussimus appensione communiri.

Datum Bruxellæ nostræ Diœcesis, XXII mensis Novembris, anno Domini MCCCCXCVII. 1497.

Olim in hoc Xenodochio Fratres & Sorores dicti infirmis subserviebant. Certas vitæ leges quas sequerentur acceperunt a *Joanne II.* Cameracensium Episcopo, Regulaque eis confirmata ab Episcopo anno 1220. Nunc solæ Sorores, sed magno numero ægris subserviunt.

Porro templum *S. Joannis* hujus Xenodochii, de quo in Diplomate, quod antiquissimum esse dicitur totius Urbis, subest Rectori & edituis secularibus, Religiosæ vero non nisi Chorum suis usibus tenent. Hoc Nosocomium, ejusque templum multum deformatum est fatali illo & infausto Urbis Bruxellensis incendio Anno 1695. at plurimum restauratum, per plura indulta Sortilegia vulgo *Lotteryen.*

COENOBIUM S. GERTRUDIS. prope Scalam majorem Basilica *D. Gudulæ* olim fuit Hospitale *B. Mariæ* & XII. Apostolorum, cum matrona *Riseldis* Virgo locum suum *D. Gudulæ* vicinum *Alberto* Parochiano in pios usus contulisset; is domum Hospitalitatis *B. Mariæ* & XII. Apostolorum ibi fundavit; hanc donationem tabulis confirmavit *Godefridus Barbatus* Lotharingiæ & Brabantiæ Dux anno 1138. Diploma recitat *A. Miræus* in Dipl. Belg. Lib. I. Cap. LVII. novæ edit. En Diploma.

In nomine Summæ & Individuæ Trinitatis. Notum sit tam futuris quàm præsentibus, quòd matrona quædam RIKELDIS videlicet locum quendam atrio S. Michaëlis, sanctæque Gudilæ continuum, omnique jure hereditario liberum in spem æternæ retributionis, ad usus pauperum, Alberto Bruxellensi Parochiano atque Canonico tribuit, in quo ipse Domum Hospitalitatis, in honore sanctæ Mariæ semper Virginis, & duodecim Apostolorum, impensâ rerum suarum, à principio fundavit.

Cui adhuc consolatione temporalium carenti, quidam fidelium divinitus inspirati, manum benignitatis extenderunt, & partem patrimonii sui, ad recreationem pauperum intulerunt; Fastradis curtem unam, Frideburgis unam, Everwinus Carens bonarium culturæ, Hugo dimidium bonarium, Theodericus de Molla bonarium & dimidium, Oda, quæ dicebatur Rufa, dimidium bonarium, Elterus quartam partem bonarii, Everwinus de Scarenbeca unum bonarium prati, unum culturæ, tres modios annonæ de molendino, & partem decimæ in *Haren.*

Iis se sic habentibus, & Alberto, bonæ memoriæ viro, viam universæ carnis ingresso, ego Folbertus, Christianæ Religionis Professor minimus, tam ex præcepto Godefridi Ducis Lotharingiæ, quam exhortatione Burchardi Episcopi, & utriusque sexûs petitione populi, præfatam domum procurandam suscepi: cui sollicitudinem & laborem, ad honorem Dei & salutem animæ meæ, prout potui, vigilantiùs impendi.

Eidem Hospitali præfatus Episcopus, Deo inspirante, & nostrâ admonitione inductus, reditus Altaris, quod est in *Etterbeke* ad usus pauperum, pro salute animæ suæ, assignavit, & habendos in perpetuum canonicâ auctoritate confirmavit.

Quia verò dotes præfati Altaris, videlicet viginti unum bonaria culturæ, incuriâ præcedentium personarum, ab eodem alienatæ fuerunt, quadraginta duobus & ducentorum quinquaginta modiorum annonæ impensâ, tandem eas Ecclesiæ diligenter restituimus.

Præterea ſex bonaria, quæ ad Godefridum, filium Theoderici, jure hereditario deſcenderant, ab eodem Godefrido, in præſentia heredum non reclamantium, novem marcis comparavimus; quibus in poteſtate prænotati Principis liberè traditis, præfatam domum Hoſpitalitatis, per manus ipſius, in præſentia multorum, iis donari imperavimus.

Iis Everwinus Dives unum bonarium, in remiſſionem ſuorum peccatorum, addidit: iis præterea unum bonarium addidimus, quod ab heredibus Franconis Lupi comparavimus.

Teſtes & aſſenſum præbentes filii Ducis,
GODEFRIDUS ſcilicet & HENRICUS.
Teſtes, Waldricus Godeza, Arnoldus, Capellani.
Leoninus Franco Caſtellanus.
Arnoldus Dapifer.
Egebertus de Bigardis.
Gerardus Hurat.
Giſeluius Franco, Pincerna,
Henricus de Spalt,
Euwinus de Scarenbecca,
Goſuinus Clibinc, Franco Canus.
Egericus, Arnoldus de Wideſcat,
Goſwinus, Balduinus, Meinardus, Scabini.

1138. Actum Bruxellæ, anno Verbi Incarnati milleſimo centeſimo triceſimo octavo.

Ego GODEFRIDUS Dux Lotharingiæ recognovi, & ſigilli mei appenſione hæc inconvulſa manere volui.

Hoc Hoſpitale deſiit & Virgines Religioſæ inibi degunt *S. Auguſtini* Regulam ſectantes ſub juriſdictione Ordinarii, quibus etiam vivendi Regulam præſcripſit anno 1255. *Nicolaus* Epiſcopus Cameracenſis.

COENOBIUM S. ELISABETHÆ Canonicarum Regularium *S. Auguſtini*, tali initio propagatum eſt. Loco cui palus olerum nomen erat cis *B. Laurentii* Sacellum, recluſæ aliquot Virgines Deo famulabantur, impetrato per Sacerdotem Religioſum *Arnoldum van Rienevelt* ab *Hinckartiis*.

Donec *Margareta van Bruele* ſub tertia *D. Franciſci* Regula ibidem Deo militans pio religionem propagandi tacta deſiderio inſtitit ut Cellaria hæc in Cœnobium Virginum recluſarum mutaretur; adeoque rem ope & favore ſuo *Eliſabetha* Portugallenſis *Philippi Boni* Ducis Conjux adjuvabat anno 1420. & 1422. ut *Joannes Liedekerckius* Cameracenſis Epiſcopus Regulam *S. Auguſtini* anno 1434. die 7. Auguſti eis præſcripſerit. Hæ Virgines ſubſunt Ordinario.

COENOBIUM S. PETRI Canonicarum Regularium Ord. *S. Auguſtini*, vulgo *St. Peeters ter Sieken*, in colle ſuburbano olim Bruxellenſi nunc partim intra mœnia clauſo, poſt ultimum videlicet hujus Urbis augmentum ampliataque mœnia anno 1357. ſitum.

Incolunt illud Virgines inſtituti Auguſtiniani ſub auctoritate tamen & Juriſdictione Ordinarii. Anno 1269. *Joannes I.* Brabantiæ Dux eis locum dat atque fundum in pago Opbruxellenſi, olim extra Urbis ſepta in quo Monaſterium tunc conſtitutum erat, ut lepra infectis Cives inibi a Virginibus foveantur.

Cæternm hoc in loco a parvis initiis hic res religioſa cœpit, primum duæ honeſto loco natæ Virgines, collata in medium modica pecuniola ædificationem

nem hoc in loco inchoarunt in ſolatium leproſorum, quorum numerus per ea tempora frequens erat, ut nos leproſaria paſſim ubivis condita docent; cum enim tempore Jeroſolymitanæ expeditionis ſæpius a Belgis, Francis, Germanis &c. repetitæ, plurimi iſtorum e Judeâ leproſi domum redirent, plurima quoque ubique ac nominatim hic in Brabantiâ erecta fuêre leproſaria majora, quibus hujuſmodi infectum hominum genus recipiebatur: ita hoc in loco qui in pago Opbruxellenſi ſitus erat; & hoc ſemel notaſſe ſat eſt.

Harum Virginum exemplo permotæ tres aut quatuor aliæ Virgines ſeſe duabus illis Prioribus ſocias adjunxerunt, præhabitaque ab Epiſcopo Cameracenſi licentia Monaſteriolum ædificarunt, Capellam primo ligneam, exinde lapideam conſtruxerunt, quæ anno 1228. conſecrata fuit. Ipſæ vero Virgines annuente dein Cameracenſi Epiſcopo habitum & Regulam *S. Auguſtini* aſſumpſerunt, & Canonicam inibi profeſſionem emiſerunt. Quo autem anno hoc præcisè factum ſit, hactenus nos latet.

Hæ Religioſæ exinde ſenſim varia & elegantia ædificia ſuis uſibus apta conſtruxerunt, ad Eccleſiam quod attinet ea aliquoties immutata fuit, & anno 1717. deſtructa veteri, nova inſignis & ſplendida ad Urbis muros a fundamentis exſtructa eſt. Hæ Virgines etiam ſubſunt Ordinario.

COENOBIUM *titulo & exemplo S. Mariæ Magdalenæ dictum Betania* olim inſtitutum proad meliorem frugem converſis mulieribus, cujus initia debentur anno 1506. *Marco Steinbroek* Plebano & Canonico *D. Gudulæ* relinquente ad uſus hos pios domum ſuam, accedente ad hoc Capituli & Magiſtratus conſenſu.

Pœnitentes quæ huc ex magno animæ naufragio evaſerunt, primo certam ad cujus præſcripta viverent, Regulam non habuerunt; auctæ numero certam vivendi legem acceperunt, & denique inſtitutum *S. Auguſtini* reformatæ ſuſceperunt, & ſubſunt Juriſdictioni Ordinarii.

Hoc Monaſterium cum Eccleſiâ generali illo ac funeſto Urbis Bruxellenſis incendio anno 1695. in cineres redactum eſt, parietibus ſolum exſtantibus, dein iterum ſenſim reædificatum priſtinum ſtatum obtinere cœpit.

COENOBIUM B. MARIÆ VIRGINIS *Sub titulo Roſæ plantatæ in Jericho* Ordinis Canonicarum Regularium *S. Auguſtini* Prioratus, olim Monaſterium *S. Catharinæ*, ſive *Albarum Dominarum*, nuncupatum, vulgo *Witte Suſters*, ab habitu nimirum in integrum candido, ſecundum inſtituta Canonicarum Regularium *S. Victoris* propè Pariſios viventium, per Brabantiæ Duces ab antiquo fundatum & erectum, quo autem anno hactenus aſſequi non potuimus. Cumque ſupradictæ Victorinæ Virgines ſenſim ſolutius, quam par erat, viverent, *Philippus Bonus* & *Iſabella* Portugallenſis ejus Conjux Duces Burgundiæ, Brabantiæ &c. ſubſtituere earum loco 1456. Sanctimoniales Ord. Canonicarum Regularium Monaſterii Virginum propè ſeptem Fontes dicto *Ter Cluyſen*, id eſt ad Cluſam ſive Recluſorium, quæ incenſo, & in cineres redacto illic earum Monaſterio Bruxellas ſe receperant, eæque ſub certis conditionibus & legibus de conſenſu Epiſcopi Cameracenſis in hoc Monaſterio ſedem fixerunt, illudque hactenus incoluerunt.

Situm eſt hoc *Jerechuntinum* Cœnobium juxta forum frumentarium Bruxellenſe, ſubeſt ab anno 1445. Priori Viridis Vallis, & ab anno 1438. antequam Bruxellas migrarunt clauſuram ſuſceperunt.

NIGRÆ SORORES. ita ab habitu dictæ ex præscripto *S. Augustini* viventes, & ægris operam suam totâ urbe locantes, Bruxellis ab annis ferè CCCC. exstitisse probantur, & initium sumpserunt a sex, quæ multiplicatæ & habitum & Regulam post assumpserunt.

COENOBIUM VIRGINUM primam *S. Claræ* Regulam, paupertate & abstinentia sequentium, vulgo *Pauperes Clarissæ*, cœpit hoc loco, ubi antea longo tempore tertiariæ Collectæ vixerunt ante annos CCC. in fine seculi XV.

Hæ Virgines hoc arctius vitæ genus volentes lubentesque amplexæ sunt, adjuvante pios hos in Domino conatus *D. d'Esau* anno 1502.

CLARISSÆ DIVITES vernacule *Rycke Clareu*, latinè *Urbanistæ*, secundæ Regulæ *S. Francisci*. Earum Monasterium anno 1343. suo ære exstruxit ac dotavit *Guilielmus Duvenvoirde* nobilissimâ apud Batavos familiâ natus, Dominus de Dongen & Oisterhout in loco Opbruxellâ ad muros Urbis Bruxellensis, ubi hic fundator honorificè conditus fuit anno 1353. cujus tumulum unâ cum Monasterio civilia apud nos bella exciderunt.

Hæ Moniales vastato & exciso eorum Cœnobio in Urbem migrarunt, ac stabilem sedem fixerunt anno 1585. eo ipso loco, quo Fratres Hieronymiani sivè vitæ communis Cœnobium & Gymnasium litterarum olim habuerunt, haud procul a Basilicâ Parochiali *S. Gaugerici* accedente ad preces Senatus, Pontificiâ & Archiepiscopali auctoritate.

Et notandum hos Fratres vitæ communis olim hic habuisse Domum dictam *B. Mariæ de Nasareth* seu Annuntiationis Deiparæ, fundatam circa annum 1460. a *V. N. Philippo Heetveldio* prope Ecclesiam Parochialem *S. Gaugerici* ad Sennam fluvium.

Erant illi Clerici docentes humaniores litteras, non modo Bruxellæ, sed & in pluribus Belgii Civitatibus. Ex eâdem scholâ prodiit *Joannes Miræus* Antverpiensium Episcopus, aliique plurimi viri clarissimi; sed Calvinistis Belgium ipsamque Bruxellam perturbantibus circa annum 1580. desiit hæc domus a Fatribus inhabitari. Posteaque demandatum fuit onus docendi humaniores litteras P. P. Societatis, uti & paulo post Augustinianis.

Dein anno 1345. dotavit hoc vetus Monasterium Clarissarum amplis redditibus *Guilielmus* præfati filius Dominus de Donghene tabulis Mechliniâ datis, quæ in *A. Miræi* Donat. Belg. Lib. I. Cap. CXLI. novæ edit. recitantur ut sequitur.

In nomine Domini amen. Per hoc publicum Instrumentum cunctis pateat, quòd anno 1345. Vir strenuus Willelmus de Duvenvoirde junior, Dominus de Donghene, Miles, dedit in puram eleëmosynam *D. Ægidio de Bake* Presbytero, Provisori Monasterii in honore B. Claræ Virginis, Bruxellæ per Guilielmum de Duvenvoirde seniorem, Dominum de Oisterhout, Militem, Patrem prædicti Willelmi junioris, de novo constructi & fundati, omnes reditus & census acquisitos erga Joannem de Bouchout Dominum de Loenhout, Militem, in Wavera S. Mariæ, Putte, Beersele, Ieteghem, Riemenam & Zellaer.

1345. Acta sunt hæc Machliniæ, anno ut suprâ.

ABBATIA ET CONVENTUS Nobilium Anglicanarum Virginum sub Regulâ *S. Benedicti* initia sua sumpsit anno 1599. favore & auxilio sereniſſimorum Principum *Alberti & Isabellæ*. Primæ Virgines quæ hoc Monasterium fundarunt, venere Remis ex Galliâ, quæ piorum opibus adjutæ, ædes

ædes sibi pretio compararunt *D. Rolandi Longin* Equitis & Vicecomitis Bergis *S. Winoci*, sitas ad gradus Basilicæ *SS. Michaelis & Gudulæ*, easque ad usus eorum Monasticos instruxerunt. Dicatus est hic Conventus sub titulo Virginis *Mariæ* in cælos assumptæ.

Hoc Cœnobium quasi sacrum asylum est pro nobilissimis Angliæ Virginibus quæ pro fide Christianâ rapinam bonorum suorum cum gaudio suscipientes in his partibus exulant. Ex hoc Monasterio prognatæ sunt Abbatiæ Benedictinarum Anglicarum Gandavi, Dunchercæ, Ipris, & Pontesii (vulgo Pontoise) in Galliâ ad Sequanum fluvium.

Cæterum admiratione dignum est, quod hæ Religiosæ Virgines maluerint amplis dotationibus carere, ipsis a Sereniſſimâ *Isabellâ Clarâ Eugeniâ* Belgarum Principe præsentatis, ne libertatem & liberam electionem amitterent, eligendi sui Monasterii Abbatissas.

SERIES ABBATISSARUM.

I. D. Joanna Barkley, Benedicta die 14. Novembris anno 1599. per *Matthiam Hovium* Archiep. Mechl. Obiit 1616.
II. D. Maria Percey. Obiit 1642.
III. D. Agnes Lenthalt. Obiit 1651.
IV. D. Alexis Blanchard. Obiit 1652.
V. D. Maria Vavasour. Obiit 1676.
VI. D. Anna Forster. resignavit 1682.
VII. D. Dorothea Blundell. Obiit 1713.
VIII. D. Theodosia Waldegrave. Obiit die 12. Decembris anno 1719.
IX. D. Maria Crispe. Benedicta Mechliniæ die 4. Februarii 1720. per Eminentissimum D. Archiepiscopum S. R. E. Cardinalem. Hodie præest.

COENOBIUM VIRGINUM DISCALCEATARUM. Primum hujus Belgii, Regio plane sumptu, a fundamentis excitarunt, ampliſſimèque dotarunt Sereniſſimi Belgarum Principes *Albertus & Isabella* anno 1607. Saxo fundamentis substrato. Hic titulus, rei apud posteros testandæ scriptus

Albertus & Elisabetha
Clara Eugenia Hisp. Infans
Duces Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ,
Limburgi, Luxemburgi & Geldriæ,
Comites Habsburgi, Flandriæ, Artesiæ,
Burgundiæ, Tirolis Palatini,
Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci,
& Zutphaniæ
Marchiones sacri Imperii Romani
Domini Frisiæ, Salinarum, Transisulanæ
Oppidorum, & Territorii Mechliniæ,

Trajecti & Groningæ.
Dedicarunt anno M. DC. VII.
Deo Opt. Max.
Et Mariæ Virgini
D. Annæ
atque
D. Josepho.

Ex hoc Monasterio plurimæ velut sacræ Virginum Coloniæ in Germaniam nostram inferiorem ac superiorem, ac ipsam quoque Poloniam, *Sigismundo* Rege ejusque Conjuge evocantibus, sunt deductæ ac propagatæ.

Monasterii hujus ac aliorum Belgii in spiritualibus initium debetur Vener. *Annæ de Jesu*, quæ ex primis *S. Teresiæ* Sodalibus in Belgium venit, ab *Alberto* & *Isabella Clara Eugenia* optimis Principibus nostris invitata; quæ demum laboribus, senio, morbisque exhausta die 26. Februarii anno 1612. in hoc Cœnobio piissimè in Domino obdormivit. Ad cujus defuncti corpus spectandum ac terræ mandandum magnus fuit Aulicorum ac civium concursus, quod pietatis officium & ipsi Belgarum Principes præstiterunt.

Anno eodem 1612. idem Sereniſſimus Belgarum Princeps *Albertus* sacrum corpus *S. Alberti* Leodiensis Episcopi Præsulis sibi cognominis Remis anno 1192. ab impiis cæsi, Bruxellas transferri curavit, & suis humeris in hoc Cœnobio magna celebritate invexit die XI. Decembris.

Anno 1618. iidem Principes pro singulari erga Religiosas Virgines affectu insignem fontem in hoc Monasterio, quamquam alto loco situm, ex vicino ferarum vivario derivarunt.

ANNUNTIATÆ VIRGINES primum in Gallia a *B. Joanna Valesia* Franciæ Regina institutæ huc e Cœnobio Antverpiensi venerunt anno 1616. Sereniſſimis Belgarum Principibus *Alberto* & *Isabella* primum lapidem in fundamentis templi ponentibus.

Illustre COENOBIUM Nobilium Virginum Regularium seu Canonicarum sub Regula *S. Augustini* viventium, suo ære a fundamentis excitavit ac dotavit Excellentissima *D. Margareta de Lalaing* Comitissa de *Berlaimont* anno 1627. *Urbano VIII.* Pont. Max. approbante, unde & Monasterium *Berlaimont* communiter hodiedum appellatur. Primæ Religiosæ anno prædicto feria 3. post Pentecoste, præsente Sereniſſimâ Principe *Isabella*, a *Jacobo Boonen* Archiepiscopo Mechl. veste Regulari sunt indutæ. Earum institutum est ad bonos mores & pietatem instruere puellas adolescentulas.

MONASTERIUM VIRGINUM BRIGITTINARUM erexêre Bruxellis Sereniſſimi Belgarum Principes *Albertus* & *Isabella* circa annum 1619. Primæ quæ hanc Coloniam plantarunt venêre Teneræmundâ.

CAPUCINÆ VIRGINES Bruxellis admissæ sunt anno 1658. Primæ Religiosæ advenêre Cortraco anno 1659. menſe Decembri numero VI. quæ fundationem feliciter inchoarunt, ac promoverunt, earum prima Mater

ter Ancilla de Cortraco dicta *Maria Franciſca de Mechliniâ*. Anno 1666. fundamentalem templi lapidem poſuit Excellentiſſimus *D. Franciſcus de Moura-Cortereal* Marchio Caſtelli-Roderici Belgarum & Burgundionum Præfectus.

VISITANTINÆ VIRGINES ſive Filiæ *B. Mariæ* Inſtitutionis *S. Franciſci Saleſii* Epiſcopi Gebenenſis in hac Urbe recepti ſunt anno 1650.

Porro Anno 1721. ex hoc Monaſterio Viennam Auſtriæ evocatæ ſunt ſex Moniales a Sereniſſima *Guilielmâ Ameliâ Joſephi I.* Cæſaris viduâ, ut ejuſdem Inſtituti Monaſterio fundamenta, formam & Regulam darent.

DOMINICANÆ ANGLICANÆ hic ſedem fixerunt Auſpiciis & fundatore Eminentiſſimo *Philippo Thoma Howard*, Excellentiſſimi D. Norfolciæ & Arundeliæ Comitis filio S.R.E. Cardinale, Ord. F.F. Prædicatorum, qui obiit Romæ 1697. die 17. Junii.

Primitus hæ Moniales fuêre Vilvordiæ anno 1660. prima Prioriſſa conſtituta Sorore *Lucia de Hertoghe* alias *Paddeſchoot* ex Monaſterio Tamiſienſi de licentia Epiſcopi Gandavenſis, cui Virgines Dominicanæ Tamiſienſes ſubſunt; ſed cum hic locus belli tempore non eſſet ſatis tutus ac ſecurus ab hoſtium incurſionibus, inde placuit migrare Bruxellas, ubi obtentâ facultate Regiâ & Archiepiſcopali anno 1669. ædificium quoddam magnum inſtar caſtri cum Sacello & horto ampliſſimo, quod olim *Het Spellekenshuys*, nunc *Pelicanus* vocatur, a Patribus Oratorii qui illud inhabitaverant, & ad locum commodiorem transmigraverant, emit prædictus Cardinalis pretio XX. florenorum millibus, quibus perſolutis, prædictas Moniales in quadrageſimâ ejuſdem anni Vilvordiâ Bruxellas deduxit ad novum illud Monaſterium inchoandum, quod etiamnum inhabitant.

URSULINÆ VIRGINES, quæ puellis piè educandis & inſtituendis potiſſimum dant operam ſub Regulâ *S. Auguſtini*, Bruxellis ſedem fixerunt anno 1662. Primæ quæ hanc ſacram Coloniam plantarunt venere Montibus.

VIRGINES LOTHARINGÆ Congregationis *B. Mariæ* ſub Regula *S. Auguſtini* Monaſterii *S. Nicolai* in Lotharingiâ, propter belli incommoda Luxemburgum commorantes. Hujus Monaſterii nonnullas Religioſas Bruxellas evocavit anno 1638. Excellentiſſima *D. Henrica a Lotharingia* Principiſſa de *Phalſeburg* & de *Lixim* ut ſedem figerent in hac Urbe Palatinâ, eiſque obtentis ad hunc finem partem ædium ſuarum inhabitare benevolè conceſſit. Poſt ſeptem annorum decurſum, cum votis ejus, non fieret ſatis, & res uti ſperaverat non ſuccederet, Illuſtriſſima Principiſſa Aurelianenſis ex hiſce Religioſis anno 1643. nonnullas ſecum in Galliam deduxit, ubi eis optimâ fundatione Monaſterium exſtruxit. Hoc perſpiciens ſoror ejus D. Principiſſa de Lixim a Superiore Monaſterii Luxemburgenſis expetiit ut ei aliquot Religioſas pro continuanda juventutis femineæ inſtructione Bruxellis ſubmitteret, quam exercebant in ædibus hujus Principiſſæ, ubi aliquot annis degentes ex hoc charitatis officium magno cum fructu exercentes, ſuperatis difficultatibus plurimis a Magiſtratu Bruxellenſi tandem publicè admiſſæ ſunt anno 1663. licet jam inde ab anno 1649. die 14. Januarii litteras pa-

Ex Archivis Monaſterii.

tentes (ut vocant) a *Philippo IV.* Hiſp. Rege obtinuiſſent. Primitus hæ Virgines privatorum ædes in eadem Urbe conductas incoluerunt, eâ intentione & mente ut eas pretio ſibi compararent; ſed plurimis ſupervenientibus moleſtiis & difficultatibus ſuper earum emptione, a Magiſtratu eis conceſſum, ut ædes D. de *Bie* emptione ſibi compararent; quod cum votis earum ſuccederet, placuit eo migrare, ubi ſtabilem hactenus ſedem fixerunt, eamque habitationem in Cœnobii formam, ſacello, cellulis, aliiſque clauſtralibus officinis, per vicinarum etiam ædium applicationem præpararunt, ubi aſſiduâ hactenus Virguncularum inſtructione & formatione, popularem affectum ad ſe pertraxêre.

SUBURBANUM BRUXELLENSE.

Primum a parte Auſtrali occurrit *Elſenum*, & in eo ob celebre Salutiferæ Crucis memoriam Sacellum, a magnâ frequentiâ hominum adiri ſolitum, in quo divina peragunt Canonici Regulares Montis Frigidi.

Abbatia Cmeraæ. Cujus in viciniâ *Pennebeca*, eſt Ciſtercienſis Inſtituti Abbatia Virginum vulgo *Camera B. Mariæ.* Fundatio ejus referenda eſt ad annum 1201, quo *Henricus I.* Lotharingiæ & Brabantiæ Dux, ejuſque Conjux *Machtildis*, *Mathæi* Comitis Bononienſis filia contulerunt Religioſæ Sorori *Giſlæ* (*Gildam* alii vocant) locum juxta Bruxellam qui vocatur *Pennebeke* (ita locus dictus in quo Monaſterium ſitum) ad conſtruendum inibi Cœnobium Sanctimonialium in honore Dei & B. Virginis *Mariæ*, quam fundationem *Joannes* Cameracenſis Epiſcopus confirmavit anno 1202. utriuſque Diplomata exhibet *A. Miræus* in Donat. Belg. Lib. I. Cap. LXXIX. & LXXX. novæ edit. prout ſequuntur.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Heinrichus Dei gratiâ Dux Lotharingiæ omnibus præſentibus & futuris in perpetuum. Quoniam redemptio animæ viri propriæ divitiæ; de multis bonis, quæ præſtitit mihi Deus, neceſſarium duxi, aliqua in opus pietatis, hoc eſt, Divini cultûs, pro ejus amore expendere.

Inde eſt, quod pro remedio animæ meæ, & Prædeceſſorum meorum, aſſenſu & voluntate dilectæ conſortis meæ Machtildis Duciſſæ, contuli Religioſæ Sorori Gislæ locum juxta Bruxellam, qui vocatur *Pennebeke*, ad conſtruendum inibi Cœnobium Sanctimonialium, in honore Dei, & Beatæ ſemper Virginis Mariæ. Contuli etiam eidem Sorori juxtà prædictum locum tres manſos terræ incultæ & nemoris, de meo proprio, ab omni jure ſeculari liberrimos, & partem meam decimæ de *Ruſſebroech*, & viginti bonaria terræ, cum cenſu, quem prædicta Giſla emit à Waltero Kibus.

Prædictum itaque locum, & quæ cum eo in præſenti contulimus, vel quæ in poſterum noſtrâ aut quorumlibet fidelium liberalitate conferentur, poteſtate Nobis à Deo conceſsâ, Cœnobio conſtruendo in perpetuum confirmamus, ſub noſtra & Poſterorum noſtrorum cura & protectione ſuſcipimus, auxilium & defenſionem in neceſſitate promittimus.

Quod ut ratum & immobile apud poſteros habeatur, præſentem Paginam ſigilli noſtri impreſſione ſignavimus, & Teſtium probabilium ſubſcriptione munivimus: quorum iſta ſunt nomina;

Sigerus Archidiaconus,
Magiſter Michaël,
Arnoldus Notarius,
Godefridus Caſtellanus.

1201. Actum anno Incarnationis Domini milleſimo ducenteſimo primo.

Joannes Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus dilectis in Chriſto Filiabus, Ger-

GERTRUDI Abbatissæ & Monialibus de *Pennebeke*, observantiam Ordinis Cistertiensis professis, in perpetuum.

Sicut susceptí regiminis necessitate constringimur, ad exemplum Prophetæ & imitationem SS. Patrum, de agro Dominico spinas hæresum, & tribulos vitiorum succrescentes manu prædicationis evellere, & ne iterum radicem mittant . . . . . sarculo correctionis prorsùs destruere; ita Ecclesiam Dei rectæ fidei fundamento tenemur construere, & in longitudine Spei, & Caritatis latitudine sanam Religionem plantare.

Ea propter carissimæ in Christo Filiæ, devotionis vestræ precibus grato concurrentes assensu, locum ipsum, in quo secundùm Institutа Beati Benedicti, & Professionem Cistertiensis Ordinis, Divino mancipatæ estis obsequio, sub Beatissimæ Dei Genetricis Mariæ, nostrâ & Successorum nostrorum perpetuâ protectione suscipimus; Pontificali Auctoritate statuentes, ut bona quæ vobis impræsentiarum ab Illustri Viro HENRICO Duce Lotharingiæ, cum assensu & voluntate Serenissimæ Consortis suæ MACHTILDIS Ducissæ, collata sunt, sive quæcumque in perpetuum, annuente Domino, largitione Prælatorum vel Principum, seu eleëmosynis fidelium justis modis poteritis adipisci, firma vobis & posteris ibidem Domino servituris quieta & illibata permaneant, usibus ac necessitatibus vestri Collegii profutura. Ad hæc libertatem vobis à prædicto Duce concessam, cum bonis vestris, quæ nunc pacificè possidetis, vobis præsentis Scripti patrocinio confirmamus.

Ut igitur humilitatis vestræ plantatio in sanctæ meditationis otio possit quiescere ab incursu & turbine sæcularis tumultûs, & desuper rorem contemplationis accipiat & in conversatione terrena abundantia bonæ actionis pinguescat, sub anathemate & interminatione judicii prohibemus, ne quis temerè quietem vestram turbare aut concutere, vel excutere possessiones vestras, & infringere libertatem præsumat.

Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo secundo. 1202.

Paternitas hujus Monasterii (ut vocant) commissa est *Carolo VIII.* Abbati Villarienſi, qui obiit anno 1209. quæ Paternitas hodie spectat ad Abbatem Camberonensem.

Requiescit hîc, ubi etiam piissimè vixit & obiit die 19. Februarii anno 1266. magnus Deiparæ cultor *S. Bonifacius* Lausanensis apud Helvetios olim Episcopus, Civis Bruxellensis, & Doctor Theologus Parisiensis. Hæc Civitas Lausana sita est ad locum Lemanum Episcopali Cathedrâ nobilis & Archiepiscopo Vesontino tamquam Metropolitano subjecta Gallicè *Besançon.*

Hic *Bonifacius* renuntians ut fieri potuit suo Episcopatu, reliquum vitæ suæ hoc in loco magnâ cum Sanctitate transegit, habitavit autem in Camerâ annis XVIII. & in loco ubi devixit elegans ædificata est sacra ædicula in quâ bis per Septimanam res divina peragitur, dummodo non sit impedimentum. Sacrum ejus corpus anno 1600. die 25. Junii de terrâ elevatum est & arcæ ligneæ decenter inclusum a *Roberto d'Ostelaert* Abbate Camberonensi & Altimontensi de consensu, & auctoritate *Matthiæ Hovii* Archiepiscopi Mechl. cujus eâ de re Diploma refert *A. Miræus* in Fastis Belg. & Burg. ad XIX. Februarii, dicitque eundem per totam Diœcesim Lausanensem Religiosè coli vocarique sanctum. Habent præterea in Camerâ ejus Calicem quo Christi Sanguinem in incrumento missæ Sacrificio consecrabat, eoque die 18. Fabruarii, qua ad cœlum evolavit eo solum utuntur, & distribuuntur Dominica die Lætare magni panes propter beneficia multa, quæ Monasterio præstitit, qui panes *S. Bonifacii* vocantur.

Eodem in Monasterio anno 1250. die XII. Junii ad superos ivit *B. Aleydis Scarebecana* (a vicino Bruxellis pago ita cognominata) Monialis leprosa carus; sed spiritu sana & decora, cujus Sanctitatem a morte Deus Miraculis ostendit. Ejus merita & Miracula leguntur in Rubeæ Vallis Monasterio apud

J. Gillemans in Hagiologio Brabantiæ. Hodiedum hujus Virginis locus monſtratur, in quo ne alios leprâ inficeret ſeparata fuit, & foramen per quod ei cibi ſubminiſtrati, & feneſtra per quam ſacram percipiebat Communionem.

Ibidem etiam admodum Sanctè vixit atque devixit *Godefridus Capellanus* cujus in morte Angelorum cantus exauditos refert *Thomas Cantipratanus* Lib. II. Apum Cap. XL. cui notus exſtitit & dilectus.

ABBATISSÆ DE CAMERA.

I. *Gertrudis.*
II. *Oda.*
III. *Ermetrudis.*
IV. *Margareta de Bieſt.*
V. *Eliſabeth Leonis.*
VI. *Aleydis.*
VII. *Margareta II.*
VIII. *Ermetrudis II.*
IX. *Aleydis de Frigido Monte II.*
X. *Margareta III.*
XI. *Eliſabeth Yſſche II.*
XII. *Eliſabeth Poots III.*
XIII. *Maria Scotelvloets.*
XIV. *Ida.*
XV. *Aleydis III.*
XVI. *Helewigis Swaefs.*
XVII. *Maria de Thenis.*
XVIII. *Aleydis IV.*
XIX. *Catharina Thys.*
XX. *Eliſabeth IV.*
XXI. *Eliſabeth de Monte.* Obiit 1430 Reliquarum præcedentium dies & annus mortis ignoratur.
XXII. *Maria Belanda.* Obiit 1442.
XXIII. *Maria de Ligni.* 1444.
XXIV. *Catharina de Grimbergen.* dicta de Aſſcha 1467.
XXV. *Margareta Smols IV.* 1477.
XXVI. *Joanna Smols.* 1490.
XXVII. *Maria Smols*, ſub qua origo & Principium Reformationis. 1512.
XXVIII. *Eliſabeth de Bergis alias de Sevenberge VI.* Obiit 1556. & reſignavit 16. annis ante mortem.
XXIX. *Magdalena d'Ittre.* Obiit 1554. aliis 1556.
XXX. *Maria de Ligne* alias de Barbançon V. 1557.
XXXI. *Anna vander Cammen I.* 1562.
XXXII. *Barbara Taſſia I.* Obiit 1598. & reſignavit IV. annis ante mortem.
XXXIII. *Catharina d'Ittre III.* 1599.
XXXIV. *Joanna de Hennin II.* 1642.
XXXV. *Maria de Rovelly.* 1667.
XXXVI. *Franciſca Alſatia de Bouſſu*, prius aſſumpta ex moniali de Camera in Abbatiſſam monaſterii de Munſter ejuſdem Ordinis Ruremondæ, inde electa Abbatiſſa Cameræ. Obiit 1683.
XXXVII. *Iſabella Clara Eugenia de Grobbendonck.* Obiit 1709.
XXXVIII. *Erneſtina de Gand & Villain* Benedicta 1713. Obiit 29. Januarii Anno 1718.
XXXIX. *Ludovica Deliano y Velaſco* Benedicta Anno 1718. hodie præeſt.

Succedit ſuburbanum a *S. Judoco* (vulgo *St. Joos ter Hoye*) ejus inibi Sacellum frequentibus peregrinorum votis peti ſolitum nomen ſervans, ſitum extra portam Lovanienſem, ubi magnificæ Principum aliquot, & imprimis quæ quondam Arſcotani Ducis ædes fuêre, nunc Comitis Erpſiæ, fontibus, piſcinis, omni quod ad voluptatem facere poſſet olim inſtructæ apparatu; ſed dein plurimum de ſuo ſplendore deperdidit. Hoc Sacellum & locus ſubeſt Capitulo & Plebano *D. Gudulæ.*

In Suburbano Bruxellenſi ſunt præterea plures pagi quæ jure civium gaudent præcipuè hæ ſequentes *Anderlecht* de quo mox agemus, *Laken*, *Schaere-*

rebeeck, *Opbruſſel.* & *Foreſtum* de quibus in ſequentibus ſuo loco erit agendum.

ANDERLECHT, latinè *Anderlacum*, Municipium nobile & ampli territorii, medio lapide a Bruxellâ, jure Civium gaudens, multos ſub ſe Vicos (noſtratibus *Gehuchten*) complectitur; in his de *AA*, *Walcourt*, & alios. Vicus & Dominium de AA. qui potenti olim Caſtellanorum Bruxellenſium familiæ cognomen dedit, ſitus eſt ad *Sennam* Fluvium medio ferè itinere inter Anderlechtum & Foreſtum; præter molendinum aquaticum habet Sacellum vetus amplè dotatum. Unitum ejus beneficium Anno 1621. Curæ de Gaesbeke: ad hoc Sacellum in diebus Rogationum quotannis Clerus & populus Anderlechtenſis ſolemni ſupplicatione procedit.

In Anderlechto eſt vetus XVIII. Canonicorum Collegium ſenſim auctum & dotatum. Dominus dicti vici de *Walcourt* (qui nuper *Cornelius de Man* Conſiliarius Senatus Brabantiæ, qui illud acquiſivit emptionis tabulis anno 1689. & in qua familiâ poſt ejus mortem perſeverat) confert Canonicatus ſeu Præbendas XI. ob Donationes a *Waltero de AA.* anno 1233. & Matre ejus *Mahelde* Anno 1173. & *Lamberto* ejus fratre factas Ao. 1195.

Dux Brabantiæ confert Præbendas IV. ob donationes ab *Henrico I.* Duce anno 1195. & ab ejus filio anno 1228. factas, ac etiàm ob diverſa Privilegia & immunitatem Capitulo conceſſas, inter quas ne quem teneantur adreſidentiam admittere niſi in ſacris conſtitutum.

Magiſtratus Bruxellenſis confert Præbendas tres.

Seriem Dominorum de *Walcourt* qui Patroni & Advocati Eccleſiæ *S. Petri* Anderlechtenſis, vide apud *A. Miræum* in Not. Eccl. Belg. Cap. CIV. novæ edit. pag. 711.

Anno 1215. menſe Julio *Leonius de Bruxella* & uxor ejus *Clementia*, item *Oliverius de Sottegem* conferunt Eccleſiæ Anderlechtenſi Decimam quam inibi poſſidebant. Diplomata hujus Donationis profert *A. Miræus* in Not. Eccl. Belg. Cap. CXLIX. novæ edit. ut ſequitur

Ego LEONIUS de Bruxella poſterorum notitiæ duxi committendum, quòd conſilio & voluntate Matris meæ *Giſlæ*, Uxore meâ *Clementiâ*, Filio meo *Waltero*, & reliquis liberis meis aſſenſum præbentibus, decimam quam in Anderlectenſi Parochia poſſidebam, cum jam vitæ meæ terminus appropinquaret, Eccleſiæ Anderlectenſi in eleëmoſynam legavi. Ita videlicet quòd Canonici reſidentiam ibidem facientes & in Eccleſia canonicè miniſtrantes, uſu perpetuo fructus recipiant ejuſdem, nec aliquam prorſus ejuſdem Eccleſiæ Canonici Foranei recipiant portionem.

Hanc igitur Donationem ratam permanere cupiens, Teſtium nomina ſubnotari, & memoratæ Matris meæ, cum mei & Cognati mei Caſtellani Bruxellenſis Sigillorum impreſſionibus præſentem Paginam feci communiri.

Adfuerunt autem, cum hæc fierent,
Godefridus, Caſtellanus Bruxellenſis,
Franco de Ruyſcabrouc,
Henricus de Wembelne,
Henricus de Alſinghem,
Reinbaldus de Dielbeca,
Balduinus de Pithia, Milites.

Actum anno MCCXV. menſe Julio. 1215.

Ad poſterorum tranſeat memoriam, quòd Ego * OLIVERUS de Sottegem, unà cum Conjuge *Perona*, decimam, quam in Anderlectenſi Parochia à Prædeceſſoribus meis ad Nos devolutam poſſidebamus, Eccleſiæ de Anderlecht, unanimi conſenſu liberorum, contulimus. *Cruce ſignatus.

Actum MCCXV. menſe Septembri, IV. Kalendas Octobris. 1215.

Ad fundationem Ecclesiæ quod attinet ea fuit ab antiquo exilè *D. Petri* Sacellum ad usus Canonicorum ibidem sacris operantium. Cæterum percrebrescente miraculorum *D. Guidonis* famâ translatione in sublimius feretrum corporè (de quo pluribus agemus in Laken) ex eleëmosynis peregrinorum *Gerardus II.* Episcopus Cameracensis Anno 1195. jussit illustrius prout nunc visitur ædificari. Quod in Parochiale erectum a *Joanne* Præposito, *Adamo* Decano & Capitulo Cameracensi Personatum cum Decimis ad eundem spectantibus conferente. Anno 1185.

Initia hujus Capituli, ait J. B. Gramaye in Bruxella, præcisè scire nequeo, certus ante annos fere DCC. & Canonicos & Decanum & Capitulum fuisse.

Collegii Canonicorum primaria dignitas est Decanatus ad collationem Principis spectans, quorum seriem prout ex Archivis Capituli nobis submissa est hic damus.

DECANI ANDERLECHTENSES.

S. Wonedulphus de quo plura in vitâ *S. Guidonis*. Hunc non fuisse primum Decanum constat ex eadem vitâ, in quo memorantur fuisse Decanus, Vicedecanus & Canonici.

De eo scripsit *Arnoldus de Raisse* in suo Auctuario ad Natales S.S. Belgii *J. Molani* die 12. Septembris. *A. Miræus* in Fastis Belg. & Burg. ad diem 12. Septembris. *L. Surius*, & Vita M. S. *S. Guidonis* conscripta a CC. annis.

Lambertus. vixit 1185.

Waltherus. vixit 1215.

Andreas. vixit 1225.

Henricus. Anno 1230.

Wilhelmus fundator Beginasii Anderlechtensis anno 1252.

Ægidius de Brania, alias de *Brachene* antea Canonicus, fuit etiam Canonicus S. Donatiani Brugis & Præpositus in Harlebeeck anno 1291.

Theodoricus. Vixit circa annum 1255.

Joannes de Nath. vixit Canonicus anno 1289. factus postea Decanus.

Simon de Peda ab anno 1295. Decanus obiit anno 1307. sepultus in Cryptâ Anderlechtensi.

Arnoldus de Peda vixit Decanus 1313. quo anno verosimiliter obiit.

Henricus van Ophem Decanus Anno 1337.

Ægidius de Boxhoren antea Pastor in Laerbeke, 1340. factus Canonicus, vixit Decanus 1355.

Rudolphus de Mol. vixit Decanus 1380. & 1385.

Joannes Philippi. vixit 1390.

Joannes Laurentii de Ast. Obiit 1393.

Joannes de Monte. vixit Decanus 1401. Obiit 1409.

Jacobus Volxem, vulgo *Gaspeldoren*, vixit Decanus 1409.

Joannes Coreman ex Pastore de Scharenbeke Decanus in Anderlecht viâ permutationis cum prædicto *Volxem* Anno 1413. de eo multa narrat *Gazet* in suâ Historiâ Ecclesiasticâ fol. 106.

Theodoricus van Andel. vixit Decanus 1447.

Petrus de Thymo factus Decanus Anno 1465. Mortuus Cartusianus in Valle gratiæ, vulgo *Scheut*.

Guilielmus Swinnen fuit Decanus ab Ao. 1476. Obiit Ao. 1498.

Nicolaus Everardi J. U. D. Decanus Anderlechtensis Ao. 1498. Obiit dein Præses Magni Senatus Belgici Ao. 1532.

Jacobus Coelman Medicinæ Doctor viâ permutationis factus Decanus Ao. 1510.

Joannes Timmerman Anno 1515. ex Decano in Anderlecht factus Canonicus & Scholasticus *D. Gudulæ* Bruxellis.

Joannes Minelle J. U. L. succesſit prædicto anno 1524.

Matthias Ridemont alias *Reydommel*, fit Decanus Anno 1547. Obiit Ao. 1552.

Cornelius Bruslant. Hactenus jus eligendi Decanum erat penes Capitulum; sed *Cornelius* prædictus impetravit collationem hujus a *Carolo V.* mediante indulto Apostolico. Succesſit *Matthiæ* prænominato anno 1553.

Joannes ab Oudenhaghe succesſit prædicto viâ permutationis Ao. 1556. Vivere desiit Anno 1585.

Hermannus vander Heyden S. T. B. ex Canonico factus Decanus Anno 1587. Mortuus est Anno 1603.

Cæsar Clemens Anglus S. T. D. nominatus est Decanus 1603. Interfuit anno 1607. Synodo Provinciali Mechlinienſi. Anno 1618. nominatus est ad Decanatum *D. Gudulæ* Bruxellis, ubi obiit Ao. 1626.

Petrus vanden Velde Bruxellensis S. T. B. F. ex Canonico & Cantore nominatus Decanus Anno 1618. ibidem obiit Ao. 1628.

Joannes van Pede Bruxellensis J. U. L. ex Canonico & Cantore nominatus Decanus Anno 1628. Mortuus Ao. 1632.

Lancelottus van Gindertalen Bruxellensis J. U. L. ex Canonico & Cantore nominatus Decanus Anno 1632. Obiit Ao. 1637.

Guilielmus van Caverson Bruxellensis S. T. B. E. ex Canonico Trajectensi nominatus Decanus Ao. 1639. Mortuus Ao. 1643.

Bartholomæus Salinas loco præcedentis nominatus Decanus anno 1645. Dein Ao. 1654. nominatus ad Decanatum *S. Gummari* Liræ. Ibidem obiit Ao. 1674.

Joannes Bleyens ex Decano Ecclesiæ Colleg. de Hooghstraten Decanus Anderlechtensis Ao. 1654. Renuntiavit eidem dignitati Ao. 1658.

Melchior van Cotthem Alostanus ex Canonico Alostano Canonicus Anderlechtensis; exinde Ao. 1658. Decanus, procuravit unionem unius præbendæ Decanatui. Obiit subitaneâ morte Anderlechti Ao. 1689.

Carolus Franciscus Taye *de Wemmel*, Toparcha de Marquet J.U.L. Decanus Anderlechtensis anno 1689. exinde Decanus Teneramundanus Ao. 1693. & Decanus Cathedralis Antverpiensis Ao. 1705. Ibidem moritur Ao. 1713.

Severinus du Mortier Tornacensis nominatur Decanus Ao. 1693. exinde initâ permutatione fit Canonicus & Cantor Ao. 1701. Obiit Octuagenario major Ao. 1718. Choraulis ex asse hæredibus institutis.

Guilielmus Franciscus le Feburе Bruxellensis J. U. L. ex Ca-

nonico & Cantore factus Decanus Anno 1701. via permutationis cum præcedente. Vivere desiit Anderlechti Anno 1714.

CAROLUS PHILIPPUS VANDEN ZYPEN Mechlinienſis J. U. L. ex Canonico Metropolitanæ Mechlinienſis nominatus Decanus Ao. 1714. hodiedum illud munus adminiſtrat.

FRATRIBUS MINIMIS Sectoribus *S. Franciſci de Paula*, hoc in loco Monaſterium ædificari cœptum Anno 1618. a *Carolo Lotharingiæ* ejuſque Conjuge *Maria a Lotharingia* Duciſſa d'Elbeuf, in quo notabilem partem *S. Crucis* repoſuit. Adſervantur in hoc Monaſterio variæ Reliquiæ, imprimis notabilis portio ſacri oſſis de corpore *S. Franciſci de Paula*, atque integer manipulus *S. Caroli Borromæi*, quo in incruento Miſſæ Sacrificio uſus fuit, nec non portiuncula Calcei *S. Annæ* Genitricis Deiparæ.

Hic loci anno 1252. fundatum olim fuit Beginaſium a *Wilhelmo* Decano Anderlechtenſi, in quo hodiedum paucæ quædam vetulæ mulieres pullo habitu & vix a civili diſcretæ degunt; ſed tamen nomenclationem Beginarum induerunt. Diploma hujus fundationis refertur in Suppl. Dipl. A. Miræi Parte II. Cap. CI. ut ſequitur.

Ex Archivis MS. Capituli Anderlecht.

Univerſis præſentes Litteras inſpecturis, Anderlechtenſis Eccleſiæ Capitulum cognoſcere veritatem.

Noverint univerſi, quod cum WILLELMUS G. Decanus noſter medietatem fundi, in quo quondam manſionem habuit, ſiti videlicet juxta atrium ex una parte, & ex parte altera juxta rivum, humili Conventui Begginarum de *Anderlecht* condigno pretio vendidiſſet, idem Decanus poſtea ſaluti animæ ſuæ intendens, reliquam medietatem fundi prædicti dictis Begginis liberè in eleëmoſynam contulit pariter & legavit, reſignationem coram nobis faciens ſimul & coram Tribunariis Eccleſiæ noſtræ, ſcilicet Mauritio de Peda, Thoma . . . . . Waltero de Curegem; Anſelmo de Peda, Arnoldo de Relegem, totius juris quod in dicto fundo totali habuit, ad opus Begginarum tam præſentium quàm futurarum dignè ac obedienter viventium.

Unde ſciendum eſt, quod dictæ Begginæ dictum fundum cum omni integritate ſua ritè adeptæ ſint, ſub annuo cenſu duorum denariorum annuatim Capitulo noſtro ſolvendorum, remotâ omni quæ poterit eis ſuper iſto irrogari calumniâ, in perpetuum poſſidendum. Nec prætermittendum, quod domos in dicto fundo fundatas, rationabili commercio acquiſierint.

Interfuerunt autem huic collationi ſive legationi,

Magiſter Renerus de Bruxella,

Joannes Filius Mauritii de Peda,

Goſwinus de Paepſem, & alii quàm-plures tam Clerici quàm Laïci.

Ut ergo jam dictis fides plenariè exhibeatur ab omnibus, præſentem Paginam Sigilli Capituli noſtri munimine dignum duximus communire.

1252. Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, menſe Junio.

Intra limites Municipii de Anderlecht eſt locus *Scheut* ubi Sacellum Deiparæ dicatum, ad quod in diebus Rogationum quotannis a Clero & populo Anderlechtenſi fit Supplicatio. Ad hunc locum a ſeculis fuit frequens peregrinorum & accolarum concurſus, vulgo nuncupatum noſtra Domina de *Gratia in Scheut-velt* in quo præclara eaque non pauca ante hæc tempora contigerunt Miracula. Nomen *Scheut*, ſive *Scheut-velt* huic loco adhæſit a magna illa priſci ſeculi & uſus Catapulta, ſive Baliſta arcuali, quæ Bruxellis etiamnum adſervatur, cujus jactus teli ab oppidi mœnibus ad hunc uſque locum ſe extendit, unde ei nomen adhæſit.

In

In hoc loco anno 1356. *Wenceslaus* Brabantiæ Dux contra *Ludovicum* Flandriæ Comitem prælio improsperè inito, victus profligatusque est, multis suorum millibus partim cæsis, partim *Sennâ* fluvio ablumptis.

Juxta dictum Sacellum olim constructa fuit *Cartusia*, dicta *Vallis Gratiæ*, munificentia Civium & Magistratus Bruxellensis, qui huic novellæ plantationi adjecit bona Fratrum Saccitarum de Pœnitentiâ Anno 1454. *Philippo Bono* ejusque Conjuge *Isabella* negotium promoventibus & locum dotantibus; quorum filius *Carolus Audax* primum lapidem hujus Sacelli Mariani posuit, & *Carolus* Imp. ejus nominis V. postmodum Ecclesiam Cœnobii ædificavit, quæ dein bellorum turbine funditus cum Cœnobio est destructa & ruinis suis insepulta. Patres sede suâ pulsi toto septennio variaque jactati fortunâ, ad flebiles ruinas reliquiasque sui Monasterii postliminio redière. De instauratione actum: sed melius consilium placuit relicto agro in Urbem Bruxellensem Regi & Religioni jam redditum sacra & bona transferre. Transferunt itaque novum Monasterium intra septa Urbis, templumque struunt: quod cum statuam illam Marianam reciperet, in ipsâ videbatur agri pietatem collocare. Vide ulterius de hac Cartusiâ in Bruxellâ.

BERCHEM medio milliari a Bruxellâ; Præfecturæ Rodensis. Dominium Ducis Brabantiæ.

Subest huic pago in spiritualibus Dominium de *Cockelberge* in vicinià Urbis Bruxellensis. Hoc Dominium anno 1722. devenit ad Dom. N. van Hamme Advocatum Bruxellis jure retractus.

Ecclesia Patronam veneratur *S. Agatham* Virg. & Mart. Pastoralis cura administratur per Canonicos Regulares Abbatiæ Grimbergensis Ord. Præmonstr. Decima est tripartita, cujus duæ trientes spectant ad Abbatiam Diligemensem; altera triens ad Abbatiam Grimbergensem.

In Diplomate *Lietardi* Episc. Cameracensis Anno 1142. vocatur hic pagus *Berchecem*, ut appendix de *Wamblinis* qui modo *Wemmele*; indeque patet quod hæc Ecclesia olim fuit appendix Parochialis de *Wemmele*, quod testatur præfatum Diploma *Lietardi* Camerac. Episc. quod in Grimberga proferemus. Distat hic locus a *Wemmele* milliari cum medio.

Hic loci celebris picta memoria *Caroli V.* Imperat. & rustici. Imperator a venatione aberrans a rustico offenditur vesperi, Bruxellas serâ nocte nemine comitante, omnibus insciis, imo ipso duce rustico reducitur, quid inter illos ibi actum inquire ab inhabitantibus.

BEYGHEM sive *Baychem*, olim *Beyhenghem*, medio milliari distans ab aquæductu Bruxellensi, & Grimberga; Præfecturæ Grimberganæ. Dominium ad Nassovios pertinens, quod nuper fuit *Guilielmi III.* Magnæ Britanniæ Regis, post cujus mortem anno 1702. incertum ad quem ex Nassoviis devolutum sit.

Ecclesiæ tutelaris est in hoc loco Virgo Deipara. Ejus Patronatus spectat ad Archiepiscopum hujus sedis jure Ordinarii, qui & potiorem habet partem decimarum; reliqua earum portio Parochi est.

In hoc pago circa medium præcedentis seculi fuit insignis & celebris Schola Latinitatis, moderatore *Hieronymo Colx* Parocho; ex qua plures sago & togâ viri illustres prodière.

CORTENBERGA medio ferè itinere inter Lovanium & Bruxellam; Præfecturæ Campenhoutanæ. Antiquum Dominium Ducis Brabantiæ.

Ecclesia Parochialis sacra est *S. Amando* Tungrensi Episcopo. Patronatus & universa pagi Decima spectat ad Abbatiam Cortenbergensem, & Parocho datur annuè portio congrua. Hæc Abbatia decimam hujus loci acquisivit a *Godefrido Barbato* Lotharingiæ & Brabantiæ Duce Anno 1126.

Hoc in loco & ipso monte Cortenbergensi juxta Parochialem Ecclesiam olim situm fuit Monasterium Virginum Ord. S. Benedicti (vernaculè *Cortenbergh*), Quando autem & a quo hoc Cœnobium conditum fuerit, omnino certo non constat; longâ tamen traditione, a majoribus velut per manus acceptâ, creditur ipsum Forestensi Cœnobio vetustius, & initia sua debere piæ cuidam mulieri Eremiticam in Cortenbergensi monte vitam agenti, quæ *Columba* seu *Duva* concluſa ab ejus loci Monialibus hodieque nominatur, cujus corpus ibidem adservari solebat in capsâ ligneâ retro aram summam, sed fanaticâ Calvinistarum rabie Anno 1572. periit.

Huic Virgini *Columbæ* ita inclusæ, dein plures aliæ Virgines sese aggregarunt; adeo ut anno 1110. *Odo* Cameracensis Episcopus Diœcesim suam lustrans & visitationis ergo ad montem Cortenbergensem veniens atque in eo Ecclesiam reperiens; quam nonnullæ piæ Virgines in honorem Deiparæ & *S. Amandi* ibidem congregatæ incolerent, iis ipsis Virginibus contulerit altaria seu jus Patronatus Pastoratuum de Cortenberga, Quarebbe & Nossegem, qui sunt pagi vicini; cujus Diploma ex Chartulario hujus Abbatiæ nos ipsi excepimus.

Odo Dei gratiâ Cameracensis Episcopus cunctis fidelibus salutem in Christo Jesu. Noverint tam futuri quam præsentes; quia dum loca Parochiæ meæ perquirerem, quænam sub Religione, quænam alio modo essent, inveni locum, apud *Cortenberge*, Ducis *Godefridi* assensu & auxilio, nec non & Advocatorum *Arnulfi* & *Gualteri*, servitio Ancillarum Dei jam ex parte decoratum, quem precibus Archidiaconorum meorum, & Fidelium, ampliare curavi.

In eo scilicet, quod Altare illud a debitis annuatim obsoniis Episcopalibus liberum mei auctoritate feci, & debita illa in usus inibi Deo ac Sanctæ ejusdem Genitrícis Mariæ Sanctoque Amando famulantium perdonavi.

Concessi etiam Altare de *Quatrebbe* & Altare de *Nothengem* prædictæ Ecclesiæ libera Personis. Sic tamen, ut per singulos annos jura Episcopalia Episcopo & Ministris ejus ex iisdem solvantur.

Statui siquidem, ut Presbyteri horum & supradicti Altaris de manu Episcopi Curam animarum accipiant; Capitula Archidiaconi & Decani observent; Abbatissa loci illius in Festivitate Lucæ Evangelistæ ad Synodum Cameracensem veniant.

Si quis autem contra hoc nostræ institutionis Privilegium venire tentaverit, fiat reus, & alienus a conspectu Domini, donec resipuerit. Et ut hoc fixum maneat, subterſignatorum Testimonio corroboravi.

S. Domini Fulgentii Abbatis Affligemensis.
S. Domini Gisleberti Ehamensis Abbatis.
S. Radulphi eorumdem Altarium Archidiaconi.
S. Domini Gualtelmi Jettensis Abbatis.
S. Domini Martini Bornehensis Abbatis.
S. Evrardi Archidiaconi.
S. Gualberti Islensis.
S. Bernardi, Gerardi, Mazelini Canonicorum.
S. Oilardi, Alberti, Brusselensium Clericorum.
S. Gisleberti.
S. Thitboldi Ronnacensium.

1110. Actum Incarnati Verbi MCX. Præsulatus vero mei V. Indictione III. Epacta XXVIII.

Burchardus dein Episcopus Cameracensis contulit eidem Monasterio Anno

no 1125. Altaria de Erps & Campenhout, & anno 1129. Altaria de Leeſt & Hombeke; quæ diplomata ſuis locis protulimus. Anno 1284. *Martinus IV.* Papa conſtituit Abbatem Affligemienſem Conſervatorem bonorum Monaſterii Cortenbergenſis.

Cæterum quo ferè tempore ex ipſo monte aquarum inopiâ laborantes ad vallem ſubjectam loco admodum amœno & aquis irriguo ſeſe Moniales tranſtulerint, ibique Cœnobium ſuum ædificaverint, colligere licuit ex lapideâ quadam a Calviniſtis Anno 1584. exuſti columnâ, cujus inſcriptio teſtabatur templum iſtud ædificatum Anno 1222. locum eis concedente *Henrico I.* Lotharingiæ & Brabantiæ Duce.

In hoc Cœnobio ampliſſimum viſitur Atrium, in quo olim Ducum & Procerum Brabantiæ conceſſus non ſemel fuêre, Comitia Provinciæ, Leges ſcriptæ, jus dictum, & maximæ notæ ſunt Tabulæ Cortenbergenſes a *Joanne II.* Brabantiæ Duce publicatæ & ſignatæ, quas LV. Brabantiæ Proceres ſuis ſigillis firmarunt anno 1312. ex his tabulis originem ſuam ſumpſit Cancellaria Brabantiæ ſive Senatus Brabantiæ, qui procedentibus ſeculis ad eam pervenit Majeſtatem & amplitudinem qua hodiè fulget.

Hoc Cœnobium Anno 1584. in fatali iſto calamitatum quæ univerſum Belgium involverunt turbine, militum proterviâ incenſum in cineres abiit, ſacræ Virgines Coloniam Agrippinam profugæ multum cum temporum iniquitate conflictatæ; tandem ad flebiles ſui Monaſterii parietinas redierunt, illudque hactenus inſigniter reſtaurarunt.

Hæ Moniales Anno 1616. ſub *Matthia Hovio* Archiepiſcopo Mechlinienſi clauſuram ſtrictam admiſerunt Feſto Pentecoſtes, & in regulari obſervantiâ & exacta diſciplinâ hactenus vivere perſeverant.

Denique ad gloriam hujus Monaſterii non modicè facit, quod cum Hoſpitalariæ Virgines Domus Leproſorum Gandavi (vulgo *Het Rycke Gaſthuys*) anno 1626. Regulam *S. Benedicti* & Clauſuram amplexæ ſunt, duæ Moniales ex Cortenberga evocatæ ſint, quæ eas formarent & inſtructionem darent.

Seriem Abbatiſſarum (prout ex Chartulario hujus Abbatiæ manu propria excepimus) hactenus ineditam hic adjungimus.

ABBATISSÆ CORTENBERGENSES.

I. *Eliſabetha de Patientia.*
II. *Ida.* anno 1125.
III. *Mabilia.*
IV. *Benedicta.*
V. *Laurentia.*
VI. *Juta.*
VII. *Ida.* M. XX$_c$.
VIII *Albernia.*
IX. *Marina.*
X. *Margareta.*
XI. *Eliſabetha de Wyneghem.*
XII. *Aleydis.*
XIII. *Willeberna.*
XIV. *Aleydis.*
XV. *Juta.*
XVI. *Aleydis de Bindere.*
XVII. *Gertrudis.*
XVIII. *Maria Clutinx.*
XIX. *Gertrudis.*
XX. *Margareta Colays.*
XXI. *Maria de Levedaele.*
XXII. *Gertrudis.*
XXIII, *Aſcecha.*
XXIV. *Euphemia de Giſen.*
XXV. *Hodierna.*
XXVI. *Thilendis.*
XXVII. *Margareta de Lira.*
XXVIII. *Margareta vander Noot.* Obiit 1452.
XXIX. *Catharina de Hamma.*
XXX. *Maria Taeys.*
XXXI. *Joanna Baxen.*
XXXII.

XXXII. *Nicolaa Wasteel.* Obiit 1560.
XXXIII. *Maria de Balluel.* 1572.
XXXIV. *Maria de Hochstadt.* 1576.
XXXV. *Joanna Daelmans.* 1596.
XXXVI. *Magdalena de Nivelle.* 1617.
XXXVII. *Clara de Hulsboes.* 1623.
XXXVIII. *Maria Bleyleven.* 1663.
XXXIX. *Maria de Witte.* 1667.
XL. *Elisabetha van Tympel.* 1670.
XLI. *Maria Leermans.* 1682.
XLII. *Maria Druwè.* 1705.
XLIII. *Petronilla de Caverson.* 1706.
XLIV. *Seraphina Tservrancx.* Benedicta Anno 1707. hodierna Abbatissa.

Notandum quod in Diplomate fundationis Vallis Liliorum Ord. Præmonst. Anno 1233. a nobis ibidem relata nominentur duæ Abbatissæ de Cortenberga, scilicet *Machtildis de Erpsa* & post eam *Ida* quæ in hac serie non proferuntur.

CRAYENEM. amplus pagus, primo lapide cum dimidio ferè a Bruxellâ, Præfecturæ Rodensis. Peculium olim Illustris familiæ de *Crainhem*, cujus Dynastas inter Barones Diplomatibus subscripsisse, & in bello insignem operam Ducibus nostris præstitisse constat. Gentiles dein de *Bernaige* Dominos habuit, ex quibus *Joannes* summum jurisdictionis honorem Anno 1560. a Rege obtinuit. Hodie est familiæ de *Burchem*.

Ecclesiæ tutelaris est S. *Pancratius* Mart. & ad Pastorale munus nominandi jus olim habuit Persona hujus Ecclesiæ, sed propter incorporationem Pastoratui jure illo utitur Archiepiscopus hujus Diœcesis.

Decima pridem erat tripartita, cujus duæ trientes erant Abbatiæ Affligemiensis, & altera Parochi; sed a paucis annis hæc Abbatia cessit suas decimas, quas hic possidebat, Parocho, ita ut universa ferè hujus pagi decima hodie spectet ad Parochum.

DIEGHEM olim *Didenghem*; Præfecturæ Vilvordiensis, uno milliari cum dimidio a Bruxella versus Vilvordiam. Hanc Dynastiam jure oppignoratitio Ao. 1561. a Rege accepit *Carolus van Brecht*; ita *Gramaye*, & post eum Ao. 1596. *Carolus Oudaert* qui obiit Ao. 1610, inde per nuptias *Catharinæ Oudaert* devenit ad *Philippum Happart*.

Dein circa medium seculi XVII. emptione absolutâ a *Philippo IV.* Hisp. Rege permansit in præfata familiâ de *Happart* in quâ hactenus perseverat, quæ inibi loco admodum amœno habet Prætorium, quod *Baro le Roy* in Castellis Nobilium Brabantiæ exhibet. Hodie illud Dominium possidet *Joannes Antonius Happart*.

Inscriptiones sepulchrales Dynastarum de Dieghem invenimus sequentes Bruxellis in Ecclesiâ Parochiali *S. Catharinæ*.

Hier licht begraven Heer Jan van Brecht, **Heer van Dieghem / die sterft op den** XXII. **dagh Februarii** M. D^c. **en** XXXXV.

In Ecclesiâ Parochiali de Dieghem.

Cy gist Noble homme le Sieur Charles de Brecht, *Escuyer en son*

ſon vivant Seigneur de Dieghem, Corbeque &c. qui treſpaſſa le 1. de Juin 1595. aage de 77. ans.

Quarteria.

Brecht, vander Noot, Abſolons, Ligneham.

Cy giſt Noble homme le Sieur Alexandre d'Oudaert, *Eſcuyer Seigneur de Ranſt, Millegem, Rymenant, Opſtal &c. qui treſpaſſa le XI. de Juin 1594. aage 51. ans.*

Quarteria.

Oudaert, Weſemal, Douvrin, Coudenbergh,

Ces Epitaphes ait ordonné par teſtament le Sieur Charles Oudaert, *Seigneur de Dieghem, Rymenant, Opſtal &c. Son fils qui treſpaſſa a Francfort le 7. de Septembre 1618. a fondé une meſſe journaliere en cette Egliſe ſur l'autel de noſtre Dame, ou ſur le Chaſteau ainſi qu'il plaira au poſſeſſeur. P. D. P. L. Ames.*

Quarteria.

Oudaert, Brecht, Douvrin, vander Noot.

In Choro Eccleſiæ Parochialis de Dieghem.

Illuſtres ac Nobiles Domini *D. Philippus Happart* & *D. Catharina Oudaert*, Conjuges Domini de Dieghem, Rymenant, Corbecque, Opſtal &c. hoc Monumento teguntur, quibus dum viginti tres annos unanimi voto peregiſſent, importuna mors ulterius ſupereſſe & vita & dulciſſimis liberis frui invidit, ſuiſque & omnibus bonis eripuit, illum ætatis anno 65. 16. Januarii 1631, hanc vero ætatis 60. 25. Junii 1639.

Eccleſia quæ inſignis admodum ſtructuræ eſt & cum turri prælta ex albo lapide tutelarem colit *S. Catharinam* Virg. & Mart.

Patronatus olim ſpectavit ad perſonatum hujus Parochialis, ſed per unionem Paſtoratui hoc jus ad Archiepiſcopum hujus Diœceſis devolutum eſt.

Decimarum participes ſunt Abbatia *S. Cornelii* Indenſis prope Aquisgranum & Parochus, at parvum diſtrictum decimarum habet Paſtor in Haren, Præfata Abbatia nuper ceſſit ſuas quas inibi poſſidebat decimas Parocho pro portione congruâ.

In hac Parochiali plurimum colitur *S. Cornelius* Papa & Mart. & ad eum Divum ibidem a populo celebris & frequens toto anni tempore fit peregrinatio.

DUYSBOURCH pagus est miræ antiquitatis, olim *Dusenborch* & *Duysburch* appellatus in Diplomatibus Montis Frigidi. Municipium amplum & nobile juxta Furam medio ferè loco inter Bruxellam & Lovanium. Præfecturæ Vilvordiensis, & si Guicciardino fides omnium Municipiorum Brabantiæ antiquissimum.

Devenit hoc Dominium circa annum 1690. viâ emptionis cum Vice Comitatu Furensi ad *Libertum Franciscum Christyn*, cui *Carolus II.* Hisp. Rex permisit continuationem tituli Vice-Comitatus de Ter-vuren & *Duysbourch*. Anno 1690. Hic sine liberis anno 1718. defunctus, successit in hoc Vice-Comitatu filius secundo genitus ejus fratris *Joannis Baptistæ Christyn*, Cancellarii Brabantiæ, Baronis de Meerbeeck &c.

Ecclesia Patronam veneratur *S. Catharinam* Virg. & Mart. In eâ Parochum constituit Præpositus Montis Frigidi Ord. *S. Augustini* Bruxellis e suis Canonicis, & gaudet universa hujus Municipii decima.

Antonius Sanderus in Chorographiâ sacrâ *S. Jacobi* Caudenbergensis sive Montis Frigidi refert sine expressione, quod *Clemens* Papa concesserit ut in Ecclesiis de *Duysburch* & *Bevinge* (ubi Præposito & Conventui jus Patronatus competebat) per ejusdem Cœnobii Canonicos Episcopo a Præposito præsentatos & ab illo approbatos, divina possint officia celebrari.

ETTERBEKE in suburbio Bruxellensi, a quo distat medio milliari, Præfecturæ Rodensis, Dynastia spectans ad gentem de *a Castro*, in cujus gratiam *Carolus II.* Hisp. Rex erexit anno 1673. in Baronatum in gratiam de *Don Diego Henriques a Castro*, in qua familia perseverat.

Erectum in Baronatum.

Ecclesia Patronam colit *S. Gertrudem* Virg. Ejus Patronatum possidet Capitulum *S. S. Michaelis & Gudulæ*. Bruxellense, dono *Burchardi* Episc. Cameracensis anno 1127. Diploma refert *A. Miræus* in Not. Eccl. Belgii Cap. LXXI. novæ edit. ut sequitur.

* *Etterbeeck.*

BURCHARDUS, Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, Altare de Jettrebecca *, quod est dimidia Ecclesia, salvis nostris & Ministrorum nostrorum debitis, Ecclesiæ, quæ est Bruxellæ in honore Dei Genitricis & Sanctæ Gudilæ, liberum assignamus. Sic tamen ut Hospitalitium pauperum, quod in honore B. Mariæ & duodecim Apostolorum memoria ædificatum eidem Ecclesiæ proximum est, reditus præfati Altaris, omni exactione semotâ, solutis singulis annis in Nativitate S. Mariæ XII. Bruxellensis monetæ denariis à præfata S. Gudilæ Ecclesia, in perpetuum possideat.

1127. Actum anno millesimo centesimo vigesimo septimo, Indictione quartâ, Præsulatûs Domini Burchardi XI.

Ego Guerimbaldus Cancellarius scripsi & recognovi.

Decima est tripartita cujus duæ trientes spectant ad illustre Capitulum Nivellense, & altera ad Parochum.

Ex Etterbeca Sereniſſimus Belgarum Princeps *Albertus* opera cujusdam Germani anno circiter 1602. copiosissimum fontem miro artificio molis aquariæ deducendum curavit in altiorem Urbis Bruxellensis partem & in Palatium, hortos, ac parcum ferarum Palatio adhærens.

EVERE primo lapide a Bruxellâ, Præfecturæ Campenhoutanæ, Illustrissimæ familiæ Hornanæ peculium.

So-

Solum hujus pagi bonitate ſuperat circumvicinos pagos, & præcipuè fructus raparum hic creſcentium ob ſingularem ſaporem ab omnibus avide amantur & exquiruntur.

Eccleſia *S. Vincentio* Conf. ſacra eſt. Patronatus ejus ſpectat ad Capitulum Soigniacenſe in Hannoniâ, quod cum Paſtore gaudet hujus pagi decimis; unicuique eſt ſuus decimarum diſtrictus.

FORESTUM vernaculè *Vorſt* in Suburbio Bruxellenſi & ab eâ diſtans urbe medio milliari, ejuſdem libertatis particeps, ita ut Foreſtenſes gaudeant & jure civium Bruxellæ.

Templum Parochiale Foreſtenſe *S. Dionyſio* ſacrum eſt ſub Patronatu Abbatiæ Foreſtenſis Monialium Ord. *S. Benedicti* dono *Waltheri* Archidiaconi Brabantenſium anno 1117. en Diploma hujus donationis quod refert *A. Miræus* in Not. Eccleſ. Belgii Cap. LXII. novæ edit.

Noverint quàm præſentes tam futuri, quoniam ego WALTERUS, licet inutilis Sacerdos, Dei tamen gratiâ Bracbatenſium Archidiaconus, petitione Fulgentii Abbatis Affligemenſis, Sanctimonialibus in Eccleſia de *Foreſt* Deo famulantibus Altare ejuſdem Eccleſiæ, cum *Ucles* & appenditiis ſuis, liberum & ſine Perſona fore conceſſi, & tradidi ab omni obſonio immune.

Signum Sifridi Burnhemenſis Abbatis,
S. Ducis Godefridi,
S. Walteri Militis de Bruxella, & Filii ejus Stephani,
S. Franconis Caſtellani,
S. Razonis Dapiferi Ducis, & aliorum.

Actum M. C. XVII. 1117.

Decimæ ſpectant ad hanc Abbatiam dono *Godefridi* Barbati Brabantiæ Ducis Anno 1110. hoc diplomate ibidem apud eundem *A. Miræum* Cap. LIX.

Ego GODEFRIDUS, Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Comes Lovanienſis, tradidi B. Mariæ ſemper Virgini, & Sanctimonialibus apud Foreſtum ei ſervientibus, partem ſilvæ meæ, ab Eccleſia Hermanni Monachi uſque ad rivum Glatbeke, liberè, ſicut poſſidebam, poſſidendam, aſſentientibus Filiis meis Godefrido & Henrico, cum decima & omni uſu pro animæ meæ & Filiæ meæ redemptione, Parentum quoque meorum ac Filiorum.

Ut autem Traditio hæc inconvulſa permaneat, Chartam hanc Sigillo meo ſignavi, & idoneis Teſtibus ſubter-annotatis roboravi.

Signum Walteri Rocheſtock,
S. Eleberti. . . . .

Nolo etiam ignorari, quod allodium meum apud Milebecche & apud Montem, ad opus Sanctimonialium Foreſtenſis Eccleſiæ, coram ſubſcriptis Teſtibus, liberè contuli. Teſtes,

Lambertus de Crahinhem,
Walterus Rodeſtock,
Franco Caſtellanus,
Amelricus de Bigardis,
Franco Loco,
Walterus de Ulenbruc,
Walterus de Anſelir, & alii plures.

Acta ſunt hæc anno M. C. X. 1110.

Paſtor habet portionem congruam partim in decimis, granis & nummis.

Huic Parochiali adjacet præfata Abbatia Foreſtenſis, de cujus initio variant auctores & ſcripta.

Porro fundata traditur Anno 1096. a *Giſelberto* ſeu *Gilleberto* de Gandavo viro Equeſtri *Balduini* Aloſtani filio tertio genito: Is ſiquidem Anno 1088. a *Lotberto* Abbate Haſnonienſi Ord. *S. Benedicti* ad Scarpam fluvium tria emit allodia *Aloſt*, *Raſſegem* & *Lede*, ex tribus autem Allodiis, Aloſtanum idem *Giſelbertus* ad bellum ſacrum profecturus tradidit Domno *Fulgentio* Abbati Affligemienſi (quod erat propè Aloſtum) anno 1096. ut ibidem Eccleſia & Clauſtrum conſtrueretur in honore *B. Mariæ* Virginis, ubi ſub Regula *S. Benedicti* mater ejus nomine *Oda* cum filiâ ſuâ *Lutgarde* Monachicam vitam ducerent, ubi complures dein Deo dicatæ ſacræ Virgines vixerunt. Diploma recitat idem *A. Miræus* in Codice piarum Donat. Cap. LXVIII. novæ edit. ut ſequitur.

Vide Chronicon noſtrum Belg. ad hunc an.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego FULGENTIUS Dei gratiâ primus Abbas in loco, qui vocatur HAFFLINGEM, omnibus Chriſti fidelibus, poſt hujus exilia carnis, in regimine vivorum habitacula cum Sanctis.

Vide Sanderum in Brabantia ad Cœnobium de Foreſto.

Notum vobis fieri volumus, quod quidam Miles GISELBERTUS nomine, filius *Balduini de Aloſt*, filii *Adolphi*, alodium, quod ab Abbate S. Petri de HASNON emerat, noſtræ Eccleſiæ, pro ſalute animæ ſuæ & omnium Anteceſſorum ſuorum, liberè tradidit, ut in eodem alodio, cum ejuſdem alodii appenditiis, Eccleſiam & Clauſtrum, in honore Beatæ Mariæ Virginis, conſtrueretur, ubi ſub regula S. Benedicti, mater ſua nomine ODA, cum filia LUTGARDE, Monachicam duceret vitam.

His me, ſimul cum fratribus, conſentiente, quæſivit à nobis chartâ & ſigillo hæc confirmari, ne nos, vel poſteri noſtri, ex his beneficiis, deinceps loco illi conferendis, aliquid uſui noſtro, abſque voluntate Sororum inibi manentium, vindicaremus, ſi regulariter & ſecundùm ſubſcriptam inſtitutionem vixerint. Sin autem non, quod avertat Deus, perſolvant auri unciam, quam idem Miles, cauſsâ reſpectûs, per ſingulos annos nobis dari inſtituit.

Hujus rei teſtes ſunt.

Albertus Snagardus.
Bernerus de Tenremonde, & nepos ejus *Aſtricus.*
Lanxo de Aloſt, & *Henricus* privignus ipſius.
Sigerus de Aloſt.
Suboldus Caſtellanus, *Godeſcalcus* nepos ejus.
Tiboldus de Hofſtade.

Et quia animabus earum vagatio non expedit, conſtitui, ut ex noſtro loco fratres ætate & moribus maturos habeant, qui inibi per ſe habentes habitacula, tam de divinis officiis, quàm de ſecularibus procurent eis quoque neceſſaria.

Una autem ex iiſdem aptior ceteris regendis, electione Abbatis & Sororum Dominum timentium, ab ipſo Abbate præponenda eſt illis. Abſque conſilio Abbatis in ſuo conſortio nullam eis concedimus recipere, nec Abbati ullam, abſque earum conſilio, eis inſerere.

ORDINAMUS inſuper & præcipimus, ne cupiditate aliquâ, infantium vel juvencularum ſibi attrahant multitudinem, ne quoque adverſus Converſas puellaris prævaleat levitas, & ipſius Congregationis deſtruatur ſanctitas. Notamus etiam Abbatem, vel ejus nuntium, ſi neceſſe fuerit, publico placito, quod ter fit in anno, intereſſe; quia præter illum alius Advocatus ipſius alodii non æſtimabitur. Quod ſi contigerit in earum poſſeſſione, vel in earum Conventu, alicujus rei magna tranſgreſſio, Abbatis præſtolabitur præſentia.

Super omnia autem decrevimus Ordinem *Cluniacenſem* Sanctimonialium de MARCINIS debere eas obſervare, vel aliarum feminarum, ſub regulari Abbate conſiſtentium; ita ut numquam de clauſtro, poſtquam intraverint, liceat exire, ſed clauſtri clavem Abbas habeat, aut Monachus maturus, & Deum timens, cui bene credat. Profeſſiones ſuas coram Abbate faciant: nulli mortalium, & maximè hominum, abſque licentia in collocutione ſocientur; quod tamen cum magna gravitate & honeſtate fiat, præter verba otioſa, & riſum moventia, & abſque inordinata conjunctione, & hoc non ſine teſtimonio Sororum Dominum timentium, cum clara luce diei.

Fac-

Facta est hujus traditionis charta, anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo sexto, Indictione IV, eo anno, quo Occidentales, unâ conspiratione, Jerusalem contra Paganos proficiscuntur, cum quibus & iste GISELBERTUS profectus est. 1096.

Ego autem, post discessum ipsius *Giselberti*, loca ipsius alodii peragrans, & situm congregationi aptum non inveniens, in Ecclesia FORESTENSI, ab ODONE Cameracensi Episcopo nobis tradita, eas transtuli: ubi Christus, qui est sacrarum Virginum sponsus, pacem tribuat eis, & vitam quietam det eis, inibi sanctè & castè sub eodem sponso suo vivere, per omnia & in omnibus ei placere, ut cum eodem in cælesti palatio possint regnare, & in ejus piis amplexibus valeant in æternum gaudere. Quod filius æterni Regis eis præstare dignetur. Fiat, fiat, fiat.

Sed cum Alostanus fundus ad id minus idoneus videretur, *Fulgentius* Abbas prædictus in Ecclesiam Forestensem ab *Odone* Cameracensi Episcopo sibi traditam, hoc Monasterium transtulit anno 1107. ubi hodieque perstat hæc Illustris Nobilium Virginum Abbatia Ord. *S. Benedicti.* Et cum ex primæva institutione Prioratus esset Affligemiensi Abbati subjectus, *Guido* Episcopus Cameracensis anno 1238. certâ ratione ductus, ab eâ subjectione illud exemit, & ab Affligemio separavit, binâ visitatione per annum Abbati relictâ, correctione vero Episcopo reservatâ. Prima Abbatissa electa fuit *Petronilla Segeri* Templarii Equestris ordinis Castellani Gandavensis filia Cameraci benedicta a præfato *Guidone* die 2. Octobris anno 1239.

Templum Parochiale Forestense quod est Abbatiæ contiguum a *B. Amando* Tungrensi Episcopo traditur dedicatum, auctum deinde est ex eleemosynis peregrinorum ad *B. Alenæ* Virg. & Mart. Reliquias confluentium, exornatum, & fornicibus desuper tectum anno 1482.

In hac Ecclesiâ quiescit corpus præfatæ *B. Alenæ* sive *Halenæ* Virg. & Mart., quæ temporibus *S. Amandi* floruit. Erat illa Reguli Dielbecani Ethnici filia unica (Toparcham hodie diceremus) circa annum 640. quæ dum ad Forestensem Ecclesiam devotionis causâ sub noctem iret, furtivas Deo nostro preces fusura a satellitibus patris deprehensa in viâ, violenter illi brachium extrahi jussit, quâ ex mutilatione mortua & Martyrum palmam adepta est, brachium ab Angelis in altare repositum, corpus inter abstrusas sylvas repertum; in cryptâ reconditum, tot vero tantisque cœpit mox coruscare miraculis, ut illis pater excitatus fidem Christi & baptismi gratiam perceperit *Heroldus* in regeneratione nuncupatus (cum antea *Lewoldus* vocaretur) unâ cum conjuge suâ *Hildegarde* in vitâ, & post eam mira operatus. Sepultus est autem *Heroldus* cum conjuge suâ Dielbecæ in Ecclesiâ quam ad honorem *S. Ambrosii* exstruxerunt.

Cum autem capsa S. Virginis sic dein confracta esset, ut sacra ejus ossa conspicerentur, ne quid inde eriperetur ex Ecclesiâ, quæ *S. Alenæ* dicitur, translata est ad cryptam matricis Ecclesiæ quæ est S. Dionysii.

Cæterum *Godscalcus* Abbas Affligemiensis anno 1193. ex cryptâ retulit sacras Reliquias & populo exhibuit: in quâ ostensione multi sanitatem recuperarunt. Ita ferè *J. Molanus* ad Dominicam diem ante natalem *S. Joannis Baptistæ.* Deinde iterum ab *Adriano* Episcopo Rossensi & Suffraganeo Cameracensi visitatum Anno 1529.

Succedentibus temporibus cum Dielbecani incolæ certo affirmarent se possidere corpus *S. Alenæ*, non vero Forestinæ Virgines, hæ vero contra, tandem *Matthias* Mechlinienſis Archiepiscopus anno 1601. rebus benè & diligenter examinatis, Forestinas Moniales verum *S. Alenæ* corpus possidere declaravit. Dielbecanis vero incolis sub interminatione divini judicii & cen-

ſurarum fulminatione interdixit, ne impoſterum in vulgus quid ſimile ſpargerent.

In Cœmiterio nux avellana monſtratur ab ipſa virgine plantatâ, cujus fructus ſæpe laborantibus fuit ſalutaris; hodie ſuis parietibus circumſepta eſt, & in veneratione habetur.

Denique Virgines hujus Abbatiæ omnes ex primâ inſtitutione jubentur eſſe, nec aſſumi niſi nobiles, & militari (hoc eſt) equeſtri familia natæ.

ABBATISSÆ FORESTENSES.

I. *Petronilla Segeri* Caſtellani Gandavenſis filia. Obiit 9. Maii.
II. *Helwidis de Bauterſem.* Obiit 7. Julii.
III. *Maria.* Obiit 15. Decembris.
IV. *Machtildis de Aſca.* Obiit 29. Octobris.
V. *Aleydis de Pollaer.* Obiit 9. Junii.
VI. *Claricia de Cattendyck.* Obiit 10. Octobris.
VII. *Catharina Beaufort.* Obiit 26. Decembris.
VIII. *Catharina Keſterbeke.* Obiit 8. Aprilis.
IX. *Margareta van Bovynes.* Obiit 21. Martii.
X. *Yolenta van Yſche.* Obiit 2. Martii.
XI. *Joanna van Heuſden.* Obiit 12. Martii.
XII. *Iſabella de Maſmines.* Obiit 6. Decembris.
XIII. *Aleydis de Goer* electa 1384. Obiit 6. Decemb.
XIV. *Maria de Traſignies* electa 1386.
XV. *Maria Sconincx* electa 1388.
XVI. *Catharina de Maldeghem.* electa 1418. Obiit 6. Auguſti.
XVII. *Eliſabetha Skonincx* electa 1430. 9. Februarii. Obiit 19. Auguſti.
XVIII. *Margareta van Scoers* electa 1458. die 20. Julii. Obiit 1489.
XIX. *Catharina de Bouchaut.* Obiit. 1516.
XX. *Barbara de Leaucourt.* Obiit 1516.
XXI. *Margareta de Liedekercke* ex Abbatia Giſlengemienſi, Foreſtanam novis ſtatutis reformavit & obiit 1541. die 25. Septembris.
XXII. *Margareta de Lidekercke.* neptis præcedentis obiit 19. Maii 1560.
XXIII. *Franciſca de la Douve* dicta de Sanguis cum Monialibus exulavit e Monaſterio, quod per hereticos fuerat deſtructum; obiit Bruxellis Ao. 1583. ſepulta in templo Clariſſarum.
XXIV. *Adriana du Petit Cambray.* Obiit 1608.
XXV. *Maria Taye.* Obiit anno 1638.
XXVI. *Franciſca de Bette* ſub hac Antiſtite anno 1660. reformatio ſtrictioris clauſuræ amplexa eſt & introducta; obiit Anno 1666.
XXVII. *Catharina Quarrè.* Obiit Ao. 1668.
XXVIII. *Dorothea Chriſtina D'Yve.* Obiit 1692.
XXIX. *Agnes Scholaſtica* de Riviere d'Arſcot. Obiit 1711.
XXX. *Maria Joſepha de Spinoſa.* Benedicta die 18. Aprilis Ao. 1717. hodierna Abbatiſſa.

FURA vernaculè *Ter Vueren*, præfecturæ Vilvordienſis, Municipium celebre & Nobile, medio ferè itinere inter Lovanium & Bruxellam, ſitum ad initium ſylvæ Soniæ; locus perquam amœnus, venatum Ducibus noſtris exhibere ſolitus. Conſtat certe *S. Hubertum* hunc locum ut patrimonialem ante Clericatum in deliciis habuiſſe, atque in ipſâ arce Furanâ Ao. 727. feli-

liciter & piè obiiſſe, item *Henricum I. Joannem II. Antonium*, *Joannem IV.* & alios Principes noſtros hic vixiſſe, aut vivere deſiiſſe.

Hic frequenter Principem ejuſque Conſilium commorari ſolitum docent frequenter ibidem exarata & ſubſignata Diplomata.

Caſtrum hic vetus a Normannorum ævo, quod ſumptu & opere magnifico *Margareta Eduardi* Angliæ Regis filia, *Joannis II.* uxor exornans ex arce Palatium fecit ingenti ambulacro, vivario, hortis, nemoribuſque elegans & conſpicuum, quod temporis bellique injuria magnâ ex parte collapſum, *Albertus* Belgarum Princeps inſtauravit, ædificiis auxit, & novum a fundamentis Sacellum, eo ipſo loco quo *S. Hubertus* creditur exſpiraſſe, erexit. Sacellum ipſum in arcis areâ ſitum, & ternas in eo aras ſe præſente, Anno 1617. a *Matthia Hovio* Mechlinienſium Antiſtite conſecrari curavit. Schema hujus Arcis exhibetur in Caſtellis Nobilium Brabantiæ Baronis *le Roy*.

Hic etiam Vice-Comitis Prætorium cum ipſo Vice-Comitatu; hunc Anno 1435. emit a *Joanne vanden Boſche Joannes Hinckart*, cujus ex *Philippo* filio neptis *Joanna* nupſit *Joanni de Cortenbach* Helmondæ Domino, ſicque jure nuptiali tranſiit ad gentem de *Cortenbach*, a quâ circa annum 1690. viâ emptionis devenit ad *Libertum Franciſcum Chriſtyn*, cui *Carolus II.* Hiſp. Rex permiſit continuationem tituli Vice-Comitis de *Tervuren & Duysbourch*, diplomate dato Madriti die 1. Aprilis 1690. Hic ſine liberis defunctus Ao. 1718. ſucceſſit in hoc Vice-Comitatu filius ſecundo genitus ejus fratris *Joannis Baptiſtæ Chriſtyn* Cancellarii Brabantiæ, Baronis de Meerbeeck &c. *Erectum in Vice-Comitatum.*

Sub Præfecturâ Furanâ ſitum eſt *Altum Foreſtum*, Teutonicè *Hooghevorſt* ſecundo a Bruxellâ lapide. Acquiſivit illud emptione abſolutâ a *Philippo IV.* Hiſp. Rege anno 1638. die 14. Novembris *Philippus vander Linden*, magnus Brabantiæ Saltuarius, in cujus gratiam eodem anno ab eodem Rege in Baronatum erectum eſt. Succeſſorem habuit in hac Dynaſtiâ filium *Carolum Philippum*. Eo mortuo ſucceſſit ejus filius *Franciſcus Joſeph*, qui hodie hunc Baronatum poſſidet. *Erectum in Baronatum.*

Bruxellis in Eccleſiâ F. F. Minorum exſtare ſolebat ante nuperam hujus Eccleſiæ conflagrationem anni 1695. ſequens ſepulchralis inſcriptio.

Hier light begraven den Edelen Joncker Jooſt van Steenweghen, **Heere van Hooghvoorſt / ſynde voorſien van ſyne Maj^t. met het Hooghſchout ampt van Maeſtricht / is binnen deſer ſtadt overleden den** 12. **September** 1630.

Quoad rem ſacram, Eccleſia, Parochialis olim fuit, quæ nunc ædicula *D. Joannis Baptiſtæ*, quæ medio qnadrante horæ diſtat a modernâ Parochiali, quam magnificam & ſatis amplam pro populi commoditate veroſimiliter conſtruxerunt Duces noſtri, quæ dicata eſt *S. Joanni Euangeliſtæ*, cujus jus Patronatus *Henricus I.* Lotharingiæ & Brabantiæ Dux contulit Abbatiæ Parchenſi Anno 1227. uti patet hoc Diplomate.

HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, Univerſis præſentes Litteras inſpecturis, ſalutem. Ea quæ providè diſponuntur, ad hoc Scripto traduntur, ut non minùs poſterorum, quàm præſentium memoriæ commendentur. *Ita Sanderus ex Archivis, Parcenſibus.*

Sciant igitur tam futuri, quàm præſentes, quòd Nos habitâ deliberatione ſufficienti, & tractatu cum Viris prudentibus & Juris peritis, Fratribus de Parcho, juxta Lovanium, Canonicis videlicet Regularibus Præmonſtratenſis Ordinis, Jus Patronatûs Matricis Eccleſiæ in *Vura* ſitæ in allodio noſtro, contulimus in perpetuum; volentes quòd dum jam dictam Eccleſiam vacare contigerit, dicti Canonici eandem Eccleſiam ad uſus proprios teneant, unuſquiſque eorum Sacerdos, in eadem perſonaliter miniſtret.

Et ut collatio iſta rata permaneat, & inconcuſſa, præſens Scriptum, Sigilli noſtri impreſſione roboramus his Teſtibus,

Domino Hoſtone de Traſenis,
G. de Sterbeka,
W. de Iska, Militibus,
Magiſtro G. Fiſyco,
G. de Sergingen,
Magiſtro R. Hogſen,
I. de Sterbeka, Clericis noſtris,
D. Villico de Bruxella,
G. de Werda,
J. filio Seboydi,
Et aliis quam pluribus,

1227. Actum anno gratiæ M. CC. XXVII.

Hanc donationem confirmavit Anno 1259. *Nicolaus* Epiſc. Cameracenſis ad inſtantiam Dominæ *Aleydis* Duciſſæ Brabantiæ, ſimul concedens ut ſicut antedictæ Eccleſiæ per ſæculares erat deſervitum, ita de cætero eidem deſerviretur per unum e Canonicis Eccleſiæ Parchenſis. Diploma exhibetur in Chorographia ſacra Abbatiæ Parchenſis *A. Sanderi* in fol. pag. 22. Quin & eodem anno 1227. idem Dux *Henricus I.* contulit Præfatæ Abbatiæ duas Capellas in Vura ſitas, unam infra Curtim (ubi tenetur mortuus *S. Hubertus*) alteram conſtitutam in ſummitate dictæ villæ ſcilicet Vuranæ, quæ vocatur S. Euangeliſtæ, & ſimul dedit duas partes Majoris decimæ, reliquas duas partes poſſidet Capitulum *S. S. Michaelis & Gudulæ* Bruxellenſis.

Hæc Capellania Ducis Brabantiæ gravata eſt miſſa quotidiana, fundata, in bonis & decimis in vico Yſeringe.

Porro Eccleſia Parochialis poſſidet Lipſana quædam ſacra, partem oſſis *S. Huberti* Epiſcopi Leodienſis ex donatione *R. P. Caroli de Arembergh* Capûcini a Mechlinienſium Antiſtite *Jacobo Boonen* approbati; Cornu item eburneum argenteis laminis obductum, ponderans libras VIII. quo idem ſanctus ante Clericatum uti ſolebat. Eſt autem hic magna fidelium devotio erga hunc Sanctum ac veneratio ſingularis, & plures ejus interceſſione a rabie aliiſque plagis Deo miſerante curantur & præſervantur. Fuit etiam quondam Furæ Xenodochium, in quo infirmorum curam gerebant Moniales; at illud modo exſtinctum eſt, bonaque menſæ pauperum Parochianorum applicata, aliaque domus curandis infirmis deſtinata.

In Baſilicâ Parochiali Furanâ Sereniſſimus Belgarum Princeps *Albertus* trium ex ordine Ducum Brabantiæ *Antonii I.* qui prælio Azurienſi Ao. 1415. periit, ejuſque filiorum *Joannis IV.* qui Lovanienſem Academiam condidit & *Philippi I.* qui Lovanii in arce fatis conceſſit communem tumulum, antea mutum, loquentem fecit, hoc eſt additâ hac eleganti & prolixa inſcriptione decoravit.

Deo

Deo Optimo Maximo.

ANTONIUS, JOANNES, PHILIPPUS.

Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi Duces, ille Pater, hi filii, cum *Joanna Sanpaulina* Matre commune hoc monumentum habent parvum magni, sed vel ideo magnum.

Antonius Justus, acer, ac militaris pugna Azincurienſi cæsus VIII. Kal. Novembris M. CCCC. XV. Cadaveribusque hostium obrutus, triduum & pulcherrima morte, velut sepultus, ut majorem huic gloriam tumulo inferret.

Joanna Antonii uxor Valeriani Comitis Sanpaulini filia, pulcherrima forma, castissimis moribus, sed ante maritum exstincta pridie Eidus Augusti M. CCCC. VII.

Joannes natu major pietatis ac doctrinæ amans XIII. ætatis anno Dux XVI. maritus, at infausto mox Conjugio XXIII. Academiæ Lovanienſis conditor, dien haud multo post obiit Kal. Majas M. CCCC. XXVI.

Philippus natu minor, tribus annis rerum potitus cum sponsam e Sicilia, Ludovici filiam exspectaret, Lovanii in arce fatis concessit pridie Non. Aug. 1430. sic pater, mater, filii, quem vivi amarunt locum, mortui illustrant. Sed Sereniſſimi *Albertus & Isabella Clara Eugenia*, Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ &c. mutum hactenus monumentum non passi sine scriptura esse, Patris, Matris, filiorumque nomina inscribi voluerunt, pridie Kal. Novembris D. DC. XVI.

Intra limites Municipii Furani est Conventus, seu verius Eremus F. F. Minorum Capucinorum ad ingressum Sylvæ Soniæ. Donavit eis locum Anno 1625. cum omnibus arboribus in eodem fundo sitis ad exstruendum inibi Cœnobium in Sylvâ Soniâ, Sereniſſima *Isabella Clara Eugenia* Hiſpaniarum Infans Belgii Gubernatrix, in quo cum piorum fidelium eleemosynis unius anni spatio hic Conventus totus perfectus est anno 1627. In hoc Patres Novitiatum egressi, adolescentiores mittuntur, ut hoc ab eis loco pristinæ devotionis Spiritus resumatur, & ad cœlestia contemplanda aptiores fiant.

Ab hoc Conventu medio milliari viâ continuâ arborum serie consitâ in Sylvâ Soniâ intra terminos Municipii Furani est ædicula Mariana ad Quercum *Jesu* nominata, vulgo *Jesukens Eyck*, ubi miraculosa Deiparæ imago requiescit in viâ quæ Namurco Bruxellas tendit. Ad eam frequens est a Bruxellâ præsertim (a qua distat duobus milliaribus) populi concursus. Locus sub curâ Abbatiæ Parchenſis constitutus, & ab ejus Abbatiæ Canonicis administratur, ac jure Parochiali nuper donatus, licet pauciſſimi sint hujus loci incolæ. De hac ædiculâ pluribus agit *A. Sanderus* in Brabantiâ parte I. ad quem Lectorem remittimus.

GRIMBERGA Municipium illustre, Præfecturæ istius nominis caput

Vetus Baronatus. & maximi nominis Dynastia ac Baronatus olim inter Brabantinos ex antiquioribus & celeberrimos ampliſſimæque juriſdictionis & territorii, pagoſque complures & Parochias magni nominis complectens; Vilvordia medio milliari, Bruxella duabus, Mechlinia vero duabus milliaribus cum medio diſtans.

Potentes olim habuit Bertholdicæ ſtirpis Dynaſtas, ſed a Brabantiæ Ducibus prælio victi, in ordinem redacti ſunt.

Defecit hoc ſtemma in *Gerardo de Berthout* ſeculo XIV. qui duas filias hæredes reliquit, alteram Comiti Vianenſi junctam, in cujus bona Naſſovii ſucceſſerunt, alteram *Leonio de AA.* Caſtellano Bruxellenſi, cujus poſteri Bergenſibus juncti in illam ſtirpem portionem hæreditatis ſuæ tranſtulerunt. Ita ut Grimberga a duobus hodie Dominis (quorum unus ex gente Naſſovia, alter ex familiâ Bergiâ) indiviſim poſſideatur. Vide Chronicon Belgicum *A. Miræi* pag. 316. Ex Naſſoviis nuper *Guilielmus III.* Magnæ Britanniæ Rex, poſt cujus mortem Anno 1702. litigatur inter Naſſovios de hoc Baronatu. Vide Diplomata *A. Miræi* novæ edit. pag. 219.

Erectum in Comitatum dein in Principatum. Bergenſes inibi præclarum habent Caſtellum, ab antiquo Baronatus, ac Comitatus titulo ab anno 1625. illuſtrè, qui Comitatus a *Carolo II.* Hiſp. Rege in Principatum erectus eſt ſub nomine de *Berghes* anno 1686. diplomate dato Madriti die 23. Maii in gratiam *Philippi Franciſci.* Hujus Caſtelli ſchema exhibetur in Caſtellis Nobilium Brabantiæ Baronis *Le Roy.*

Peculia gentis Naſſoviæ ſunt pagi ſequentes *Meys*, *Eppegem*, *Beyghem*, *Oſſele*, *Londerſeele*, *Bruſſegem* & pars de *Eelewyt* & de *Raemsdonck.*

Bergenſis Principis ſunt *Semps*, *Thiſſelt* & pars Dominii de *Buggenhout.*

Stemma Bergenſium invenies apud *C. Butkens* in Trophæis Brabanticis Lib. IX. in fine. Item apud *A. Miræum* in Not. Eccleſ. Belgii Cap. CXXXII. novæ edit. ubi ad hæc tempora Comites & Principes *Bergenſes* referuntur.

In ipſo Grimbergano Municipio præter Arcem Principis: complura ſunt Prætoria, & Dominia; e primis ſunt, Prætorium de *Poddegem* cum Dominio olim gentis Crainhemenſis, hodie N. de *Brouckhoven* jure uxorio.

Prætorium de *Oyenbrugge* cum Dominio, vetus *Oyenbrugganorum* peculium, a quibus teſtamenti tabulis devenit ad Baronem de *Rooſt* ex eadem gente. Ibidem eſt Sacellum *D. Annæ* ſacrum, in quo ſingulis diebus feſtivis divina celebrantur.

Prætorium *Linth* cum Dominio olim gentilium *Wingiorum*, dein de *Berthy*, hodie familiæ de *Brouckhoven*, ibidem eſt Sacellum Domeſticum *S. S. Trinitati* ſacrum.

Dominium & Caſtellum de *Padenbourgh* Anno 1550. emptum fuit a *Philippo Veuſels* Magiſtro Cameræ Rationum Brabantiæ, & *Emerentiana Sterck* Conjugibus: quæ ſoror fuit conſanguinea *Annæ Sterck* Dominæ de Stabroeck, Caſterle, Lichtert &c. uxoris *Ferrici a Bergis* Baronis Grimbergani.

Emerentiana vero *Sterck* plures liberos peperit: inter quos *Wilhelmus Veuſels* Decanus *S. Petri* Trajecti ad Rhenum, qui ab hæreticis Anno 1578. hac dignitate ſpoliatus ad Præpoſituram *S. Servatii* Urbis Molæ Trajectenſis, & ad Senatoriam dignitatem in Magno Senatu Belgico meruit promoveri. *Bernardus Veuſels* Præſes Cameræ Rationum Brabantiæ, Eques creatus 5. Januarii anno 1590. *Godefridus Veuſels S. Servatii* Trajecti ad Moſam Præpoſitus, & Eccleſiaſticus in Magno Conſilio Regio Senator. *Philip-*

lippus Veusels in supremâ Brabantiæ Curiâ Senator. Et *Emerentiana Veusels* Domina de Padenbourch, quæ 11. Septembris 1576. nupsit *Joanni de Romrée* Domino de Fraypont & de la Chapelle pro parte, in aulâ Maximiliani Cæsaris Nobilibus Palatinis aggregato: qui patrem habuit *Joannem de Romrée*, matrem autem *Catharinam de la Marck*.

Joannes Carolus de Romrée, filius secundi thori, Dominus de Mazée & de Padenbourg iteratis vicibus Consul Mechlinienſis, ductâ *Lucretia van Hoof* Domina de Caneghem, filiâ Joannis Domini Machlæ *S. Gertrudis* & *Joannæ Kerreman* obiit 5. Decembris 1683. cujus filius *Petrus Franciscus Vitalis de Romrée* Toparcha de Boenheyde, Caneghem &c. præclarè castellum suum de Padenbourch instruxit: qui modo *Maria Anna Theresia vander Boyen* ex Baronibus de Neerysſche & de Makem conthorali suâ orbatus, vitam Mechliniæ in dignitate Consulari populariter ducit, omnibus gratus, cui Nestorios annos apprecantur quivis boni.

Prætorium *Schiplaken* cum Dominio, olim *Immerseliorum*, dein gentilium de *Visscher*, hodiè *D. vander Cruycen* cum suis. In eo Sacellum *S. Cruci* sacrum.

Prætorium & Dominium *Ter Tommen*, Vice-Comitum Grimberganorum & Dominium de *Borcht*, olim fuit *Busliadanorum*, dein jure nuptiali Baronum de *Tserclaes*, a quibus anno 1692. via emptionis devenit ad *Henricum van Kerrenbroeck*, cui *Carolus II.* Hisp. Rex permisit continuationem tituli Vice-Comitis Grimbergensis die 13. Aprilis anno 1694. quo, anno 1699. sine liberis mortuo, devenit ad ejus fratrem juniorem *Ignatium van Kerrenbroeck*, in quâ stirpe perseverat; atque hodie illud possidet *Theresia Josepha van Kerrenbroeck*. In eo Sacellum *S. Salvatori* sacrum vulgo de *Borcht*, in quo diebus sacris a Grimbergensis Abbatiæ Canonico divina celebrantur, quo frequens concursus; in cujus vicinia monstratur locus Arcis Grimberganæ veteris, cum suâ viciniâ gaudens libertate propriâ; situm est juxta Vilvordiam.

In Choro *S. Nicolai Bruxellis* exstat sequens Epitaphium.

Cy gist Dame Anne vander Tommen, *fille de* Louis vander Tommen, *Escuyer*, *Seigneur d'Oplinter*, *Linden*, *Wiltsele*, *femme de Messire* Jean de Fourneau, *Chevalier*, *Seigneur de Cruyckenborch*, *Wambeke*, *Lombeke*, & *Ter Nath*, *que trespassa le 17. jour de Septembre* 1632.

In Ecclesia Parochiali *S. Catharinæ* ibidem extant sequentia Epitaphia Vice-Comitum Grimbergensium Dynastarum de *Borcht* & de *Ter Tommen* ut sequitur.

Hier licht begraven Heer Adolf van Busleyden, **in syn leven Borchgrave des lants van Grimbergen / Heere vander** Borcht **ende** Ter Tommen, **die sterft den 3. Meert** 1614.

Ende Vrouwe Philipote van Oyenbrugge **syne huysvrouwe / Borchgravinne der voorseyde plaetsen etc. die welcke sterft den** 19. **8ber** 1656.

Cy giſt tres nohle & Genereux Seigneur Jacques, Baron Tſercläes, *Vicomte de Grimberghe, Seigneur de* Borcht *& de* Ter Tommen *&c. vivant Eſcuyer de feu Sereniſſime Archiduceſſe* Iſabelle, *Infante d'Eſpagne, lequel mourut le* 29. *Septembre* 1639.

Et Dame Jenne de Buſſleyden, *Baronne, Vicomteſſe & Dame de Dits lieux, laquelle mourut le* . . . . . .

Hoc Illuſtre Dominium Grimberganum plurimum exornat eique decori eſt *Abbatia* vulgo dicta *Grimbergana* Ord. Præmonſtratenſis, a *Walthero Bertholdo* Mechliniæ & Grimbergæ Regulo in allodio ſuo Anno 1110. fundata, primitus pro Canonicis Regularibus *S. Auguſtini*, *Odone* Cameracenſi Epiſcopo approbante eodem anno; ſed prædicti Canonici Regulares propter dotationis tenuitatem, ſeu propter malorum temporum injuriam, poſt aliquot annorum ſpatium ſponte diſcedentes, alios colonos accerſendi facultatem præfato *Walthero* præſtiterunt, qui proinde mox Monachos Ord. *S. Benedicti* iterato ejuſdem *Odonis* conſenſu, ibidem ſuffecit. Verum hi etiam, *Walthero* defuncto, poſt modicum temporis ob ſupradictas rationes veroſimiliter loco voluntarie ceſſerunt; quapropter *Gerardus & Arnoldus*, præfati *Walteri* filii & hæredes, dictum Monaſterium Grimbergenſe *S. Noberto* Ord. Præmonſtratenſis conditori, tradiderunt, qui in eo ſui Ordinis Sodales collocavit, *Liethardo* Epiſcopo Cameracenſi anno 1131. id Diplomate ſuo confirmante, ſicque Altaria, prædia & bona, quæ antea erant Canonicorum Regularium, ipſis aſſignata ſunt. Diploma recitat non uno loco *A. Miræus*, & *A. Sanderus* in Chorographia ſacra Abbatiæ Grimbergenſis. En Diploma.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Liethardus Dei gratiâ Cameracenſium Epiſcopus, tam futuris quàm præſentibus in perpetuum. Divinâ atteſtante Scripturâ, quæ ait: *Ante mortem tuam benefac: quoniam non eſt apud inferos invenire cibum:* ad bene agendum invitamur: providendum itaque nobis eſt, ne de noſtra tarditate poſt mortem abjudicemur.

Eccleſiam igitur Grimbergensem, in honore S. Dei Genitricis Mariæ, & S. Petri Apoſtolorum Principis . . . . . ſitam, exaltare & nobilitare decrevimus: & qualiter ad nos à Prædeceſſoribus noſtris emancipata pervenerit, ſubnotare cenſuimus. Cum enim præfatam Eccleſiam * Gualterus quidam Nobilis, quia in allodio ſuo ſita erat, teneret, Dominus Odo, Prædeceſſor noſter, petitione ipſius Gualteri, & redditione, eandem Eccleſiam ab omni laica manu, & exactione aliqua & debitis obſoniis, ad uſum *Canonicorum*, ſecundùm Regulam B. Auguſtini viventium, primò emancipavit.

*Obiit anno 1131.

Succedentibus verò temporibus, cum illi nihil profeciſſent, & penitus Eccleſiam in nihilum redactam reliquiſſent, iterum petitione ejuſdem prædicti Gualteri, Monachorum Ordinem ſub eadem libertate ibidem impoſuit. Sed & illi perſecutiones malefactorum & paupertatem ſuſtinere non valentes, iterum deſolatam reliquerunt.

Noviſſime verò defuncto Gualtero, heredes ejus, Gerardus videlicet * & Arnulphus, quia patris & matris & parentum eorum ibidem oſſa requieſcebant, deſolationem Eccleſiæ non ferentes, petierunt à Domino Norberto, viro ſpectabilis religionis, per legatum ſuum hominem quemdam Alvaricum nomine, ut ſuæ religionis Fratres in præfata Eccleſia poneret.

* *Draekenbloedt.*

Ipſe verò tandem petitionibus eorum acquievit, & Fratres ibidem impoſiti, ſub tutela Abbatis & Fratrum Præmonstratæ Eccleſiæ, per aliquot tempus commorantes, & de die in diem, adjutrice gratiâ, in melius pro ſua paupertate & propo-

posito proficientes, à nobis, & Abbatem & præfatam libertatem innovari petierunt. Nos verò justis eorum petitionibus annuimus, sic videlicet ut libera esset à servitio, à ceterarum consuetudine Ecclesiarum, ab omni prorsus exactione Episcopi, Archidiaconi, & Decani.

His autem Ecclesiæ concessis, Ecclesiæ Cameracensi hoc solum de illa habendum retinui, Ordinationem Fratrum, & filialem loci subjectionem. Et si quem, secundùm ordinem & tenorem Præmonstratæ Ecclesiæ, à qua descendit religio, Abbatem canonicè elegerint, vel ejusdem Præpositum, Ego & Successores mei sacrent, vel ubi petitione Fratrum, & necessitate idoneâ cogente eum sacrari permiserint: si quid etiam in Conciliis, in Synodo, de jure & negotiis, & utilitatibus Ecclesiasticis tractare contigerit Episcopum, de quiete sua Abbas evocetur ad ejus dirigendum consilium.

Ipsemet verò Abbas Parochiam cuilibet Sacerdoti boni testimonii committat, quem Episcopo per se, vel unum de suis Fratribus ad suscipiendam populi curam præsentet. Qui si peccaverit, vel Fratribus in aliquo molestus fuerit, sicut ab Episcopo vel ministro ejus, sic ab Abbate removeatur vel corripiatur.

Concedo etiam ut si inbannitur terra, remotis excommunicatis, hæc cantet Ecclesia, clausis januis. Interdico autem, ne quemquam à prædicto Ecclesiæ Claustro, sine permissione Abbatis, & assensu totius Congregationis liceat discedere, discedentem verò nullus audeat recipere.

Bona etiam & possessiones, quas justè & legitimè prædicta Ecclesia possidet, ad usus Canonicorum Regularium ibidem Deo servientium, præsentis Scripti paginâ confirmamus: Altare videlicet de (*a*) *Wamblinis* cum appendiciis suis, (*b*) *Barckehem*, (*c*) *Radelegim* & (*d*) *Rameſdum:* Altare de (*e*) *Meyse*, cum appendiciis suis (*f*) *Opehem* & (*g*) *Rode*, Altare de (*h*) *Strombeke*, & decem & octo mansos terræ. Ex quibus prædictus *Gualterus* sex dedit, *Gerardus* filius unum, *Alvericus* tertius filius suus . . . *Reinerus* duos; & quod supererat, antiquitus possedit Ecclesia. Quæcumque præterea justè adipisci poterit, firma & illibata illi conserventur. Ad arcendas igitur quorumlibet importunitates, datâ conservatoribus pace, in prævaricatores, quoad resipuerint, excommunicationis sententiam proferimus, atque Canonicâ subsignatione, nostrâque subimaginatione hujus nostri Decreti paginam confirmamus.

(*a*) *Wemmel.*
(*b*) *Berchem.*
(*c*) *Releghem.*
(*d*) *Ramsdonck.*
(*e*) *Meys.*
(*f*) *Ophem.*
(*g*) *Nieuwen-rode.*
(*h*) *Strombeeck.*

Signum mei ipsius LIETHARDI Episcopi.
S. Joannis, Theoderici, Alardi,
Theoderici, Gerardi, Archidiaconorum.
S. * Elebaldi Præpositi, Gildardi Decani, Rothberti Cantoris, Guidonis, Hugonis, Werimbaldi, Lantberti, Adam, Bartholomæi, Canonicorum.

Pagi vel Vici, ubi Pastores sunt Religiosi Grimbergenses.
* *Aliis Erlebaldus.*

Actum est hoc Cameraci, anno Incarnationis Domini millesimo centesimo tricesimo secundo, Indictione decimâ. Ego WERIMBALDUS Cancellarius scripsi & recognovi . . . . 1131.

Subsecuti deinde Toparchæ Grimbergani avitæ pietatis ac munificentiæ æmuli Cœnobium illud certatim muneribus & bonis auxerunt.

Humbertus primus Abbas Ecclesiæ Grimbergensis in eodem suo Monasterio simul instituit patris *Norberti* exemplo insistendo, ab initio Sorores Moniales, & ita Cœnobio virorum Grimbergensi junctum fuit Cœnobium Norbertinarum, uti per totum Ordinem juxta *S. Norberti* constitutum, constat fuisse observatum, quod manifestè Necrologium ejusdem Abbatiæ & vetera monumenta testantur; verum id postea vitandis periculis & scandalis anno 1137. in Comitiis generalibus ab *Innocentio* Papa confirmatis ubique abrogatum est, & dictus *Humbertus* anno 1139. virtute hujus decreti Moniales ad Parochiam de *Meyse*, in loco dicto *Novo Sarto*, vernaculè *Nieuwen-Rode*, horæ circiter spatio a Monasterio dissito sub regimine discretæ Priorissæ transtulit, ubi præfatæ Sorores in religiosa domo, sibi sub tutelâ & titulo *B. Mariæ* Virginis exstructâ, in omni Sanctitate & humilitate Domino vixerunt juxta Pontificum & Capituli Generalis constitutiones, usque ad tempora

Goſwini XI. Abbatis Grimbergenſis, quo fuerunt penitus exſtinctæ. Locus habitationis Sororum Monialium in Novo Sarto poſt illarum extinctionem, propter defectum inhabitantium, mox fuit deſolatus, dirutus & extinctus.

Ab immemorabili tamen tempore ibidem ſemper poſtea exſtitit Sacellum D. Virgini ſacrum, cui præfici ſolet hujus Eccleſiæ Canonicus cum titulo Vicarii.

In illarum Monialium bonis dein Succeſſêre Grimbergenſes. Hoc ſemel annotaſſe placuit, ut lucem afferant, cum in fundationibus Abbatiarum Præmonſtratenſium fit mentio Monialium Norbertinarum ſimul cum viris cohabitantibus; nam Abbatiæ Præmonſtratenſes primitus fuêre utriuſque ſexus, uti hodie nonnulla Brigittinarum Monaſteria.

Floruit in hac Abbatiâ magnâ cum opinione Sanctitatis Vener. *Daniel a Campenhout*, ibidem dum viveret Prior, qui obiit anno 1552. die 11. Septembris, cujus ſepulchrum apud Grimbergenſes in veneratione eſt, tamquam pii hominis Deo digni; ejuſque ſacram memoriam ponit *A. Raiſſe* in Auctuario ad Natales S. S. Belgii *J. Molani* die XI. Septembris.

Eccleſia Parochialis *S. Servatio* Epiſc. Tungrenſi ſacra eſt, quæ ab Abbatia Grimberganâ dependet, & univerſa ferê hujus pagi Decima.

Diviſio Parochiæ a Cœnobio quoad Officii Divini celebrationem facta eſt anno 1280.

Ex hac Abbatia prognata eſt Abbatia *S. Nicolai* Furana prope Neoportum anno 1128. vel 1129. cujus proinde eſt filia.

Eccleſia Abbatialis nova & ſpendida cum inſigni & altiſſimâ turri, noſtrâ ætate conſtrui cœpta eſt, eamque multum promovit nuper defunctus Abbas *Hermannus Demunck* circa annum 1700.

Cæterum Anno 1715. & ſublequentibus annis novus & inſignis Conventus a fundamentis exſtrui cœptus eſt præclaræ & nobilis Architecturæ, qui hanc Abbatiam plurimum illuſtrat.

ABBATES GRIMBERGENSES.

I. Humbertus a *S. Norberto* ex Præmonſtrato miſſus anno 1128. Præmonſtratenſem Religionem in hoc loco collocavit. Obiit circa annum 1148.

II. Theodoricus ex Præmonſtrato huc miſſus, vixit circa annum 1158.

III. Egbertus primus hujus Abbatiæ Profeſſus præfuit ab anno 1170. uſque ad An. 1179.

IV. Symon vixit Anno 1180.
V. Joannes.
VI. Joannes de Merchtenis.
} incertum quo anno obierint.

VII. Hescelo. Obiit An. 1222.

VIII. Guilielmus. Obiit An. 1229.

IX. Franco. Obiit anno 1244.

X. Walterus de Roesbeke. Canonicus Grimbergenſis, ex Abbate Diligemenſi, poſtulatus a Grimbergenſibus Abbas Ao. 1256. Obiit 1259.

XI. Goswinus vixit Ao. 1260. & uſque ad An. 1270.

XII. Walterus de Caelmont Canonicus Grimbergenſis electus Abbas Diligemenſis, dein poſtulatus Abbas Grimbergenſis, præfuit ab Anno 1270. Obiit Ao. 1312.

XIII.

XIII. Anselmus. Obiit Ao. 1314.
XIV. Joannes de Poddegem. Obiit Ao. 1320.
XV. Gerardus de Iska. Obiit Ao. 1330.
XVI. Walterus de Marca. Obiit Ao. 1354.
XVII. Godefridus de Vos. Obiit Ao. 1370.
XVIII. Joannes van Hove. Obiit Ao. 1392.
XIX. Joannes de Sape Brugenſis. Obiit Ao. 1396.
XX. Radulphus de Buysingen. Obiit Ao. 1397.
XXI. Balduinus de Prickere. Obiit Ao. 1400.
XXII. Ægidius de Bouchout. Obiit Ao. 1416.
XXIII. Cornelius de Kempener. interfuit Concilio Baſileenſi & obiit Ao. 1446.
XXIV. Joannes Vranx Bruxellenſis. Obiit Ao. 1465.
XXV. Joannes de Mechlinia. Obiit Ao. 1474.
XXVI. Joannes de Molendino, alias *Sceers*. Obiit Ao. 1477. Poſt cujus mortem *Judocus Bruylant* Profeſſione Religioſus Grimbergenſis, ſiniſtrâ ambitione, ope *Lucæ* Epiſcopi Sabinienſis, in Belgio Nuntii Apoſtolici a *Sixto IV.* Papa obtinuit proviſionem Abbatiæ Grimbergenſis contra Canonicam electionem & proviſionem de Perſona *Marci de Platea*; ſed opera ac induſtria *Theodorici de Tuldel* Abbatis Parchenſis rejectus fuit ab Abbatiâ Grimbergenſi.
XXVII. Marcus de Platea Lovanienſis, a *Maximiliano I.* Cæſare An. 1478. obtinuit ne Abbatiæ Grimbergenſis, S. Michaelis & Tongerloenſis, ullo unquam tempore dentur in Commendam. Obiit Mechliniæ contagioſo morbo correptus Anno 1489.
XXVIII. Arnoldus Persoens rexit uſque ed annum 1506. quo annis gravatus reſignavit Abbatialem dignitatem *Petro van Wayenberge* triennio ante mortem.
XXIX. Petrus de Wayenberge Bruxellenſis, obtinuit anno 1524. a *Clemente VII.* Papa uſum Mitræ & Pontificalium. Obiit Bruxellis Anno 1540.
XXX. Franciscus de Blioul Bruxellenſis per annos XVIII. functus munere Coadjutoris, non niſi duos annos ut Prælatus præfuit. Obiit An. 1542.
XXXI. Nicolaus de Spira Bruxellenſis, primus ex nominatione Principis inauguratus eſt Abbas anno 1543. Hic ex Sacriſtâ Supprior, inde Prior ac denique Abbas, laudabiliter præfuit, & publicis Patriæ negotiis fructuoſè pluries adhibitus. Vitâ exceſſit Anno 1568.
XXXII. Gerardus de Campenhout ex Paſtore in Wemmel Abbas Anno 1571. ædes Monaſterii Lovanii ſitas in Collegium Præmonſtratenſe, contractu inito cum aliis ejuſdem Ordinis Belgii Prælatis, conceſſit. Hujus tempore omnis pretioſior Eccleſiæ ſacra ſupellex ab hæreticis direpta eſt juxta Teneramundam, quo illa transvehebatur, ut latrociniis, & rapacitati tutius ſubduci poſſet. Obiit Anno 1577. die 20. Aprilis.
XXXIII. Antonius van Oyenbrugge ex Priore in Prælatum electus Bruxellis, quo ſe cœtus Religioſus ſubduxerat propter patriæ turbas, Monaſterio flammis abſumpto, facultate Pontificiâ & Regiâ notabilem prædiorum, bonorumque portionem emptioni expoſuit, ut deſtructa repararet, & Religioſorum neceſſitatibus ſubveniret. Obiit Anno 1594. die 13. Februarii.

XXXIV. Philippus Raubergen Mechlinienſis ex Paſtore in Wemmel, Conventum ex Bruxellenſi exilio reduxit, & priſtino loco reſtituit, & loca Conventualia in ſuis ruinis propè ſepulta reſtauravit, & priſtino ferè decori reſtituit. Mortuus Ao. 1613.

XXXV. Christophorus Outers Trudonenſis, Paſtor & Prior Grimbergenſis, domos Paſtorales exſtruxit in Berchem, Raemsdonck & novo Sarto, prout etiam ædes Bruxellenſes. E vivis exceſſit apoplexiâ correptus die 12. Septembris anno 1647.

XXXVI. Carolus Fernandez de Velasco Bruxellenſis, primo Paſtor in Berghem & Beygaerden, deinde ex Paſtore Grimbergenſi Abbas denominatus anno 1647. Laudatiſſimè præfuit annis 18. In pauperes profuſus; nihilominus ædificia multa conſtruxit, ipſamque Templi fabricam ſuâ parcimoniâ magnificam & ſumptuoſam ædificare cœpit & admodum provexit. Pietatem & religioſam obſervantiam exemplo potentius commendavit quam imperio: & conſtitutus Vicarius Generalis Hiſpaniarum Diſciplinam ac Studia etiam apud exteros diligenter reſtituit promovitque. Obiit Bruxellis 13. Octob. 1665. ætatis anno 69.

XXXVII. Judocus vander Elst Grimbergenſis, primum Paſtor in Berghem deinde in Wemmel, utrobique zeloſus, exemplaris, intrepidus: ætate provectior Abbas denominatus, biennio non toto præfuit. Vir antiqui candoris & gravitatis, humilis, patiens & hoſpitalis. Obiit Bruxellis 21. Februarii 1670. ætatis 71.

XXXVIII. Laurentius Bogaerts Flander, ex Proviſore Abbas, luctuoſis belli temporibus prudentiſſimè rexit, in adverſis conſtans & pacatiſſimâ animi tranquillitate ſedatus, demiſſione, & titulorum faſtûſque odio, ac ſingulari morum exactitudine admodum commendabilis. Turrim Eccleſiæ magnoperè provexit, & ſpirituali non minus quam temporali regimini utiliter intentus. Obiit Bruxellis die 24. Januarii 1692. ætatis 72. Prælaturæ 22.

XXXIX. Judocus Bassery Bruxellenſis, nominatione Regiâ ex Cura de Ophem ad Prælaturam promotus gregem ſibi commiſſum (etſi bellorum injuriâ ut plurimum abeſſe coactus) prudenter fideliterque rexit, paternâ Charitate & ſingulari benevolentiâ ſuos ſemper complexus, dignuſque, qui Vicarius Generalis Circariarum Brabantiæ & Friſiæ conſtitueretur. Vaſtam Eccleſiæ turrim à Choro avulſam & penè lapſum minitantem felici ſucceſſu reſtitui curavit. Publicatâ pace domum indilatè redux, dum majora molitur, è vivis abripitur Bruxellis 8. Maii 1698. Ætatis 65. Prælaturæ 6. expleto.

XL. Hermannus de Munck Mechlinienſis, primum S. T. Supprior & Novitiorum Magiſter laudatiſſimus, deinde Paſtor in Wolverthem annis 17. Gregem ſibi commiſſum verbo & opere diligentiſſimè pavit, pauperum & infirmorum paternam Curam habuit, eapropter æſtimatiſſimus. Divinum Cultum Devotionemque erga Virginem Deiparam egregiè promovit ædificato Sacello ejus Impdano hodiedum celebri. Abbas conſtitutus non minori in omnibus Zelo exarſit, templi fabricam magnopere promovit & ornavit; Divini Cultûs majeſtatem & decorem impenſiſſimè dilexit, religioſam obſervantiam opere ac exemplo non minus quam frequenti facundoque ſermone ſancivit, & in pauperes affectuoſiſſimè profuſus, omnibuſque ingenitâ demiſſione & candore bene-

nevolus omnium sibi amorem devinxit. Obiit Grimbergæ 6. Decemb. 1712. Ætatis 69. Prælaturæ 15.

Vacavit Prælatura annis quatuor.

XLI. Augustinus van Eeckhout Bruxellensis quondam Magister Novitiorum, S. T. Supprior & Prior. Deinde Pastor in Wemmel & Archipresbyter Districtus Brux. annis octo. Denominatione Cæsareâ & Regiâ Abbas anno 1716. possessionem adiit 23. Decemb. 3. anni sequentis Abbatiales Insulas suscepit. In Archidiœcesi Mechlinienſi Judex Synodalis, & Illustrissimorum Brabantiæ ordinum Deputatus Ordinarius; hodie regit.

HAM altero lapide a Bruxellâ, Præfecturæ Merchtemensis. Dominium Comitis *S. Petri* Jettensis, uti alibi pluribus dicetur, constituens eum Jette, Ganshoren, Relegem, & Bever unum tribunal. Pagus est exiguæ extensionis; complectitur enim vix centum & quinquaginta terræ bonaria, habens perpaucos incolas.

Ecclesia dicata est B. Virgini Deiparæ. Patronatus ejus spectat ad Archiepiscopum Mechlinienſem jure Abbatiali Affligemienſi. Universa pagi decima spectat ad Parochum.

Capellania *S. Crucis* hujus Ecclesiæ annexa est Pastoratui anno 1591. die 6. Maii per *Matthiam Hovium* Vicarium Generalem Diœcesis Mechlinienſis vacantis, habet onus trium missarum hebdommadatim.

Incolæ hujus pagi colunt ad diem 8. Januarii festivo ritu *S. Gudulam* Virg. Patronam Bruxellensem, errore inducti hanc Divam hunc locum de Ham olim incoluisse. Quis autem locus sit Ham quam hæc Diva olim inhabitaverit dicemus in pago de Moorsele in Decanatu Alostano.

HAREN primo lapide cum dimidio a Bruxella, Præfecturæ Campenhoutanæ, situs ad aquæ ductum Bruxellensem.

Anno 1626. jure pignoratitio hoc Dominium a Rege acquisivit *N. Madoets*: Dein Anno 1644. emptione publicâ a *Philippo* Hisp. Rege devenit ad *Godefridum vande Wouwer*. Hodie Dominium hoc possidet *Guilielmus van Langendonck*.

Ecclesia tutelarem colit *S. Elisabetham* Vid. Patronatus curæ Pastoralis spectat ad Capitulum *S. S. Michaelis* & *Gudulæ* Bruxellis, cui competit potior pars decimarum dono *Henrici I.* Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis anno 1224. ac *Guilielmi Pipenpoy.* anno 1208. Diploma recitat *A. Miræus* in Donat. Belg. Lib. II. Cap. XCII. novæ edit. ut sequitur.

Universis præsentes Litteras inspecturis G. Decanus, totumque Capitulum B. Gudilæ in Bruxella, salutem in Domino.

Noverit universitas vestra, quòd cùm Dominus Willelmus Pipenpoy, jus decimæ, quod habebat in *Hare*, in manus nostras liberè & absolutè, nomine eleëmosynæ, resignasset, humiliter & devotè à nobis supplicavit, ut post vitam Aleidis Uxoris suæ anniversarium suum in perpetuum faceremus. Nos verò devotionem ipsius attendentes, promisimus eidem anniversarium ipsius Aleydis facere; & ad hoc in perpetuum faciendum nos obligamus.

In anniversario prædicto fructus decimæ totius præsentibus distribuentur, excepto quòd inde Custodi Ecclesiæ quattuor denarii, pro campanis pulsandis, conferentur.

Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo octavo, feriâ sextâ post Trinitatem. 1208.

Cæterum cum *Riseldis* Matrona dotat Hospitale *B. Mariæ*, & XII. Apo-

ſtolorum Bruxellis, inter cætera donat partem decimæ in Haren teſte *A. Miræo* in Dipl. Belg. Lib. I. Cap. LVII. novæ edit. quod diploma protulimus in Urbe Bruxellenſi cum Cœnobium *S. Gertrudis* ibidem deſcripſimus.

Hodie decimarum participes ſunt præfatum Capitulum, item Capitulum Soigniacenſe in Hannoniâ, & Parochus; unicuique eſt ſuus decimarum diſtrictus; at nuperis annis decima præfati Capituli Soigniacenſis relicta eſt Paſtori in Evere pro parte portionis congruæ.

HEEMBEKE Inferior, Teutonicè *Neer-Heembeke*, ad aquæ ductum Bruxellenſem. Præfecturæ Merchtemenſis Dominium, in ſublimitate collis ſitum, primo lapide a Bruxellâ. Dominium Heembeke ſuperioris & Inferioris anno 1574. poſſedit *Antonins van Oſſ*, Eques, & Prætor Bruxellenſis, dein *Franciſcus le Vaſſeur*, exinde eodem fiduciario jure acquiſivit a Rege die 1. Auguſti *Jacobus van Ophem*, & emptione abſolutâ ab eodem Rege *Philippo IV.* anno 1649. 22. Januarii *Joannes Bollaert* Mercator Antverpienſis. Tandem Dominium Inferioris *Heembeke* devenit in familiam *D'Oblet*, qui hodie *Franciſcus Joſephus D'Oblet* per mortem patris ſui ejus inveſtituram adiit Ao. 1716.

Bruxellis in Æde ſacrâ *D. Jacobi* in Monte Frigido exſtat ſequens inſcriptio ſepulchralis.

Cy giſt Meſſire François le Vaſſeur, *en ſon vivant Chevalier Seigneur de Morienſart, Neer- & Over-Heembecke, du Conſeil de guerre, Secretaire de Conſeaux d'Eſtat & Privé, & Greffier de l'Ordre de la Toiſon d'Or de feu & treshaute memoire le Roy d'Eſpagnes Don* Philippe II. *de ce nom, & depuis de Sereniſſimes Archiducs* Albert & Iſabelle Claire Eugene *Infante d'Eſpagnes &c. qui treſpaſſa le* 16. *de Mars* 1603.

Et Dame Marie Butkens *ſa Compagne* . . . . .

Ad dictam *Mariam Butkens Petri* Equitis & Cameræ rationum Brabantiæ Præſidis creati 16. Aprilis 1574. filiam pertinebat in pago de Neer-Heembeke elegans Caſtrum *Crayenhoven* dictum, ſitum medio milliari ab oppido Vilvordiæ, ad eum canalem quo Bruxellis Antverpiam commeatur: a qua progenie orbatâ tranſiit 18. Decembris 1607. per nuptias *Annæ Butkens* ejuſdem Præſidis neptis ad *Joannem de Bejar* Equitem, Blaſii Equitis filium: in quâ gente perſeveravit uſque ad *Annam Iſabellam de Bejar* Franciſci filiam, & familiæ ſuæ ultimam, perilluſtri Viro *Petro Coloma* Baroni de Morienſart nuptam, quæ dum adoleſceret, tutelari curæ patrui ſui *Joannis de Bejar* Decani Eccleſiæ Cathedralis Gandavenſis commiſſa fuit: is vetus ibidem Sacellum ſub nomine *S. Landerici* Epiſcopi Meldenſis, accolarum devotione celebre, exornandum curavit: cui vicinus fons febricitantibus ſæpe viſus afferre medelam. In arâ hujus Sacelli ſpectatur *S. Landericus* pictus cum gallo cucuriente ad latus: fortaſſe ut loci a cucuritione dicti eſſe Patronus ſignificetur, quemadmodum ſingulariter obſervavit *P. Henſchenius* in Actis S.S. Aprilis Tom. II. edit. An. 1675. pag. 962.

Hodie *Crayenhoven* a Gentilibus de *Glymes* emptionis titulo poſſidetur. Cæterum in pago Neer-Heembeke ad Canalem Bruxellenſem nuper exſtructæ ſunt a Civibus Bruxellenſibus Prætoria & ædificia ad voluptatem ac opum oſten-

oſtentationem elegantiſſimæ formæ, & Architecturæ nobilis, cum uberrimis ſcaturientibus fontibus, inter quæ duæ eminent unum indigetatum *Verſailles*, alterum *Marly*, ad quæ divertendi cauſa multum excurrit Nobilitas & Populus Bruxellenſis, præſertim tempore æſtivo.

Eccleſia Patronum veneratur *S. Nicolaum* Epiſc. Parochum habet ex Canonicis Abbatiæ Diligemenſis Ord. Præmonſt. ad quam ab antiquis temporibus noſcitur ſpectaſſe Patronatus hujus Curæ Paſtoralis, quæ adminiſtratur ab eis cum Heembeke inferiore. Decima ſpectat ad hanc Abbatiam.

Anno 1272. Abbas *S. Cornelii* Indenſis prope Aquisgranum Ord. *S. Benedicti* vendidit Abbati & Conventui Jettenſi (hodie Diligemenſi dicto) Ord. Præmonſt. varia bona ſita in pago de Neerheembeke.

HEEMBEKE *Superior* priori pago proxime contiguus, ejuſdem diſtrictus Merchtemenſis. Hoc Dominium cum Heembeke, uti dictum, obvenit emptione abſolutâ a Rege anno 1649. *Joanni Bollart* Mercatori Antverpienſi, dein fuit *Suſannæ Catharinæ Bollart* viduæ *Gerardi van Uffel* Ærarii Regii Agri ac Provinciæ Mechlinienſis Receptoris Generalis, quæ Dominium *Heembeke Superioris* donavit filio ſuo Anno 1712. *Joanni Baptiſtæ van Uffel* Conſiliario & Ærario Generali Financiarum Principis, in cujus gratiam hoc Dominium a *Philippo V.* Hiſp. Rege die 6. Aprilis 1706. in Baronatum erectum eſt. *Erectum in Baronatum.*

Quoad rem ſacram Eccleſia Patronum veneratur *S. Petrum* Apoſtolorum Principem. Paſtoralis cura dependet ab Abbatiâ Diligemenſi, quæ adminiſtratur per Parochum Heembecæ Inferioris huic proximè vicinum Abbatiæ Diligemenſis Canonicum, ad quam Abbatiam ſpectat hujus pagi decima.

Has Parochiales Eccleſias obtinuit hæc Abbatia a *Nicolao* Epiſc. Cameracenſi Anno 1145.

HOLAER tertio ferè lapide a Bruxella, ad fauces Sylvæ Soniæ, Præfecturæ Vilvordienſis. Ejus Dominium antiquum eſt Patrimonium Ducis Brabantiæ.

In hoc pago eſt Dominium *Ter Heyden* inſigni Caſtello inſtructum, habens Meyerum & Scabinos olim gentilium *Baltin*, inde viâ emptionis devenit ad familiam de *Bangart*.

Eccleſia dicata eſt *S. Clementi* Papæ & Mart. Patronatus ejus ſpectat ad Capitulum *S. S. Michaelis* & *Gudulæ* Bruxellis.

A. Miræus in Not. Eccl. Belgii Cap. CXCII. novæ edit. profert Diploma quo *Leonius* Caſtellanus Bruxellenſis Patronatum hujus Eccleſiæ confert Anno 1248. præfato Capitulo; en Diploma.

Univerſis, LEONIUS Caſtellanus Bruxellenſis, Patronus Eccleſiæ de *Holaer*, cognoſcere veritatem. Noverint univerſi, quòd nos Patronatum de Holaer, ad noſtram ſpectantem collationem, Eccleſiæ S. Gudilæ Bruxellenſis contulimus perpetuò poſſidendum . . . . . Actum anno Domini M. CC. XLVIII. menſe Aprili. 1248.

Univerſis, LEONIUS Caſtellanus Bruxellenſis ſalutem. Ad notitiam ſingulorum perveniat, quòd Amelricus Theſaurarius Bruxellenſis Eccleſiæ domiſtadium, in quo manſit quondam Helſuend Mulier, quod idem Theſaurarius emit à nobis jure hereditario poſſidendum, Decano & Capitulo Bruxellenſi contulit in eleëmoſynam perpetuò poſſidendum.

Prædictus verò Decanus dictum domiſtadium à nobis relevavit; ſalvo jure annui cenſûs duorum denariorum Bruxellenſium, Nobis & Heredibus noſtris in Natali Domini perſolvendorum.

Datum anno Domini M. CC. XLIX. menſe Januario. 1249.

Henricus vero I. Lotharingiæ & Brabantiæ Dux anno 1223. dedit Canonicis præfati Capituli fructus Ecclesiæ de Holaer. Ita *A. Sanderus* in Basilicâ *S. S. Michaelis & Gudulæ.*

Decima hujus pagi est tripartita, cujus duæ trientes spectant ad Abbatiam de Camerâ Ord. Cisterc. propè Bruxellam, reliqua tertia triens ad Parochum.

Intra limites hujus pagi est *Prioratus Viridis Vallis*, vernaculè *Groenendaele*, Monasterium Canonicorum Regularium *S. Augustini*, situm in Sylva-Soniâ, primitùs clusa sive unius Eremitæ recluſorium, ac domicilium fuit *Joanni a Busco* ex illustri Ducum Brabantiæ stirpe oriundi. Annum fundationis exprimit Chronicon quod sequitur.

æDes saCratæ Verna tVnC VaLLe LoCantVr
sILVa VbI præCeLsIs qVerCVbVs ante fVIt.

Exstant & alii de hac fundatione Versiculi.

I quater & mille ter C tunc floruit ille
Qui Viridem Vallem fundavit ad æthera callem.

Huic eremitæ *Joannes II.* Lotharingiæ & Brabantiæ Dux Anno 1304. dictam vallem patentibus in perpetuum litteris liberaliter assignavit.

Diploma Donationis.

Nos JOANNES Dei gratia Lotharingiæ, Brabantiæ & Lymburgiæ Dux, notum facimus universis, quod nos intuitu Dei *Joanni de Busco* eremitæ, domum nostram sitam in nemore nostro Zoniæ, in loco dicto Gruenendael, & fossatum quod hactenus ibi de licentiâ nostrâ fecit, cum spatio intra fossatum dictum contento, tenendam quamdiu vixerit conferimus & habendam. Ita si a casu alibi illum transferri, aut mori contingat, ex tunc inposterum alter religiosus, & non alias, ad serviendum Deo ibidem perpetuis temporibus morabitur. Cui dictam Domum nos & nostri successores duximus conferendam præsentium testimonio litterarum nostro sigillo firmatarum. Datum die Veneris post assumptionem Virginis Mariæ, anno Domini millesimo trecentesimo quarto.

Joanne a Busco brevi e vivis sublato, successit ei *Arnoldus Diestensis* ac tertius *Lambertus* viri omnes Sanctitate vitæ & morum integritate conspicui Anno 1343. *Joannes Hincartius* Canonicus major ad *S. Gudulam* Bruxellis *Franco Frigidi-montanus* ibidem Canonicus minor, nec non *Joannes Rusbroquius* Capellanus ejusdem Ecclesiæ, Deo perfectius serviendi, urbe relicta, ad Viridem Vallem incolendum sese contulerunt, quibus supra dictus *Lambertus* locum cessit, atque in Bootendael, sumptus *Hincartii*, ut creditur, aliam clusam seu recluſorium excitavit. Quam cessionem *Guido Ventadorius* Cameracensis Episcopus approbavit & *Joannes III.* Brabantiæ Dux eodem anno hoc Diplomate.

Ita habet Sanderus in Brabantia Descript.

JOANNES Dei gratiâ Lotharingiæ, Brabantiæ, ac Limburgiæ Dux, Sacrique Imperii Marchio: universis ad quos præsentes Litteræ pervenerint, salutem in eo qui est omnium salus . . . .

Noverint igitur universi, tam præsentes quam futuri, quod pro Nobis, nostrisque Heredibus & Successoribus intuitu Dei, nec non pro salute animarum nostrorum Prædecessorum, dilectæque collateralis nostræ piæ memoriæ, ac etiam pro salute nostra, Heredum, ac Successorum nostrorum, conferimus ac donamus in perpetuum dilecto Nobis in Christo Domino Franconi de Frigido-Monte Presbytero, quendam lo-

locum dictum *Groenendael*, olim per Prædeceſſores noſtros pro quâdam eremo ibidem conſtruendâ traditum & conceſſum, ſitum in noſtro nemore de Zonia, in Parochia de *Hoelaert*, cum magno vivario ibidem adjacente: tali conditione, quod idem locus cum clauſura & pertinentiis ſuis ſit & maneat in futurum habitatio quinque Virorum Religioſorum ad minus, divina officia ibidem ad laudem & gloriam & honorem Omnipotentis Dei, & Glorioſæ Virginis Mariæ ejuſdem Genitricis, omniumque Sanctorum, & Electorum ſuorum celebrantium, & exercentium.

De quibus duo ad minus erunt & eſſe tenentur Presbyteri, viventes religioſè. Et ut hæc noſtra conceſſio in perpetuum firma permaneat & inconcuſſa, præſentem Chartam per appenſionem Sigilli noſtri fecimus communiri.

Datum Bruxellis feriâ quartâ in Feſtis Paſchalibus; anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo tertio. 1543.

Anno inſequente ibidem Capellam ſeu Sacellum excitarunt. Quo in loco cum *Joanne* Leeuwenſi Converſo quem *Bonum Cocum* vocant, & aliis ſociis in communi annos quinque vixerunt, veteri veſte Clericali retentâ. Donec monente Priore Monaſterii S. Victoris Pariſienſis Ao. 1349. Inſtitutum Canonicorum Regularium *D. Auguſtini* die 10. Martii per *Petrum Andream* Epiſc. Cameracenſ. ſunt amplexi *Francone* ibidem Præpoſito conſtituto & *Rusbroquio* Priore. *Hincartius* autem, quod provectioris eſſet ætatis, & afflictioris valetudinis, apud eoſdem conſenuit in veſte Clericali.

Cum hoc Monaſterium modicis inceptum initiis paulatim augeretur & piorum Religioſorum numero & pietate, omnium in ſe oculos convertit, & velut fœcunda parens plures formavit ſacras colonias. Unde effectum ut Anno 1409. aſſenſu *Petri de Alliaco* Epiſc. Camerac. ſub nomine Viridis Vallis Generale Capitulum inſtitueretur ſubjiciens ei Monaſteria Rubeæ Vallis, Corſendonck, Bethleem propè Lovanium, Grobbendonck alias Throni B. M. prope Herendalium & *S. Barbaræ* Thenis, & ordinavit ut ſingulis annis Capitulum Generale inſtitueretur: factum id initio ſeculi XV. Sed cum Windeſemenſe apud Batavos Cœnobium, & ejus Capitulum Apoſtolica roboratum auctoritate ad famam veniret, ſe eodem Capitulo Windeſemenſi univerunt anno 1412. & denique ad normam Cœnobii Bethlemiticæ perpetuæ incluſionis votum magno fervore amplexi ſunt Anno 1447. die 23. Junii.

Inter primos hujus Vallis incolas vitæ Sanctimoniâ illuſtres vixerunt *Joannes a Speculo Curegemins* qui Ao. 1358. ibidem Sanctiſſimè obiit. Item *Joannes* cognomento *Cocus Bonus* natus Affligemii, functione cocus & humilis, ſed cæleſti ſapientia dives & ſublimis, prout teſtantur ejus ſcripta aſcetica quæ vernaculo idiomate ibidem exſtant M. S. item *Joannes Rusbroquius* (ita dictus a pago natali inter Bruxellam & Hallas ſito) de quo præclara refert in Chronico Windeſemenſi *Joannes Buſchius* lib. 1. Cap. 40. Obiit autem *Rusbroquius* anno 1381. ſepultus primo in veteri templo, poſtea ad Chorum novæ Baſilicæ per *Joannem Serclaſium* Epiſc. Camerac. Anno 1386. tranſlatus, in quâ exhumatione ut ſcribit *Joannes Schoonhovius* ſeu „ Pomerius; „ Corpus ejus integrum fuit repertum, & ſpatio trium circiter „ dierum viſendum expoſitum, cujus tantus fuit odor & fragrantia ut non ca„ daver mortuum; ſed potius aliquod videretur miræ ſuavitatis electuarium, „ prout a diverſis, tum Religioſis, tum Laicis fide dignis fuit publicè rela„ tum, qui idem religionis ergo ſunt exoſculati."

Anno 1621. die 8. Novembris *Jacobus Boonen* Archiep. Mechl. piorum multorum deſiderio annuens, corpus Venerabilis *Rusbroquii* ſolemni ritu de terrâ levavit, & capſæ ligneæ decentiori incluſit, ſepultus ante ſummum altare in alio ſepulchro magnifico & ſumptuoſo quod ſuis ſumptibus fieri mandavit

& ornari Sereniſſima *Iſabella Clara Eugenia* Hiſpaniarum Infans & Belgarum moderatrix, poſtquam in Monaſterio Viridis Vallis Anno eodem die 17. ejuſdem menſis Novembris ejus ſacras Reliquias viſitaverat. Dein hoc ei Epitaphium appoſitum.

Hic jacet tranſlatus Devotus Pater
Joannes de Ruysbroeck.
I. Prior hujus Monaſterii
Qui obiit anno Domini M. CCC. LXXXI.
II. Decembris.

PRIORES VIRIDIS VALLIS.

Primus hujus Cœnobii fundator ac Præpoſitus fuit *D. Franco de Frigido* monte obiit Anno 1386.

II. Reynerus de Valle antea Eccleſiæ Bredanæ Canonicus & Decanus. Reſignavit anno 1409.

III. Joannes Spiegels.

IV. Henricus Selle de Herenthals ex Rectore Virginum *S. Barbaræ* Thenis electus Præpoſitus atque ab Epiſc. Camerac. *Petro de Alliaco* creatus Inquiſitor hæreticæ pravitatis.

PRIORES.

I. Walterus Petercels Lovanienſis ceſſit Prioratum anno 1414.

II. Joannes Wysonis Leydanus obiit 1416.

III. Henricus Petri Lovanienſis 1421.

IV. Joannes Pistoris ex pago Holaer 1431.

V. Henricus Pomerius Bruxellenſis antea & poſt Prior ſeptifontanus cujus Monaſterii erat Profeſſus. Ceſſit Anno 1432.

VI. Gerardus Smans Turnhautanus, ante Prior Thronianus. Obiit 1438.

VII. Joannes ab Hasselt, a natali ſolo oppido Haſſeleti nomen ſortitus; Profeſſus in Rubeâ Valle, electus hic in Priorem anno 1445. hinc in Monaſterio ſuæ Profeſſionis Prior.

VII. Henricus Mortenbeeck Bruxellenſis, electus anno 1447. Ceſſit poſt triennium.

IX. Cornelius de Platea Ooſterhoutanus electus Prior 1450. Obiit 1457.

X. Oliverius Verbercht Zichemienſis. Obiit Anno 1467.

XI. Thomas Moninxs Bruxellenſis. Obiit Anno 1483. die 3. Decembris.

XII. Petrus vanden Ee Ziriczæa oriundus. Obiit Ao. 1491.

XIII. Joannes Keyaerts. Bruxellenſis. Mortuus Anno 1503.

XIV. Jacobus Dynter. Obiit anno 1512. die 4. Martii.

XV. Ewaldus Vinxe. Gandenſis. Obiit Ao. 1423.

XVI. Daniel Petri Bergenſis ad Zomam mortuus Ao. 1534. die 17. Maii.

XVII. Henricus de Stratis Bruxellenſis. Obiit Anno 1548. die 4. Novembris.

XVIII. Quintinus Dierixs. Obiit Anno 1453. die 20. Martii.
XIX. Arnoldus de Winter Bruxellenſis. Obiit 1454.
XX. Theodorus Supramontanus Bruxellenſis. Mortuus die 25. Auguſti 1566.
XXI. Petrus Walschæus Bruxellenſis. Anno 1569.
XXII. Martinus Talparius Bruxellenſis. Anno 1572.
XXIII. Adamus Fabri. ob geuſianæ factionis tumultus tranſtulit ſuum cætum Religioſum ad refugium Bruxellenſe. Infectus peſte ibidem obiit Anno 1577.
XXIV. Jacobus Stampion Bruxellenſis variis jactatus tempeſtuoſo armorum tempore calamitatum procellis, mortuus Bruxellis die 20. Octobris Ao. 1586.
XXV. Joannes Meys Thenenſis. Obiit Ao. 1592.
XXVI. Victor Succantius Brugenſis. Obiit Anno 1598. die 21. Junii.
XXVII. Antonius Berchim Furenſis, familiam religioſam per annos XX. Bruxellis exulantem anno 1606. ad Viridem Vallem reduxit, & deſtructa reſtaurare cœpit. Mortuus Anno 1622.
XXVIII. Joannes Succantius Antverpienſis ex Rectore Monialium in Jericho Bruxellis electus Prior. Mortuus Anno 1637. die 1. Maii.
XXIX. Petrus Parys Bruxellenſis primo Commiſſarius, dein Prior Generalis Capituli Windeſemenſis. Obiit Ao. 1656.
XXX. Joannes Lamantius Bruxellenſis ex Rectore Monialium in Jericho electus Prior Anno 1657. Obiit 1674.
XXXI. Hermannus Soly. Mortuus Anno 1686.
XXXII. Engelbertus Cool. Obiit Ao. 1690.
XXXIII. Petrus Adams. Vitâ exceſſit Anno 1697.
XXXIV. Martinus Corluy. Ceſſit, ac obiit Anno 1706.
XXXV. Dominicus Judocus Schockaert S. T. B. F. Obiit Anno 1708.
XXXVI. Guilielmus vander Haeghen ceſſit Anno 1712. & obiit Jubilarius Ao. 1722.
XXXVII. Joannes Baptista Jansens. ex Paſtore in Huldenberghe, præſens Prior.

HULDENBERGHE altero lapide a Lovanio, Præfecturæ Vilvordienſis, Nobiliſſimæ familiæ de Huldenberghe per aliquot ſecula olim nomen dedit, cujus Dominos inter Equeſtres Toparchas & Pares Brabantiæ recenſitos invenimus, eoſque in pluribus Nobilium Brabantiæ Conventibus & Diplomatibus ſubſcripſiſſe, atque inter primos Patricios Lovanienſes annumeratos.

Dominium de Huldenberghe cum ad filiam unicam *Catharinam de Huldenberghe* devolutum eſſet, per ejus cum *Arnoldo de Ordingen* nuptias ab eâ cœpit ſtirpe poſſideri. Et iterum *Catharina Ordingenia* Matre defunctâ obvenit *Henrico de Witthem* Dynaſtam de Bauterſem, qui anno 1458. *Joanni de Hauthem* Equiti & Cancellario Brabantiæ illud tranſcripſit. Denique cum per matrem *Adeliciam Joannes a Straesborch* idem obtineret, *Antonius de Hauthem*, ut in nomine perſeveraret ab eo Anno 1541. redemit. Ab *Hauthemiis* ſeculo XVII. devenit in familiam de *Ryckewaert*, Toparchas de Tybercamps &c. ac tandem ab eâ Anno 1714. emptione publicâ obvenit *Clau-*

dio Eugenio Bodequin, ſummo Prætori Præfecturæ Vilvordienſis Domino de Peuty. Hoc Dominium inſignem habet Arcem quod nobis exhibet in Caſtellis Nobilium Brabantiæ Baro *le Roy*.

In extremitate hujus pagi verſus Lovanium eſt Dominium & Caſtellum Baronatus de *Loenbeke Wilrianæ* ſtirpis, dein *Huldenbergicæ*, nunc *vander Vorſtiorum*, Familiæ patriciæ & Conſularis Lovanienſis, ad quos devenit Anno 1500. cum *Joannes vander Vorſt* Cancellarius Brabantiæ & *Joanna van Thielt* illud acquiſierunt a *Waltero de Huldenberghe*. Erectum eſt hoc Dominium in Baronatum a *Philippo IV.* Hiſp. Rege Diplomate dato Madriti die 19. Novembris Anno 1663. in gratiam *Philippi vander Vorſt* Equitis. Hodie illud Dominium poſſidet *Carolus Georgius vander Vorſt* per mortem Patris ſui, cujus inveſtituram adiit in Curiâ Feudali Ducatus Brabantiæ Anno 1716. Bruxellis in Eccleſia D. D. Michaeli & Gudulæ ſacra legitur præfati *Joannis vander Vorſt* ejuſque Conjugis hæc inſcriptio Sepulchralis.

Erectum in Baronatum.

JOANNI VANDER VORST.

Loonbeke Domino, Equiti Aurato, Juris & æquitatis Conſultiſſimo, Philippi Regis Caſtellæ, ac Caroli V. Imperatoris Brabantiæ Cancellario, viro in rebus gerendis animi, & Conſilii præſentia conſpicuo, Veritatis Juſtitiæque Aſſertori Severiſſimo, JOANNÆ VAN THIELT, matronæ, genere, pudicitia, pietate & quæ cum viro XIV. annos vixit concordia inſigni, vixerunt annos alter 48. altera 42. hic Idibus Maji, hæc Martii obierunt: Vorſtii filii pientiſſimi Parentibus optimis poſuerunt.

Quarteria.

Vander Vorſt, Spaenhem, Poppendonck, Duffle:
Van Thielt, Pipenpoy, Van Dorne, Vilters.

Schema Caſtelli hujus Dominii exhibetur in Caſtellis Nobilium Brabantiæ Baronis *le Roy*.

In ſacris dependet a Prioratu Monaſterii Viridis Vallis, qui Patronatum hujus Parochialis (quæ *B. Mariæ* in Cælos Aſſumptæ dicata eſt) & Decimas ab Abbatia Corbienſi in Galliâ circa annum 1562. viâ emptionis obtinuit atque ex ſuis Canonicis hic Parochum conſtituit; ita ut Decimæ hujus loci ſint præfati Prioratus Viridis Vallis, aſſignata eſt certa pars Decimarum hujus Eccleſiæ ſacro miniſtro.

HULPE olim *Holpa*, Præfecturæ Hulpenſis Caput, ad orientalem plagam Sylvæ-Soniæ, ſitum in Gallo-Brabantia, tribuſque milliaribus a Bruxella & quatuor a Lovanio, amplæ juriſdictionis municipium continens ſub ſe pagos, *Ohain*, *Wauter-Braine*, *Planſenoy*, *Ophain*, *Chapelle S. Lambert*, *Genval*, *Ooſtkerke*, *Clabbeeck*, *Lello*, & *Wilterze*, ab *Henrico I.* Lotharingiæ & Brabantiæ Duce oppidi jure donatum, illudque plurimis & amplis Privilegiis decoravit, quæ *Joannes II.* itidem Lotharingiæ & Brabantiæ Dux confirmavit Anno 1230. Certe ante annos trecentos inter oppida Solitum ad Comitia vocari & Chartis ſubſcribere conſtat.

Fo-

Forum ſolebat habere ſingulis Martis diebus; ſed a multo tempore evanuit. Dominium hujus Municipii eſt Patrimonium Principis, continetque ſub ſe Vicos (noſtratibus *Gehuchten*) *Malaiſe* ubi Sacellum *D. Judoco* ſacrum, *Bacqueboſch*, & *Gallemart* appendices hujus Eccleſiæ Parochialis.

Anno 1666. Auſpiciis *Caroli II.* Hiſp. Regis erecta hic loci inſignis mola aquatica pro chartis conficiendis, quæque unica exſtat hodie in Brabantiâ, ſpectans ad *D. Franciſcum Foppens* Bibliopolam Bruxellenſem, qui etiam inibi poſſidet amplas & plurimas agri poſſeſſiones.

Anno 1563. die 24. Maii miſerabili caſu hoc Municipium flammis correptum & totum ferè tribus aut quatuor domibus exceptis conflagravit, & in cineres abiit.

Parochiale ejus templum (quod *D. Nicolao* Epiſc. ſacrum eſt) ſuam oſtendit antiquitatem. Chorus exſtructus eſt Anno 1545. ſacratus 5. Julii eodem anno a *D. Nicolao* Epiſc. a *Martino Cupero* Epiſcopo Chalcedonenſi & Suffraganeo *Roberti de Croy* Epiſc. Cameracenſis, Patronatum hujus Parochialis & duas partes decimarum acquiſiêre Canonici Minoris præbendæ D. Gudulæ Bruxellenſis ab *Henrico I.* Lotharingiæ & Brabantiæ Duce Anno 1226. Diploma exſtat apud *A. Miræum* in Diplom. Belg. Lib. I. Cap. LXXX. novæ edit. quod exhibuimus in Bruxella pag. 7.

Hanc donationem confirmavit *Henricus II.* ejus filius Anno 1236. & *Godefridus de Condé* Camerac. Epiſcopus. Certam decimarum partem hîc poſſidet Abbatia Affligemienſis. Præcipuam ac potiorem decimarum partem hodiè poſſidet hujus loci Parochus.

In hac Parochiali viſitur ſepulchrale monumentum *Caroli de Bailly* quondam Secretarii *Mariæ Stuartæ* Reginæ Scotiæ, quam *Eliſabetha* Angliæ Regina decolari juſſit Anno 1585. die 18. Februarii, cujus eſt hæc Inſcriptio.

Cy giſt Sr. Charles Bailly *en ſon vivãt de la Chambre & Secretaire de la Reyne d'Eſcoſſe decapitée en Angleterre pour la foy Catholique, & depuis Commiſſaire de Vivres du camp de ſa Majeſté qui treſpaſſa a l'age de* 84. *ans le* 27. *Decembre* 1624.

Et Damoiſelle Democrite Swerts *ſa femme que treſpaſſa a l'age de* 92. *ans le* 3. *jour de Mars* 1633. *leſquels ont été par mariage* 50. *ans par enſembles, priez Dieu pour leurs ames.*

Reſpice finem.

Quarteria.

Bailly, Laviin, Perotte, Rollin,
Swerts, Appelterre, Dongodt, Pervys.

JETTE, Præfecturæ Merchtemenſis, ad primum ferè a Bruxellâ lapidem. Dominium hoc cum Ganshoren, Ham, Relegem & Bever ſucceſſive a variis jure pignoratitio fuit poſſeſſum, donec anno 1644. in auctione publicâ a *Philippo IV.* Hiſp. Rege illud acquiſivit Baro de Bouchout, a quo non multo poſt devenit ad *Franciſcum de Kinſchot* Dominum de Rivieren. Sub Ganshoren ſitum eſt præfatum Dominium & inſigne Caſtellum de Rivieren erectum in Baronatum a præfato *Philippo IV.* Hiſp. Rege Anno

1654. die 7. Octobris in gratiam *Franciſci de Kinſchot* præfati *Franciſci* ſilii; Dein elevatum in Comitatum in gratiam præfati *Franciſci de Kinſchot* hoc Dominium de *Jette* ſub nomine *S. Petri* Jettenſis a Præfato Rege Anno 1659. die 18. Novembris. Caſtellum de Rivieren nobis exhibet Baro *le Roy* in Caſtellis Nobilium Brabantiæ.

Cæterum ab annis non paucis devenêre hæc dominia per nuptias ad *Jacobum Ferdinandum de Villegas*, cum titulo Comitis *S. Petri*, Baronem de Hovorſt Dominum de Vierſel & Bouchout &c. Præſidem Cameræ Rationum.

Eccleſia *D. Petro* Apoſtolorum Principi ſacra eſt, in qua jus nominandi & conſtituendi Parochum ab antiquo habet Abbas Diligemenſis, hujus appendix eſt *Ganshoren*, in quâ Capella *D. Martino* Epiſc. ſacra, habetque jus ſepulturæ & in quâ ſingulis diebus Sabbatinis miſſa celebratur.

Inter quercus & Arboreta Dominii de *Rivieren* eſt Sacellum *D. Annæ* ſacrum, conſtructum Anno 1649. a Præfato *Franciſco de Kinſchot* & *Maria Gertrude de Lanchals* Conjugibus; cui hæc appoſita inſcriptio *Languentium Medicina*, in quo ab iis inſtitutum fuit Cantuarium ſive officium ſacri hebdommadarii ſingulis diebus Martis, quod officium a Diligemenſibus hactenus præſtatur, & magnus ibidem concurſus populi. Viſitatur autem hoc Sacellum pro febricitantibus & languentibus.

Bruxellis apud F. F. Minores olim fuêre Epitaphia Dynaſtarum ſequentia.

Cy giſt honorable homme Jean de la Marſeille, *Seigneur de Riviere, Jette & Ganshoren, Capitaine d'Infanterie Walonne pour le Service de ſa Majeſtè lequel a Siege de Cambray receut un coup d'Arquebuſade & mourut d'ycelle en la dite Ville le* 19. *d'Octobre* 1595.

P. D. P. S. A.

Hier leyt begraven Heer Antonius de Vrieſe, **in ſyn leven Ridder / Heere van Rivieren / Jette ende Ganshoren / die ſterft den** 14. **dagh Julius** 1638.

Ende Trouwe Emerentiana des Mares **ſyne huysvrauwe / die ſterft Anno** 1653. **den** 3. **Julii.**

In Eccleſia Abbatiæ Diligemenſis legitur ſequens Inſcriptio ſepulchralis.

D. O. M.

Æternæ memoriæ Nobilis Domini *D. Antonii de Vrieſe* & Tuſſis Equitis Aurati, Toparchæ de Rivieren, Jette, Ganshoren &c. & Illuſtris Matronæ *D. Emerentianæ de Mares* Conjugis ejus. Qui tribus hujus Eccleſiæ Canonicis in ſtudio Theologico ſuſtentandis impenſas, pia munificentiâ legarunt. Devixit

xit ille Idus Quint. M. DC. XXXVIII. Hæc vero anni M. DC. LIII. die VII. Optimis Mæcenatibus Reverendus admodum *D. Martinus Heckius* Abbas Diligemenſis hoc debitæ gratitudinis Monumentum P. C. anno M. DC. XLIX. In Franciſcanâ Bruxellis æde quieſcunt oſſa. Pios maneis heic pia vota juvent.

Huic pago de Jette non modicum decus eſt Abbatia Canonicorum Ord. Præmonſtratenſis, quæ ab eo loco olim *Jetthenſis & Gethenſis*, nunc *Diligemenſis* appellatur.

Primordia hujus Abbatiæ referuntur ad annum 1095. eo enim tempore Nobilis Vir *Honulphus* de *Vulvrethem* (hodie Wolverthem,) Sacellum hîc, & in eo altare ad honorem D. Virginis Deiparæ & *S. Joannis* Evangeliſtæ fundavit, quod 18. Kal. Octob. *Galcherus* ſive *Gualterus* Cameracenſis Epiſcopus conſecravit, ac anno eodem idem *Honulphus* Canonicos Regulares *S. Auguſtini* ibi collocavit, licet aliqui ab anno 606. Canonicos Regulares à *S. Amando* fuiſſe conſtitutos aſſerunt.

Anno 1112. die 22. Septembris atrium conſecravit *Odo* Cameracenſis item Epiſcopus, qui eiſdem Parochum Jettenſem cum appenditio ſuo de *Ganshoren* contulit, cæteras Eccleſias Parochiales quas poſſident tradidit Anno 1145. *Nicolaus* Epiſcopus, verum jam Præmonſtratenſibus.

Itaque fundamenta hujus Abbatiæ jecit inclytus Eques *Honulphus* Dominus de Wolverthem, ſed Monaſterii Regularium *S. Auguſtini* ſub *Waltelmo* Priore, dein ſub initium anni 1106. primo Abbate, qui cum ſuis anno 1140. habitum & Reformationem Præmonſtratenſium amplexus eſt, advocatis e *Troncinio* juxta Gandavum IV. Canonicis Præmonſtratenſibus.

Fundatores primarii hujus Abbatiæ præter ſupradictum *Honulphum* fuerunt *Henricus I.* Lotharingiæ & Brabantiæ Dux Anno 1227. & ante eum *Godefridus III.* itidem Dux Brabantiæ anno 1185. & anno 1227. *Oliverius* Dominus de Sottengien & Wolverthem Eques, & anno 1228. *Goſwinus de Saventhem.* Item *Guilielmus* filius *Nicolai de Diedligem*

Anno circiter 1218. floruit quidam *Egericus Abbas VIII.* qui per obitum Domini temporalis de Diligem obtinuit præfatum Dominium, a quo dein huic Cœnobio Diligem ſive *Diligemium* nomen adhæſit, quod antea *Jeth* ſive *Jetthenſe* & *Geth* Cœnobium dicebatur ab hoc pago *Jetthe*, ita ut Abbates uſque ad ea fere tempora ſeſe Abbates de *Geth* & *Jeth* uſque ad ſeculum XIV. in Diplomatibus quæ ſubſcribebant, ſeſe nominarent, quod notandum ne incauti decipiantur.

Sequuntur Diplomata Fundatorum & Benefactorum hujus Abbatiæ, quæ referuntur in Supplemento Diplom. A. Miræi parte II.

Ex Archivis Capituli Anderlecht.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego GALCHERUS gratiâ Dei Cameracenſis Epiſcopus, Cellam quæ ſita eſt in Villa quæ *Jetta* nuncupatur, ad laudem Salvatoris noſtri JESU-CHRISTI, in honorem S. MARIÆ Virginis, octavâ decimâ Kalendas Octobris, Deo annuente, dedicavi, atriumque diviſum benedixi, & ab hujus Villæ Parochia Altare, quidem favente Perſonâ ex nomine *Sichero* ſeparavi, & ut ad nullum cujuſcumque hereditatis, præter Sedem Cameracenſis Eccleſiæ, reſpiceret, liberum confirmavi.

Ad uſus autem Fratrum in hoc loco Deo famulantium, Beatique AUGUSTINI Regulam obſervantium exonigerando, *Honulphus de Vulvrethem*, homo liber ac timens Deum duodecim Allodii ſui jugera omnino libera tranſtulit, decimamque de

Melbroeck Deo ſuæque Genetrici pro redemptione animæ ſuæ, animarumque Matris ſuæ *Annæ*, Conjugiſque ſuæ *Renewidis*, ac Filiorum ſuorum *Lamberti* & *Wiacis*, omnino liberam tradidit: & dimidiam partem illius decimæ, quam habebat in *Vulvrethem*, ſimiliter dedit.

Hic autem prædictus *Honulphus*, cum noſtræ Dedicationis officio præſens eſſe non potuit, quemdam ſervum ſuum ad me miſit, qui ſupra Sancta Sanctorum juravit, ſe Fratribus Eccleſiæ, quæ prædicta ſunt, dediſſe. Præſenteſque fuerunt quàm plures Liberi homines, qui teſtati ſunt, ſe donum vidiſſe & audiſſe; præſenſque fuit quidam liber homo, nomine *Steypo*, qui ex parte illius Domini hujus beneficium renovavit, & Altari in mea præſentia legitimè adaptavit.

Ego verò, ne quilibet mandatorum Dei tranſgreſſor hoc Statutum violare præſumeret neque Solemnitatem Dedicationis infringeret, Pontificali banno interdixi, omninò etiam corroborans remotâ omnium Laïcorum poteſtate, Fratrum eſſe, Abbatem Liberè eligere, & Cameracenſium Pontificis Paſtoralem Curam attribuere & benedictionem exhibere.

Ad quod Teſtes introducti Idonei ſunt.

Signum Radulphi Archidiaconi.
Signum Alardi Archidiaconi.
Signum Bernardi Archidiaconi.
Signum Alberici Præpoſiti.
Signum Fulgentii Abbatis. *
Signum Albaldi Cappellani.
Signum Godfridi Clerici.
Signum Ancelli,
Signum Gerardi,
Signum Godefridi,

* *Affligemenſis.*

Signa Clericorum Bruxellæ.

Tudonis Decani,
Alberti Scholaſtici,
Langenradi,
Henrici.

Signa Laïcorum.

Steyponis,
Galteri Fratris ejus,
Alardi,
Godeſonis,
Amelardi,
Ingrani,
Mazelini,
Franconis Filii ejus,
Franconis, Menzonis.

1095. Hoc autem eſt factum anno Dominicæ Incarnationis M. XCV. Indictione III. prædicti quidem Pontificatûs anno primo.

Ex MS. Archivis Capit. Anderlecht.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Odo Dei gratiâ Cameracenſium Epiſcopus pacem & ſalutem cunctis Chriſti Fidelibus.

Notum ſit omnibus Chriſti Fidelibus tam futuris quàm præſentibus, quod in diebus noſtris inſtinctu & hortatu noſtro atque *Walthelmi* Abbatis, *Everardus Rodulphus* Tornacenſis, ob Uxoris ſuæ *Helwidis* animæ memoriam, conceſſione & Traditione *Galteri* Filii ſui decem & octo terræ bonarios cum domiſtationibus ad ipſos pertinentibus, & cum prato trium partium jugeri, liberos ab omni Advocatia Eccleſiæ *Jettenſi* & *Walthelmo* Abbati atque Succeſſoribus ejus tradidit, abſque alicujus contradictione.

Quidquid autem juris habebant in hoc beneficio *Waltherus* Sacerdos, & Goda Vidua quædam Religioſa ſupradicta, Everardo Rodulfo coram Hominibus ſuis, antea tradiderant & exfeſtucaverant.

Quicumque aliquid horum infringere præſumpſerit, maledictioni atque execrationi ſubjaceat. Pax igitur & benedictio conſervaturos contegat; diſſipatores verò ultio æterni ignis cum diabolo feriat. Et ut hoc ratum & inconvulſum perma-

maneat, Paginam hanc ſubnotato teſtimonio Sigilli noſtri auctoritate armamus.

Actum Cameraci anno MCVI, Præſulatûs noſtri anno primo. 1106.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego ODO Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus. *Ex Archivis MS. Capit. Anderlecht.*

Cellam quæ ſita eſt in Villa, quæ *Jetta* nuncupatur, ad laudem Domini noſtri Jeſu Chriſti in honorem S. Mariæ, Virginis, octavo Kal. Octobris Deo annuente dedicavi, atriumque aſſignatum benedixi, & ut ad nullum cujuſcumque hereditatis, præter Sedem Cameracenſis Eccleſiæ reſpiceret, liberam confirmavi. Et ſi pro alicujus culpa inbannitur terra, remotis omnibus inbannitis hæc cantet Eccleſia.

Et quia nos omnium domeſticorum in exaltatione S. Eccleſiæ promptiſſimorum bonæ voluntari congaudere debemus, decet nos etiam, ſi quid à nobis petierint, non abnuere, ut ſemper ad vitam proficiant, noſtro exemplo præeunte.

Ego itaque petitionem Galtelmi Abbatis Filii mei, quem propriis manibus conſecravi, non reprobandam æſtimavi, quærentis ut Parochialem Eccleſiam *Jettenſem*, cum appendicio ſuo *Ganshoren*, & *Moſengenſem* Eccleſiam atque *Humbeecenſem* libertate donarem.

Quam petitionem bonam judicans, ideoque paternè exaudiens, prædictas Eccleſias ab omni exactione debitiſque obſoniis liberas facio, & in Eccleſia S. Mariæ *Jettenſi* Fratribus trado.

Deinde benignè concedo, ut ſuam Electionem liberè habeant in Abbate conſtituendo: Electus verò Cameracenſi Epiſcopo præſentetur, ut ab eo ſine ulla contradictione conſecretur.

Ipſe quoque Abbas ad Synodum ire non cogatur, niſi ſigillatis Epiſcopi Litteris fuerit ammonitus.

Ad uſus autem Fratrum in hoc loco Deo famulantium, Beatique Auguſtini Regulam obſervantium *Onulphus de Wolverthem* homo liber ac timens Deum Fundator Eccleſiæ, ob redemptionem animæ ſuæ animarumque Matris ſuæ *Avæ*, Conjugiſque ſuæ *Remudis*, Parentumque ac Filiorum ſuorum *Wilhelmi*, *Waltheri*, *Lamberti*, *Sigeri*, *Godeſcalci*, *Euſtacii*, *Arnoldi*, nobiliſque Filiæ ſuæ *Avæ*, XIV. Allodii ſui bonarios, & Cambam cum appendiciis ſuis, quæ ſolvit ſingulis annis X. & VI. modios avenæ ad menſuram Bruxellenſem; & Allodium molendini in *Jeth*, & decimam quam habebat in *Wolverthem*, allodiumque decimæ de *Melbroeck*, Deo ſuæque Sanctæ Genitrici ſervientibus in ſupradicta Eccleſia tradidit.

Defuncto Filio ſuo *Lamberto* IX. terræ bonarios eidem dedit Eccleſiæ; pro anima Willelmi Filii ſui VI. terræ bonarios contulit; pro anima *Sigeri* dederunt Fratres ſui & Domina *Ava* Soror ipſorum IX. terræ bonarios & decimam totius Villæ, cum in IX. manipulis dividitur, duos manipulos & tertiam partem alneti ſuperaddiderunt.

Euſtacius VI. ſolidos dedit in * *Rochem*, Domina *Ava* & Frater ejus, Allodium XII. bonariorum ſecus Villam quæ dicitur *Selleca* Eccleſiæ dederunt. * *Vulgo Roſſem, appendix de Wolverthem.*

Noſtræ verò Dedicationis officio interfuerunt duo liberi homines *Waltherus* & *Arnoldus* Filii Onulphi cum Sorore eorum Domina *Ava*, qui omnes donum prædictorum beneficiorum renovaverunt & Altari in mea præſentia legitimè attitulari fecerunt.

Ut autem hoc ratum omni tempore habeatur, atque à nullo præſumptore maligno violetur, quoſlibet diſſipatores horum beneficiorum à ſinu Matris Eccleſiæ ſegregatos publicè excommunicavi, niſi ad emendationem & ſatisfactionem venerint.

Actum eſt hoc anno Dominicæ Incarnationis MCXII. Præſulatûs noſtri anno VII, imperante Henrico V. 1112.

Teſtes hujus Confirmationis ſunt hi.

Signum Joannis Archidiaconi.
Signum Ancelli Archidiaconi.
Signum Rodulfi Archidiaconi.
Signum Theodorici Archidiaconi.
Signum Everardi Archidiaconi.
Signum Erlebaldi Archidiaconi.
Signum Adæ Abbatis.
Signum Reneri Abbatis.

Signum Goffridi Abbatis.
Signum Ernaldi Abbatis.
Signum Maſtelini.
Livini, Capellanorum.
Signum Roberti Cantoris.
Gerardi.
Herevardi.
Ego Gerinbaldus legi & recognovi.

Ex iiſdem Archivis. NICOLAUS Divinâ miſeratione Cameracenſis Epiſcopus, tam præſentibus quàm futuris in perpetuum.

Debito charitatis affectu Eccleſiæ B. ac perpetuæ Virginis Dei Genitricis Mariæ de JETH compatientes, temporalibus beneficiis augmentare ſtuduimus: illa omnia quæ Prædeceſſores noſtri cæterique Fideles pro ſalute animarum ſuarum eidem Eccleſiæ legitimis Donationibus contulerunt, petitione & dilectione Fratris *Walteri* ejuſdem Eccleſiæ Abbatis in hoc noſtro Privilegio renovare & confirmare curavimus.

Altare videlicet in *Jeth*, cum appendicio ſuo *Ganshoren*, Altare *Heembecæ*, exceptis obſoniis quæ noſtri juris ſunt, Altare *Immechiæ*, Altare *Moſenchem*, quæ libera ſunt.

Ad arcendas igitur quorumlibet infeſtationes, prævaricatores quoad reſipuerint, excommunicationis nodo conligamus, & ſubſignato canonico Teſtimonio ſub Sigilli noſtri appoſitione hujus noſtri Decreti Paginam confirmamus.

Signum Theodorici Præpoſiti & Archidiaconi ejuſdem loci,
S. Johannis Archidiaconi,
S. Alardi Archidiaconi,
S. Evrardi Archidiaconi,
S. Gerardi Decani, & Archidiaconi,
S. Gualteri Cantoris,
S. Eremboldi,
Gualteri,
Gerardi, Sacerdotum.
S. Bartholomei,
Willelmi,
Radulphi,
Galteri, Levitarum.
S. Roberti,
Euſtacii,
Geroldi,
Adam, Sublevitarum.

1145. Actum anno ab Incarnatione Domini MCXLV. Indictione IX. Præſulatûs Domini Nicolai IX.

Ego Guntimboldus Cancellarius ſcripſi & recognovi.

Ex iiſdem Archivis. EUGENIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis Filiis GUALTERO Abbati Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Jettenſis, ejuſque Fratribus tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeſſis, in perpetuum.

Deſiderium quod ad Religionis propoſitum animarumque ſalutem pertinere monſtratur, animo Nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum impartiri ſuffragium.

Ea propter dilecti in Domino Filii veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, præfatam S. Mariæ Eccleſiam ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcepimus & præſentis ſcripti Privilegio communimus. Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem Eccleſia in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum, conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione Fidelium, ſeu aliis juſtis modis Deo propitio poterit adipiſci, firma Vobis veſtriſque Succeſſoribus & illibata permaneant.

In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Altare de *Jeth* cum Capella de *Ganshorna*, Altare de *Heembeca*, Altare de *Leewa*, Capella de *Moſenghem*, Ca-

Capella de *Himethea*, cum omnibus pertinentiis eorum; decimam de *Melbrouck*; tertiam partem decimæ in *Vulvrethem* ex dono *Ornulphi* & Filiorum ejus, in quinquaginta jugera terræ & sex solidos in *Rochem*, molendinum in *Jeth*, alnetum quod est juxta Ecclesiam, ex dono Euwani & Sororis ejus; tria jugera terræ ex dono Ducis *Godefridi*; pratum de *Heembeca*, plaustrata lignorum de silva quæ *Zonia* dicitur singulis diebus; terram quam dederunt *Alardus* & *Reinerus*; ex dono *Godefsonis* duo jugera terræ; tria jugera terræ, quæ dedit *Radulfus*.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerare, perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnino profutura; salvâ Sedis Apostolicæ Authoritate, Diœcesanique Episcopi canonicâ justitiâ.

Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis Paginam sciens, contra eam temerè venire temptaverit, secundò tertiòve commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit Pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus signavi.
Ego Albertus Ostiensis Episcopus signavi.
Ego Odo Diaconus Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum.
Ego Imarus Tusculanus Episcopus.
Ego Gregorius Diaconus Cadinalis S. Angeli.
Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis.
H. Johannis & Pauli Signum.
Ego Gillebertus indignus Sacerdos.
Marci Signum.
Ego Jacintus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedino.

Datum Catalauni per manum Brizonis S. Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis Cancellarii, IX. Kal. Novembris, Indictione XI. Incarnationis Dominicæ anno MCXLVII, Pontificatûs verò Domini Eugenii Papæ III. anno III. 1147.

In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, Ego GODEFRIDUS Dux Lotharingiæ; quia Nos qui in sæculo, & secundùm sæculum vivimus, tanto minus quæ Dei sunt cogitare possumus, quantò magis ad sæculi negotia effusi sumus, volumus quibusdam Christi pauperibus, scilicet Jettensis Ecclesiæ Fratribus, parumper misericordiæ impendere, ut quod à Nobis in his quæ Dei sunt minus agitur, ipsorum orationibus adjuvetur. *Ex iisdem Archivis.*

Notum sit ergo omnibus tam præsentibus quàm futuris, quod sicut benignitate Patris & Avi mei Ecclesiis abundantioribus, & ob hoc minùs indigentibus, videlicet Haffliginiensi & Parchensi in eleëmosynam collatum est, ut si quid erga homines suos de feodo à manu ipsorum descendente acquirere possent, Allodium simul haberent; sic nihilominus ob salutem animæ meæ & Prædecessorum meorum in Abbatiam Jettensem Abbati HILDEBRANDO & Successoribus suis in perpetuum conferri & inviolabiliter liberè ac integrè, Ego & Uxor mea MARGARETA & Mater mea LUTGARDIS concessimus, ita ut postquam prænominata Ecclesia feoda acquisisset, sine tractatione & contradictione, & alicujus pretii exactione à me, & post me, à Successoribus meis Allodium acciperet.

Præterea quia pauperibus Ecclesiis multa violentia injustè frequenter infertur, & ab omnibus ferè rapina magis quàm justitia diligitur, prædictam Ecclesiam in nostra protectione & tutela suscepimus. Et veraciter & constanter promisimus, ut si quis aliquid quod ipsorum est calumpniari & ante judicium vim inferre voluerit, quamdiu Abbas & Fratres justitiam offerunt & ad judicium debitum venire volunt, ullam injuriam Ecclesiæ inferri nullo modo patiamur.

Specialiter tamen ea quæ ob Avo & Patre meo descenderunt, & ad usum Fratrum legitimè collata sunt, videlicet palustratum lignorum singulis diebus in Zonia, pra-

tum quoddam in *Heembeca*, ſed & quicquid juris Dominus *Leonius* & Filius ſuus in Parochia Jettenſi in paſcuis, in terris, & Villæ totius parte tertiâ Advocatiæ habuit, & ab ipſo & Filio ſuo Iwanus Miles quidam, in eadem Eccleſia poſtea converſus in feodo tenuit, in noſtra protectione ſuſcepimus, & Donationem Domini Leonii & Filii ſui, quæ legitimè facta eſt, confirmamus.

Ut autem hæc rata & inconvulſa permaneant, Scripto in memoriam noſtrorum transfundi, & Sigilli noſtri atteſtatione & Teſtium ſubſcriptione confirmari fecimus. Hi enim Teſtes aderant.

Alardus de Birbeek,
Arnoldus Stroiſele,
Henricus Hagene,
Gerelmus,
Daniel de Hiſche,
Michaël,
Simon.

Ex iiſdem Archivis. MS.

HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, univerſis ad quos præſens Scriptum pervenerit, in perpetuum.

Notum eſſe volumus, quod Nos piâ intentione defenſionibus Eccleſiarum, quæ in noſtro Dominio ſunt, intendentes, cum cæteris bonis Eccleſiæ *Jettenſis* etiam bonarium terræ juxta ſtratam Regiam, quæ ducit verſùs *Strombecam*, quod *Walterus* Miles de *Wamblinis* eidem Eccleſiæ, cum angulo quodam terræ non longè abhinc terram aliam ipſius Eccleſiæ attingente, in eleëmoſynam per manum & conſenſum noſtrum contulit perpetuò libere poſſidendum; & alnetum dictæ Abbatiæ contiguum quod priùs longo tempore tenuit & poſſedit; ſalices, quoque cum paſturis ibidem adjacentibus, uſque ad viam quæ ducit verſùs *Strombecam*, & paludem ſitam ante Abbatiam, quæ vocatur *Harincbruc*, quæ & eis ad placitum includere, & ut placet utile ſibi facere, conceſſimus liberè,

Præterea molendinum, & bonarium terræ in Parochia de *Laken*, quæ Godinus de Nivella gener *Berneri de Cuckelberga* quondam Burgenſis de Bruxella ſimiliter in eleëmoſynam cum Filio ſuo Gerardo eidem contulit Eccleſiæ, cum cenſu cujuſdam Curtis in eadem Parochia.

Inſuper & decimam quamdam ab *Iwaino Rufo de Bodengem* emptam, quæ eſt in Parochia de *Jeth*, ſub noſtra & heredum noſtrorum protectione ſecura & libera ad opus ipſius Eccleſiæ volumus in perpetuum permanere.

Si qui etiam advenæ, peregrini, orphani, ſive etiam ſervi ad jus noſtrum ſpectantes, ſi in præfata Eccleſia aliqua ſub cuſtode depoſuerint, vel in eleëmoſynam contulerint, ſive etiam ſine teſtamento obierint, omnia ſæpedictæ Eccleſiæ conceſſimus poſſidenda.

Quicumque ergo Eccleſiam præfatam in his aut aliis bonis ejus, quæ in terra noſtra ſunt, perturbare præſumpſerit, noſtram, quæ illi allata fuerit injuria, reputamus.

Hæc autem ut impoſterum à memoria non decidant, Sigilli noſtri appoſitione fecimus confirmari.

1217. Actum apud Bruxellam in Eccleſia S. Johannis Baptiſtæ; anno Domini M. CC. XVII. Teſtibus Viris venerabilibus.

Sigero Abbate,
Waltero Priore,
Gerardo Præpoſito,
Sigero Notario,
I. Decano Ten.
Walthero de Wanblinis,
Deſiderio de Helrode, Militibus, & aliis multis.

Cæterum in Eccleſiâ hujus Abbatiæ maximâ cum populi veneratione adſervatur brachium *S. Blaſii* Epiſc. & Mart. quod Anno 1300. *Margareta Eduardi* Regis Angliæ filia, & *Joannis II.* Ducis Brabantiæ Conjux Canoni-

nicis hujus Abbatiæ dono dedit ſub *Gerardo* Abbate XVIII. quod ut ab antiquo ita hodieque plurimis miraculis ibidem coruſcat.

ABBATES DILIGEMENSES.

I. Waltelmus. Vir pientiſſimus, relicto habitu Canonicorum Regularium candidum Præmonſtratenſium aſſumpſit anno 1140. neque multo poſt ſupervixit. Mortuus anno ſequenti die 28. Novembris.

II. Theodoricus ex Abbatiâ Trancinienſi juxta Gandavum, Eccleſiam veterem exſtruxiſſe fertur. Obiit anno 1144. die 8. Julii.

III. Walterus. Obiit circa annum 1150.

IV. Henricus unus ex IV. Religioſis Troncinio miſſis ad Ordinem Præmonſtratenſium ſtabiliendum Diligemii. Hiſtoriam ſcripſiſſe traditur ordinis ſui ac Monaſterii, quæ interiit. Obiit Anno 1162.

V. Hildebrandus. Mortuus Anno 1200.

VI. Henricus ex Abbatia *S. Joannis* Lauduni accerſitus, poſt triennium reſignavit Priori ſuo *Sigero* hujus Abbatiæ Canonico.

VII. Sigerus. Obiit anno 1217.

VIII. Egericus obtinuit feudum de *Didlegem*, unde Cœnobium *Diligem* ab Anno fere 1218. nomen accepit, quo anno Abbas iſte obiit.

IX. Wennemarus Canonicus Abbatiæ Laudunenſis. Obiit Anno 1219.

X. Amelinus Abbatiæ Averbodienſis Canonicus. Obiit anno 1220. (*Henricus VI.* Abbas qui *Sigero* reſignaverat, iterum onus Abbatiale aſſumpſit ad annum uſque 1226. quo plenus dierum migravit ad Dominum.)

XI. Gerinus. Obiit anno 1230.

XII. Daniel Canonicus Abbatiæ Ninhovienſis, dein a proprio Conventu in Abbatem poſtulatus circa annum 1240. ibidem obiit anno 1255.

XIII. Walterus de Roesbeke Canonicus Abbatiæ Grimbergenſis, altero anno 1256. a proprio Conventu ad regimen Abbatiale poſtulatus, ibidem obiit An. 1259.

XIV. Godescalcus Monaſterium notabilibus Dominiis temporalibus ditavit in Heembeca, Dielbeca & alibi. Obiit anno 1274.

XV. Onulphus. Exceſſit e vivis anno 1275.

XVI. Ægidius Canonicus Abbatiæ Troncinienſis. Obiit anno 1284.

XVII. Henricus Obiit anno 1300.

XVIII. Gerardus Canonicus Abbatiæ Parchenſis. Anno primo ſuæ Prælaturæ 1300. procuravit Eccleſiæ ſuæ Reliquias *S. Blaſii* Epiſc. & Mart. dono acceptas a *Margareta* Conjuge *Joannis II.* Brabantiæ Ducis, reſignavit ac devixit an. 1308.

XIX. Petrus. Obiit eodem anno 1308.

XX. Eustachius. Obiit anno 1310.

XXI. Joannes de Craene. Mortuus anno 1330.

XXII. Joannes Crupelant exceſſit e vivis an. 1338.

XXIII. Theodoricus. Obiit Anno 1345.

XXIV. Joannes de Asca. migravit e vitâ. An. 1377.

XXV. Nicolaus de Leeuw dictus de *Herent* antea Prior, dein Proviſor hujus Abbatiæ. Obiit An. 1384.

XXVI. JOANNES DE MIDDELBORCH. Obiit Anno 1411.

XXVII. GUILIELMUS DE WOLF ex Proviſore Abbas. Obiit Anno 1424.

XXVIII. JOANNES JACOBI antea Canonicus Regularis Viridis Vallis, ex amore diſciplinæ profeſſus in hac Abbatiâ, dein Prior, demum Abbas. Obiit anno 1440.

XXIX. GUILIELMUS CROES. Obiit Anno 1457.

XXX. JOANNES A QUERCU, vernacule *vander Eecken*, Mechlinienſis. Obiit anno 1462.

XXXI. JOANNES A LINNIACO, vernaculè *de Lenneke*, Teneramundanus. reſignavit Anno 1469. & devixit anno 1487.

XXXII. ROLANDUS PIQUOT J. U. L. Acad. Lov. ex Suppriore & Novitiorum inſtructore electus Abbas, reſignavit Anno 1501. & obiit An. 1507.

XXXIII. ROLANDUS SANDERS Canonicus Abbatiæ Troncinienſis, prius ibidem Prior, dein Præpoſitus Monialium in Tuſchenbeka ejuſdem Ord. Præmonſtr. quæ erat Præpoſitura eo tempore a Troncinienſi Abbatiâ dependens, poſt annos V. reſignavit, & factus Paſtor in Heembeca, e vitâ migravit Anno 1515.

XXXIV. PETRUS VANDEN ZYPE Canonicus Abbatiæ Grimbergenſis & Paſtor in Wemmel, poſtulatus a Conventu Diligemenſi. Obiit Anno 1512.

XXXV. CORNELIUS VANDER GOES Illuſtri familia natus, ex Abbatiâ Middelburgenſi in Zelandia ejuſdem Ord. Præmonſt. evocatus Abbas, obtinuit anno 1532. a *Clemente VII.* Pont. jus Mitræ & Pontificalium, dein Anno 1537. a Matrice ſua Eccleſia Middelburgenſi in Prælatum poſtulatus.

XXXVI. JOANNES DE TUEGELE ſub deceſſore electus coadjutor. devixit Anno 1538.

XXXVII. JOANNES DE PUTEO, ortu Teneramundanus. Obiit anno 1540.

XXXVIII. ARNOLDUS MAHIEU Bruxellenſis, ſacri Oratorii Major Capellanus ſub *Maria* Hungariæ quondam Reginâ, Belgii Moderatrice, ac pro Eccleſiaſtico Statu deputatus Ordinarius. Obiit anno 1575;

XXXIX. LIVINUS VAN CAUWENBERGE. Bruxellenſis, ex Paſtore in *Mueſegem* electus Abbas, præfuit acerbiſſimis Belgii temporibus. Vitâ exceſſit anno 1602.

XL. MARTINUS HECKIUS Campinienſis, Paſtor in *Wolverthem*, paucis ante obitum menſibus ſui prædeceſſoris factus temporalium adminiſtrator, eo defuncto electus Abbas. Vitam exuit Anno 1623.

XLI. JOANNES BAPTISTA HASELER Bruxellenſis, primo Parochi munus egerat in *Jette*, dein ſui Cœnobii Proviſor. Obiit Anno 1645.

XLII. MARTINUS HECKIUS Campinienſis, primo Supprior ac juvenum inſtructor, exinde Abbas, inauguratus anno 1644. ad divini cultus augmentum, conſtrui fecit pretioſiſſima, quæ uſque hodiè exſtant Altaris & Miniſtrantium ornamenta, ex auro opere Phrygio artificioſè elaborata, villam adhæc e regione Abbatiæ perpulchram anno 1660. ædificavit, & dum dormitorio moderno infatigatus inſtat anno 1662. die 17. Decembris e vivis abripitur, & Succeſſori operis coronidem dereliquit.

XLIII. CORNELIUS LAMBERTI Antverpienſis ex Paſtore in Zellick (ubi ſumptus magnâ ex parte ſubminiſtrante Martino Heckio, novam ædi-

ædificavit Eccleſiam, Capellam ibidem *S. Quirini* Reliquiis Româ relatis ditatam, concurſu populi ealdam veneraturi celeberrimam, Abbatiæ noſtræ pro prædictis ſumptibus oppignoratam relinquens) Abbas electus eſt, & die 11. Martii anni 1673. mitra ſolemniter inſignitus. Mox dormitorio perfecto, Bruxellenſe Refugium novis ædificiis auxit, Sacelloque domeſtico decoravit, & dum alia plura meditatur vitâ exceſſit Anno 1678. menſis Julii 12.

XLIV. Quo eodem anno eligitur, nominatur, & 9. Octobris Infulis inſignitur SIARDUS HUENAERTS ex Paſtore in Wolverthem: Vir & ſuis & exteris etiam primæ notæ percharus, qui ingenii vivacitatem, animique benevolentiam vultu & ſpecie exprimens, ſuorum animos præclara exſpectatione exhilarabat. Sed dignus illo non fuerit mundus, nam Cœlum in flore ætatis rapuit anno 1680. Aprilis 25. cum vix 18. menſibus præfuiſſet, eique ſucceſſit in Prælatura 26. Junii ejuſdem anni, qui in Paſtoratu fuerat ſubſtitutus,

XLV. FRANCISCUS KERREMANS Bruxellenſis, debemus viro huic ſtudium redivivum quotidianis ſuccreſſere incrementis. Statutorum Ordinis rigidus ipſe obſervator, aliiſque exemplar erat, pudebatque non inſequi Abbatem gnaviter præeuntem. Ædificandæ Domus Dei dum lapides, pecuniam, aliaque neceſſaria congregat, Deputatus Ordinum Brabantiæ Aſſeſſor ordinarius, munere ſuo defungitur 5. Junii anni 1689. collecta cum ædificandi onere ſucceſſori relinquens.

XLVI. HENRICUS HUYS itidem Bruxellenſis, olim S. Theol. Profeſſor, & in Mueſeghem Paſtor, vix ſeptem hebdommadibus lapſis Antverpiæ in Abbatia S. Michaelis (Mechlinienſi ſede vacante) ab illius Urbis Epiſcopo conſecratus die S. Annæ ſacrâ. Anno 1707. factus Illuſtriſſ. Ordinum Brabantiæ primi Ordinis deputatus, exacto biennio veterem Eccleſiam collabentem deſtruit, novam ædificavit, Chorum ſedilibus pulcherrimis exornat, Bibliothecam, picturis, libris, & his recundendis forulis inſtruit, Refectorium coemptis tabulis decorat, hortum efficit, fontium, Areolarum variegatione amœnum, tandem annis XII. integris deputationis in magnâ rerum viciſſitudine, & injuriâ temporum decurſis jam Jubilarius, ſubitaneâ morte ſublatus eſt anno Regiminis 32. ſeculi 1720. menſis Septembris die 12, eique ſucceſſit denominatione Majeſtatis Cæſareæ exordiente anno 1721.

XLVII. HENRICUS CROCKAERT; & ipſe Bruxellenſis ex S. Theol. Profeſſore, in utrâque Heembecâ ab anno 1700. Paſtor, 26. Januarii in Eccleſiâ propriâ ab Eminentiſſ. Cardinali de Alſatia de Bouſſu Archiep. Mechl., aſſiſtentibus Abbatibus Grimbergenſi & Bernenſi Mitrâ eſt redimitus. Vix tantâ dignitate inſignitus, Frontiſpicium, & Eccleſiam Abbatiæ anteriorem cum turri artificioſè fabrefactâ perficit: nihil interim eorum, quæ ad vitam animæ, & bonum Spirituale ſubditorum ſpectant omittens. Det illi Deus, ut pacem, quam unicè cordi habet in ſecula fovere valeat, &

In Deo sIbI sVIsqVe regIMIne bIno frVCtIfICet.

LAKEN recenſetur inter pagos qui libertate & jure oppido gaudent, In ejus territorio ſeptem Toparchæ ſunt, ac videntur ab ipſis ſeptem Dynaſtis, qui VII. Patricias familias Bruxellis propagarunt, originem ducere.

In hoc loco miraculis innumeris clara eſt Virginis Matris Eccleſia, de

cujus initio agit *J. Gillemans* primâ parte Novalis Sanctorum. Item *A. Raissius* in suo Auctuario ad Natales Sanctorum Belgii *J. Molani* ad diem 13. Aprilis, & ex eo *A. Wichmans* in Brabantiâ Marianâ Lib. II. Cap. IV. ad quem curiosum Lectorem remittimus.

Quonam vero præcisè tempore stupenda illa quæ ibidem narrantur contigerint non ita exactè adnotatum reperitur apud eos qui illorum meminerunt, ait prædictus *A. Wichmans*. Interim hoc omnino certum & extra dubium est, jam ante septingentos annos hanc Ecclesiam constructam fuisse, atque inibi Deiparam cultam. Sanctus enim *Guido* Anderlechtensis, qui obiit juxta auctenticum ejus loci instrumentum anno 1012. multis annis velut alter *Nepotianus* in hac Ecclesia servivit floribus & ramis eam exornans, omnia in nitore conservans, atque in omnes Cæremonias piè sollicitus. Postea per septem annos peregrinatus est Romam & Jerosolymam & ad alia Sanctorum loca. Unde Anderlacum reversus, peste inguinariâ seculi ærumnas consummavit. Sepultus primo Anderlaci in Cœmiterio; sed Deo per viri Sanctitatem miracula testante circa annum 1085. *Gerardus II.* Cameracensis Episcopus ejus sacra ossa e terrâ sustulit, & in capsâ honorificè collocavit, quiescit ibidem in sui nominis ac *S. Petri* Basilicâ (quod nota contra *J. Molanum* & *C. Baronium*, qui eum toto seculo posteriorem faciunt.)

Ecclesia Lakensis, etiamnum hodie admodum celebris est, & visitatione & concursu solemnis; potissimum autem Principibus nostris eximiâ in veneratione.

Ex Archivis Abbatiæ Affligemiensis constat Ecclesiam Lakensem primitus Antistitum Cameracensium juris omnino fuisse; horum vero largitate & (ut litteræ præferunt) eleemosynâ Nivellis Collegii factum peculium, a quo tandem & Parchensibus (quibus tertia pars Decimarum competebat) conventione seorsim ac diversis transactâ temporibus ad Affligemiense Cœnobium pervenit. Sic itaque tabulæ antiquissimæ pactionem Nivellensium cum Affligemiensibus quoad decimam de Osseghem complexæ habent.

„ Communi consilio & rationabili assensu ad petitionem Domini *Nicolai* „ Cameracensium Episcopi Ecclesiæ de Haffligien in manu *Godescalci* ejusdem „ Cœnobii Abbatis concessimus nostram decimam de Ossenghien &c." & mox „ *Lachen* autem mater est & capitalis Parochia: nostra quidem Eccle- „ sia ex Cameracensium Episcoporum eleemosynâ, antiquâ, & ratâ posses- „ sione, cum universis decimis & dote &c. Actum est anno Incarnati verbi „ M. CLIX. Indictione VII. Epactâ nullâ, *Frederico* imperante, Do- „ mino *Henrico* Leodiensi Episcopo, *Godefrido* Lovanensi Duce, *Adelhe-* „ *de* ipsam Obedientiam de *Laches*, obtinente." Ex scriptoribus qui illo ævo vel circiter vixerunt colligitur Obedientiam hic sumi pro membro Monasterii, & proinde significat Prioratum vel Præposituram illius Monasterii.

Anno M. C. LXXVI. "*Ada* Nivellensis Abbatissa, & ejusdem Ecclesiæ „ Fratrum quam Sororum Conventus, ficto consensu contulit Ecclesiæ „ Haffligenienſi in perpetuum Ecclesiam de *Lachen*, cum omnibus appen- „ dentiis suis, & cum omni integritate omnium, quæ ad eandem Ecclesiam „ attinent, unâ concessit eidem Ecclesiæ villam de *Ham* &c." Quod pactum anno insequenti *Alardus* Episc. Camerac. ratum habuit. Ex illo quoque tempore Parchenses Canonici Præmonst. quibus tertia pars decimarum & proportionatum jus ad Patronatum adepti, idque ut putatur a fundatione Parchensis Monasterii, e *Godefrido Barbato* Duce Brabantiæ, cum Affligenien-

nienſibus concorditer Eccleſiam Lachenſem illiuſque reditus adminiſtrarunt uſque ad annum M. CC. XIV. quo decima quoque Parchenſium ad Affligemienſes ſub annua penſione pervenit. Litteræ hujus pactus ſic ſe habent.

Notum ſit Univerſis Chriſti fidelibus hoc ſcriptum inſpicientibus, quod cum Domus Parchenſis haberet partem in Decimâ de Laken, in hoc convenerunt *Ywanus* Abbas & totus Conventus Parcenſis & *Robertus* Abbas totuſque Conventus Haffligenienſis quod Abbas & Conventus Haffligenienſis, ab Abbate & Conventu Parcenſi, per licentiam generalis Capituli Præmonſtratenſis ſuſceperunt dictam decimam perpetuo poſſidendam, ſub annuâ penſione duodecim modiorum Bruxellenſis menſuræ, videlicet ſeptem modios ſiliginis & quinque hordei in eadem Parochiâ ſub bonâ fide ſolvendorum. Et ut hoc ratum & inconvulſum permaneat, ſigillis Abbatis & Conventus Haffligenienſis, & Abbatis Parchenſis eſt munitum. Ad majorem autem confirmationem appoſita ſunt ſigilla aliorum qui interfuerunt. Sigillum Abbatis Flierbecenſis, S. Heſcelini Abbatis Grimbergenſis. S. Radulfi Abbatis Ninivenſis. S. Abbatis Jettenſis. S. Henrici Præpoſiti Lovanienſis S. Capituli Bruxellenſis. Teſtes Godeſcalcus Prior, Everardus Supprior, Simon Armarius, Willelmus Cellarius, Henricus Capellanus Haffligenienſis Monaſterii. Henricus Prior, Arnoldus Supprior, Vitalis, Remigius, Ywanus Parcenſis Eccleſiæ Canonici & alii quam plures. Acta ſunt hæc anno Domini M. CC. XIV.

Anno 1638. *Jacobus Boonen* Archiep. Mechl. Patribus Oratorii Inſtituti *Petri Berullii* S. R. E. Cardinalis hanc curam Paſtoralem demandavit, qui Paſtoratus debet per aliquem ipſius Congregationis (cui unitus eſt) Presbyterum idoneum, a loci Ordinario dictæ Eccleſiæ approbandum, conſtituendumque adminiſtrari, prout magno Eccleſiæ bono hodiedum rectè & cum magno fructu adminiſtratur.

Decima hujus loci hodie eſt tripartita, cujus duæ trientes ſpectant ad Abbatiam Affligemienſem, altera triens ad Parochum.

MACHLA S. GERTRUDIS, Teutonicè *S. Geertruyde Machelen*, ab hac Divâ nomen ſortita, ſeſquimilliari a Bruxellâ, medio a Vilvordiâ, Præfecturæ Vilvordienſis.

Hoc Dominium Anno 1626. a Rege oppignoratum fuit gentilibus de *Gottignies*; Dein emptione abſolutâ in auctione publicâ a *Philippo IV.* Hiſp. Anno 1654. obvenit *Guilielmo Ignatio Hooff* Domino de Hove, a quo emptione publica anno 1667. devenit ad *Claudium Franciſcum* Comitem de Taſſis, inde emptionis tabulis Anno 1697. ad *Joannem Paulum Bombarda*, hinc rurſum emptione publicâ illud acquiſivit *Petrus Antonius Baro de Colins*, qui ejus inveſtituram adiit in Curiâ feudali Ducatus Brabantiæ anno 1717. ac hodie hoc Dominium poſſidet.

In Machlâ *Lamoraldus* Comes de Taſſis & S. R. I. circa annum 1653. elegantis formæ caſtellum condidit, nuncupavitque *Beau-Lieu*; cujus ſchema nobis exhibet Baro *Le Roy* in Caſtellis Nobilium Brabantiæ, quod hodie ſpectat ad præfatum Dynaſtam Baronem de Colins.

In hoc pago eſt Dominium cum Caſtello, præditum plurimis agri poſſeſſionibus ſpectans ad *D. Joſpan.*

Porro vocatur hic pagus *Machlinia S. Gertrudis* ut ab aliis ejuſdem nominis locis diſtinguatur, vel potius quia Eccleſia in honorem hujus Divæ eſt conſecrata. Patronatus ejus ſpectat ad Capitulum *S. S. Michaelis & Gudulæ* Bruxellenſe, cui *Henricus I.* Lotharingiæ & Brabantiæ Dux Anno 1225. contulit ſuas Decimas in *Machla* reſignatas ſibi a *Waltero de Murſeke.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Hodie Decima est tripartita cujus duæ trientes spectant ad præfatum Capitulum, tertia triens portio Parochi est cum Novalibus.

Cantuaria fundata in hac Parochiali anno 1710. annexa est Pastoratui pro missâ matutinali diebus sacris procurandâ.

MAIS vulgo *Meys*, Præfecturæ Grimbergnæ, Dominium ad Nassovios, Bergenses, & alios pertinens, altero lapide a Bruxellâ & medio milliari a Grimbergâ pagus est latæ admodum extensionis, continens sub se plures vicos, & quasi appendices, videlicet *Ophem*, *Amelgem*, *Hasselt* & *Nieuwen-Rode*, latinè *Novum Sartum*, de quibus mox dicetur.

Plures sunt hujus pagi Toparchæ & universim in eo VI. Dominia recensentur ex quibus duo possident Nassovii, duo Bergenses, unum Baro de *Bouchout*, & unum Baro de *Hoghevorst* &c. habentque suam jurisdictionem personis & locis distinctam; inter quæ Castrum de *Bouchout* veteris Baronatus titulo illustre in clientelâ Ducis Brabantiæ, conditum referunt a Brabantiæ Duce cum Teneramundam *Theodorico* Flandriæ Comiti contradidisset. Hoc opportuno loco in limite ditionis suæ arcem struxit, Flandrorum excursionis intercepturam, & quia præsidium in perpetuâ, ut sic dicam, speculâ, structæ Arcis nomen fecit *Boocholt*, id est arcum tene. Ejus Toparchas a loco nomen adeptos, virtute sua inter primos Brabantiæ claruisse, bella sacra comprobant; & omni hominum, & Scriptorum memoria illustres fuisse constat; & varia probant diplomata *Bocholtanos* semper inter, subinde ante Primarios Patriæ Barones subscripsisse.

Hic Baronatus per nuptias *Margaretæ de Bouchout Danielis* filiæ, quæ obiit anno 1476. accessit *Everardo de la Marck* Dom. d'Arembergh, possessus ab Arembergiis aliquamdiu, donec *Robertus* Arembergæ Comes Ao. 1536. *Maximiliano de Transilvan* Equiti transcripsit, cujus ex *Catharina de Mol* filia *Joanna de Transilvan* Domina de Bouchout, Loupaigne &c. nupta *Francisco Prospero de Geneve* Domino de Lullin, Cuesingem &c. Dynastiam vendidit anno 1590. *Christophoro d'Assonville* Consilii Privati Consiliario primario &c. & tandem per nuptias filiæ ejus *Margaretæ d'Assonville* in prænobilem apud Atrebates *de France* familiam translatum est, indeque nuperis annis emptionis viâ devenit ad *Petrum Ferdinandum Roose* Dominum de Froidmont, in cujus gratiam Bouchouti Baronatus diplomate Regio die 9. Maii 1683. confirmatus est; post cujus mortem illud possidet ejus filius *Melchior Franciscus Roose*.

In Basilica *D. Gudulæ* visitur sequens Epitaphium præfati *Christophori d'Assonvillæ*.

D. O. M.

Christophorus ab Assonvilla, Eques D. Altavillæ, Baro Bouchout, Philippo II. Hispan. Regi P. M. Deinde Alberto & Isabellæ nostris Principibus a Consiliis publicis & arcanis. *Margaretæ Scheissiæ* Conjugi Charissimæ ac *Guilielmo* filio optimo præmortuis hic sepultis, ac etiam sibi ipsi adhuc vivens (mortis memor) hoc Mon. P. C. anno 1602. Obiit 10. Aprilis anno 1606.

Quarteria.

D'Assonville, *Potier*, *Desprets*, *Du Jardin*, *Scheyfve*, *Berchem*, *Hoogelande*, *Nieuwerkercke*.

Item

Item in hoc pago Prætorium cum Dominio quondam gentis *vander Ee* Prætoris Bruxellenſis, a qua viâ emptionis, devenit ad gentem de *Bourgois*, inde eâdem via emptionis ad gentiles de *Vander Linden*, Patricios Lovanienſes, illudque hodie poſſidet *Philippus vander Linden* Baro de Hooghevorſt.

Eccleſia tutelarem colit *S. Martinum* Turonenſem Epiſcopum. Cura Paſtoralis donata eſt Abbatiæ Grimbergenſi per *Odonem* Epiſcopum Cameracenſem cum appenditiis ſuis (verba ſunt Diplomatis) *Strombeca & Grimberga* quæ hodie ſunt ſeparatæ Parochiæ. Ita *J. B. Gramaye* in Grimberga, quo autem anno non indicat, neque nos invenire potuimus.

Ab hac Parochiali dependet ſive ei ſpiritualiter ſubjecta *Ophem*, cujus Eccleſia dicata eſt *S. Stephano* Proto-Martyri, quæ per Vicarium ibidem ex Canonicis Præmonſtr. Grimbergenſibus conſtitutum perpetuo adminiſtratur, in quo Sacellum de *Amelgen* D. Virgini ſacrum.

Item ab hac Parochiali dependens eſt *Haſſelt* in quo Sacellum *S. Eligio* Epiſc. Sacrum, item *Rodium S. Brixii*, & *Novum Rodium* ſive *Novum Sartum*, Teutonicè *Nieuwen-Rode*, cujus Eccleſia D. Virgini in Cælos aſſumptæ ſacra per Vicarium ex Canonicis Abbatiæ Grimbergenſis ibidem conſtitutum perpetuo adminiſtratur. In hoc loco olim fuit Cœnobium Monialium Ord. Præmonſtratenſis, quibus Anno 1177. *Alardus* Cameracenſis Epiſcopus Altare de *Ruysbroeck* aſſignavit, Cœnobii Reliquiæ adhuc viſuntur, bona Abbatiæ Grimberganæ acceſſerunt, uti mox dictum in Grimbergâ.

MUESEGEM in Diplomatibus *Moſenchein*, & *Moſegem* legitur. Præfecturæ Merchtemenſis Dominium, tribus milliaribus a Bruxellâ. Olim non pauci ex illuſtri ſtirpe de Petershem Proceres illud poſſederunt, a quibus dotali jure devenit ad Merodios, in quâ ſtirpe hæſit, donec *Margareta Joannis de Merode* filia, *Joanni de Wittem* Domino de Beerſele enupta, illud filiæ ſuæ *Mariæ* reliquiſſet; a quâ illud acquiſivit anno 1606. cum Wolverthem, Impden & Roſſem *Ludovicus Vereycken* Eques Aurat. Sereniſſimis Archiducibus *Alberto & Iſabellæ*, dein *Philippo II.* Hiſp. Regi a Conſiliis aulæ & belli, & variis legationibus clarus. Succeſſit ei ex *Ludovica Micault* filius *Ludovicus Franciſcus* Eques Aurat. Dominus de Hamme & Sart ad Thyliam, Impden, Ruart &c. pariter eiſdem Sereniſſimis Archiducibus & *Philippo IV.* Hiſp. Regi a Conſiliis aulæ & belli. Hic ducta *Anna de Buſleyden Ægidii* militis filia, in hac Dynaſtiâ filium ſucceſſorem habuit *Carolum*, in cujus gratiam erecta eſt *Impda* (in qua eſt elegans prætorium amœnitate & fontium delitiis nulli ſecundum) Anno 1659. die 24. Decembris a *Philippo IV.* Hiſp. Rege in Baronatum; a quâ ſtirpe per nuptias devenit in Illuſtrem familiam Comitis de *Bouſſu*; a quâ tandem Anno 1700. viâ emptionis venêre hæc dominia ad *Eugenium Alexandrum* Principem de la Tour & Taſſis; pretium fuit 180000. flor. in quâ Illuſtri ſtirpe hactenus perſeverat.

Bruxellis in Eccleſia D. Virginis de Capella, in quodam Sacello lateris Borealis navis Eccleſiæ, legitur ſequens Epitaphium.

D. O. M.

Ludovico Vereycken Equiti D. de Hamme, Sart ad Thyliam, Ymden, Ruart &c. Sereniſſimis Archiducibus, & demum Phi-

lippo IV. Hiſpaniarum Regi in Belgio a Conſiliis ſtatus & Belli. Obiit XXIII. Octobr. 1621. Ætatis 69. & *D. Ludovicæ Micault*, ejus Conjugi obiit VIII. Julii 1622. Ætatis 55. Liberi mœſtiſſimi optimis parentibus P. C. Requieſcant in pace.

Domus Pitzenburgica Equitum Teutonicorum Mechliniæ hic loci a priſcis temporibus poſſidet cum plurimis agri & Sylvarum poſſeſſionibus inſignem Curiam cenſualem vulgo *Laethof*.

Quaod rem ſacram, Eccleſia dicata eſt D. Virgini *Mariæ* ab Angelo ſalutatæ & *S. Nicolao* Epiſc. Sacrum miniſtrum in hac Parochiali conſtituit e ſuis Canonicis Abbas Diligemenſis.

Appendix hujus Parochialis eſt *Impda* in qua eſt Sacellum *S. Quintino* Mart. ſacrum, & amœnum Prætorium Principis de *La Tour & Taſſis* uti mox pluribus dictum eſt, cujus ſchema viſitur in Caſtellis Nobilium Brabantiæ Baronis *Le Roy*.

MOLEBEECK in Suburbio Bruxellenſi gaudens jure Urbis & Civium, Parochia ampla & lata ſecundum *Sennæ* fluvii decurſum, dependens a Capitulo *S. S. Michaelis & Gudulæ*.

Cum anno 1357. producto Urbis pomerio potior incolarum pars mœnibus clauderetur, permiſſum Sacello Urbano *D. Catharinæ* fons baptiſmalis, adminiſtratio ſacramentorum & Sepultura; ita ut Parochus ad *D. Catharinam* reſideat, Vicarium interim foris habeat, quæ Eccleſia *S. Joanni Evangeliſtæ & S. Gertrudi* inſcripta eſt.

Franciſcus Haræus in Annalibus Ducum Brabantiæ tom. I. refert quod *Carolus* Lotharingiæ & Brabantiæ Dux partem Villæ, quæ vocatur *Molenbeca S. Gudulæ* tradidit, & ſex famulas addidit & alia plura ornamenta donavit, dum in *S. Gaugerici* templo *S. Gudulæ* corpus intuliſſet circa annum 980.

In hoc templo eſt Monumentum perantiquum donationis in tabulâ penſili exaratum in hunc ſenſum.

Notum ſit omnibus & ſingulis, quorum interierit *S. Gertrudem* fundum hunc ſeu aream in quo primo fundata fuit Baſilica ad Dei omnipotentis, & *S. Joannis Baptiſtæ* honorem, Puteumque huic cæmiterio adjacentem, ab eadem S. Virgine ſumpſiſſe nomen & virtutem, hodieque dici *S. Gertrudis* puteum, ex quo populares innumeri cum firma ſpe recuperandæ Soſpitatis bibunt, ejuſdem *S. Gertrudis* opem implorantes: & quibus plurimum obtingit optata Salus. Unde & laus & honor Deo bonorum omnium fonti.

Exſtabat adhuc illa, de qua hic mentio eſt ante annos 130, ſed exortu bellorum civilium, & injuriâ temporum ſubverſa eſt cum aliis compluribus. Et vero quamvis humiliata ſit uſque ad terram, detractaque in pulverem omnis illa moles Baſilicæ, tamen adhuc hodie poſtumat in eodem *S. Joannis* Sacello *S. Gertrudis* cultus. Puteo quoque ſua non deeſt Religio.

NOS-

NOSSEGHEM in Diplomatibus *Noſcegem* legitur, altero lapide a Bruxella via nova lapidibus ſtrata, qua itur Lovanium. Præfecturæ Vilvordienſis, habuit eoſdem Dynaſtas quos Saventhem. Hodie illuſtris familiæ de *Boiſſchot* Comitis de Erps Dominium. Vide de eo plura in Saventhem.

Habet hic locus celebre fòrum annuum die Mercurii poſt Paſcha.

Eccleſia Patronum veneratur *S. Lambertum* Tungrenſem Epiſcopum. Jus Patronatus ſpectat ad Abbatiam Cortenbergenſem Ord. *S. Benedicti*, cum hujus pagi Decima, quod dono acquiſivit ab *Odone* Camerac. Epiſc. anno 1110, uti dictum in Cortenberga ubi Diploma produximus.

Sub hoc pago eſt Capella *S. Eligii* Epiſc. vulgo *Vos-Cappel*, diſtans fere medio milliari a Parochiali, in viâ antiquâ quæ Bruxella tendebat Lovanium.

OPBRUSSEL, latinè *Superior Bruxella*, vulgo *St. Gillis*, in ſuburbio Bruxellenſi ad portam Hallenſem, gaudens jure Civium Bruxellenſium, Senatui Urbano olim ſubjecta; ſed cum alia omnia Urbem quaquaverſum cingentia ad Spatium 100. paſſuum loca ſolerent cum Urbe vectigal pendere, hujus unius vectigal ſolere Principi cedere, Diploma vetus oſtendit Anno 1295. datum.

Eccleſia tutelarem colit *S. Ægidium*, ſub Patronatu Abbatiæ Foreſtenſis Ord. *S. Bened.* hic in vicinia ſitæ. Hæc Eccleſia olim fuit ſatis ampla & inſignis; ſed Anno 1577. exuſta fuit in turbis Belgicis, quibus ceſſantibus Ao. 1600. Chorum erigere cœperunt, qui ſolus etiamnum viſitur, parietibus dumtaxat navis Eccleſiæ pro parte exſtantibus.

Erecta eſt hæc Eccleſia in Parochialem anno 1216. ſollicitante & rem promovente *Henrico I.* Lotharingiæ & Brabantiæ Duce, conſenſu Abbatiſſæ & Monialium Foreſtenſium, uti nos docet hoc Diploma, nobis communicatum per modernum Parochum.

HENRICUS Dux Lotharingiæ, & Regni Marchio. Omnibus Chriſti fidelibus præſens ſcriptum intuentibus in perpetuum. Cum labilis & caduca ſit fragilitatis humanæ memoria, & de facili cauſâ magni erroris ſubrepat oblivio, neceſſarium & perutile eſt conventiones, donationes, & res geſtas vivaci ſcripto quod oblivionis non recipit, perſervari. Notum ergo facio tam præſentibus quam futuris, quod Conventus de Foreſto ad petitionem noſtram liberaliter, & libenter conceſſit hominibus de *Obbruxella*, ut habeant Eccleſiam cum Baptiſterio, ſepultura & officio plenariè divino: ita quod donatio illius Eccleſiæ ad Capitulum de Foreſto pertinebit, & Presbyter loci illius in recognitionem dabit annuatim Conventui de Foreſto viginti ſolidos Bruxellenſes, decem in Natali, & decem in Pentecoſte perſolvendos, quouſque Eccleſia ad decem librarum lucrementum pervenerit, in optione ſtabit Capituli Foreſtenſis utrum amplius prædictam pecuniam a Sacerdote recipiant, vel cum eo jure Perſonatus in fructibus participare maluerint.

Dabit etiam Sacerdos annuatim duos Solidos Cuſtodi de Foreſto prædictis terminis perſolvendos: Præterea Foreſtenſe Capitulum jus habebit præſentandi Presbyterum ad Eccleſiam ſæpe fatam, a Presbyterio loci nullam ſentiet de requiſitione competentis Beneficii inquietationem vel moleſtiam, habebit autem Eccleſia talem diviſionem terminorum Curtis Ninii & Godefridi ſitæ prope quercum, pertinent ad Parochiam de Foreſto, ab eo autem loco uſque ad Crucem, quæ eſt prope Leproſos, omnia ad Eccleſiam de *Obbruxella* pertinebunt. Ut autem prædicta inconvulſa permaneant & perpetui roboris firmitudinem ſortiantur ad veritatis teſtimonium perhibendum, præſentem paginam deciſione Cyrographi & appenſione ſigilli mei in perpetuum muniri decrevi: Acta ſunt hæc Bruxellæ anno gratiæ milleſimo ducenteſimo decimo ſexto 1216. menſe Auguſto. Et erant ſubſignati Adrianus Bais Pbr. & Philippus de Vleſchoudere.

Notandum Leprosos, de quibus in Diplomate, hodie esse Monasterium *S. Petri*, vulgo *Ter Sieken*, supra Urbis mœnia, quod propriè est Leprosarium.

Decimarum participes sunt numero V. scilicet Abbatia de Foresto percipit ultra quartam partem, Scholasticus & Fabrica *D. Gudulæ* medietatem; aliam partem percipit Monasterium Montis Frigidi: Capitulum *D. Gudulæ* gaudet decimis minutis. Anno 1719. Parocho assignata est a Senatu Brabantiæ competentia 400. florenorum annuè, a præfatis decimatoribus præstanda, præter domum Pastoralem ab iisdem exstruendam.

Cæterum hic loci ad muros Urbis *Guilielmus Duvenvordius* Oosterhouti Toparcha, Monasterium secundæ Regulæ *S. Francisci* Virginibus suo ære struxit & dotavit Anno 1343. Hoc Monasterio per turbas Belgicas funditus everso seculo XVI. attributa est Anno 1585. in Urbe Domus Fratrum vitæ Communis a *Gerardo magno* institutorum haud procul a Basilicâ Parochiali *S. Gaugerici* ad Sennam fluvium de quibus diximus plura in Bruxellâ.

OSSELE in Diplomatibus *Ossensele* legitur. Districtus Grimbergensis, Dominium ad Nassovios pertinens, secundo lapide distat a Bruxellâ.

Ecclesia tutelarem colit *S. Joannem Baptistam.* Patronatus est Archiepiscopi Mechlinienſis jure Abbatiali Affligemienſis, ad quam Abbatiam spectat uti & ad Parochum hujus loci decima, qui moratur in Brussegem defectu ædis Pastoralis, & se inscribit Pastorem in *Ossele* & Deservitorem de *Brussegem.*

OVER-YSCHE, Latinè *Ysca Superior* Sylvæ-Soigniacensi fere contigua, Præfecturæ Vilvordiensis, quæ pari ab Urbe Bruxellâ & Lovanio Brabantiæ Metropoli trium milliarium intervallo distat. Municipium nobile & elegans, oppidi titulo insigne, ac Natalibus Justi *Lipsii* celebre, olim in Brabantiæ Conventu adesse solitum, & Sigillo diplomata munire, præferente Episcopum sole & lunâ stipatum. Peculium diu fuit inclytæ stirpis de *Isca*, dein ea hæreditas ad *Wittemios* jure pignoratitio devoluta est; inde eodem jure per nuptias ad Illustrissimam Hornanam stirpem devenit. Decoratum est honore & dignitate Principatus sub nomine de *Hornes* anno 1677. in gratiam *Eugenii Maximiliani de Hornes à Carolo II.* Hisp. Rege diplomate dato Madriti die 19. Octobris; post cujus mortem anno 1706. devenit ad ejus filium *Philippum Emanuelem* Principem de *Hornes*, qui fatis concessit Anno 1718. a cujus morte illud Illustre Dominium hodie possidet *Maximilianus Emanuel* ejus filius, natus Bruxellæ anno 1695. inibi insigne & illustre Dynastæ visitur Prætorium.

Erectus in Principatum.

Anno 1626. a Rege mansit oppignoratum Dominium de *Isca* & *Roziers* inclytæ stirpi *Hornanæ.* Stemma Comitum & Procerum familiæ *Hornanæ* invenies in Donat. Belg. *A. Miræi* novæ edit. pag. 470.

Forum solebat habere hebdommadarium & annales nundinas variis privilegiis exornatas, quæ jam a longo tempore cessarunt.

Quoad rem sacram, Ecclesia quæ multum insignis, consecrata est *S. S. Trinitati* & *S. Martino* Turonensi Episcopo, quatuor horologiis decorata, quæ licet anno 1694. die 24. Aprilis cum maximâ hujus Municipii parte igne fortuito conflagravit, paucis post annis tamen pristinum splendorem induit. Patronatus Curæ Pastoralis spectat ad Abbatissam Vallis Ducis Ord. Cisterc.

ad

ad quam etiam ſpectat hujus Municipii decima, ex quâ annuè ſolvitur Parocho portio congrua in granis & nummis, ſcilicet ſumma 300. flor. & 100. Halſteria frumenti, ſiliginis, & hordei; quam decimam *Henricus II.* Lotharingiæ & Brabantiæ Dux anno 1235. præfatæ Abbatiæ aſſignavit in partem dotis filiæ ſuæ *Margaretæ* dum inibi Monaſticem profeſſa eſt, quæ dein ibidem fuit II. Abbatiſſa, cujus tumulus etiamnum hodie illic in medio Choro Monialium conſtituta conſpicitur, uti ſuo loco dictum, cum hanc Abbatiam deſcripſimus in Decanatu Lovanienſi. Ita *Dinterus* in Brabantiæ Chronico M. S. loquitur.

In hoc Municipio tria ſunt Sacella, quorum unum in Vico *Laen* erectum in *S. Michaelis* honorem, & alterum in Villâ *Ter Decht* ſitum *SS. Trinitati* ſacrum, tertium in Municipii ipſius Xenodochio *S. Huberto* dicatum.

In hoc Municipio olim fuit Beginaſium circa annum 1331. in honorem Deiparæ erectum, auſpiciis *Joannæ Comperiæ Cocqueroulіæ*, & *Joannæ de Ridder*, ſed injuriâ temporum & bellorum motibus jam pridem interiit, hodie a vetulis aliquot inhabitatur.

ROSIERES ad limitem Gallo-Brabantiæ, Præfecturæ Villvordienſis. Dominium Illuſtris ſtirpis Hornanæ jure pignoratitio.

Eccleſia dicata eſt *S. Andreæ* Apoſtolo. Patronatus ejus ſpectat ad Abbatiſſam Vallis Ducis Ord. Ciſterc. Potior pars Decimarum ſpectavit ad Abbatiam Affligemienſem: at eam nuper ceſſit Parocho pro portione congruâ. Præfata Abbatia Vallis Ducis parvum inibi habet diſtrictum decimarum.

SAVENTHEM, vulgo *Saveltom*, ita nuncupatum a ſeptem (ut fama eſt) Romanorum tumbis. Municipium celebre, & antiqui nominis, ſub Præfecturâ Furenſi, primo lapide cum dimidio a Bruxella, ad levam novæ viæ lapideæ quæ tendit Lovanium.

Hæc Toparchia deſcribitur in juriſprudentiâ Heroicâ his verbis pag. 303.

„ Ejus Dominium ſpectavit olim ad *Danielem de Bouchout* & *Joannem* „ ejus filium: imo & ad *Henricum de Flandria*, Dominum de Ninhoven; „ cui ſucceſſit *Joannes Comes Clivenſis*, huic *Theodorus de Hornes* Domi„ nus de *Perweys*; a quo acquiſivit *Henricus de Cuyck*, Joannis & Catha„ rinæ Berthout, filiæ Henrici de Bebbeken, & Margaretæ de Bochout; „ filius, Dominus de Vorſele, Brecht, Eekeren, qui ducta uxore Gertrude „ Petri Cotrelli filia, cecidit in Prælio Baeswilre anno 1371. Hujus filius „ Joannes de Cuyck, Dominus de Hoochſtraeten vendidit anno 1381. Do„ minia de Saventhem, & Sterrebeke, *Henrico vander Meeren* militi; „ Walteri filio; in cujus nominis gentilibus permanſit, donec Wilhelmus „ vander Meeren, Philippi militis, & Mariæ vander Noot filius illa anno „ 1605. Wilhelmo de Ryckewaert, hic anno 1608. vendidit *Ferdinando* „ *de Boiſſchot* Ordinis militaris D. Jacobi Equiti. In cujus gratiam & remu„ nerationem præclarorum Servitiorum, quæ jam non ſemel ad Galliarum „ & Magnæ Britanniæ Reges Legatus magnificè præſtiterat, hæc Dynaſtia *Erectum in Baronatum.* „ 27. Martii anno 1621. ab Archiducibus *Alberto* & *Iſabella* in Baronatum „ erecta eſt. Obiit hic *Ferdinandus Comes* Erpſiæ Baro de Saventhem Can„ cellarius Brabantiæ, Supremæ Feudalis Brabantiæ Curiæ locum tenens „ &c. anno 1649. Poſtquam ex Annâ Mariâ Camudio Franciſcum, Annæ „ Margaretæ de Lannoy nuptiis clarum, horum Dominiorum hæredem & „ filium Regi & Reipublicæ ſuperſtitem reliquiſſet.

Vetus hic Prætorium antiquâ turri inſigne habuêre Toparchæ, quod a gentilibus de *Ryckewaert* præfati Wilhelmi hæredibus hodie poſſidetur. Sed

hujus loco ampla & perpulchra *Boiſſchottorum* Bruxellis domus a Rege infeudata, & Baronatui Saventhemienſi unita a pluribus jam annis Prætorii Saventhemienſis nomine decora eſt.

Hujus Parochialis Eccleſia, quæ ſatis inſignis, conſecrata eſt *S. Martino* Turonenſi Epiſcopo. Ejus Patronatus ſpectat ad Capitulum Metropolitanum *B. Mariæ* Cameracenſe. Decima pro potiori parte hodie ſpectat ad Parochum, etiam illa quæ fuit quondam præfati Capituli ; item decimarum partem habet Toparcha, & Cappellania in hac Parochiali fundata.

In ara laterali ad partem meridionalem eſt inſignis & artificioſa tabula, depicta penicillo *Antonii van Dyck*, Pictoris excellentiſſimi, repreſentans *S. Martinum* hujus Eccleſiæ Patronum, quam huic Eccleſiæ dono dedit in teſſeram ſui affectus cujusdam filiæ incolæ hujus pagi, quæ ipſi in amore erat, & cujus nuptias avide ſollicitabat, & tamen obtinere non valuit.

In hoc Municipio initio ſeculi XVII. ingentis molis repertus fuit tumulus, miræ antiquitatis, in quo inventa eſt funeraria ſupellex, exiſtimatur autem fuiſſe Procerum Salicorum, cum falſis diis adhuc addicti eſſent.

SCHAEREBEECK in Diplomatibus *Scarenbeca* nominatur, extra portam Mechlinienſem in ipſo ſuburbio Bruxellenſi, gaudens libertate & jure Civium hujus Urbis. Varia ibidem Nobilium Prætoria & Civium domus æſtivales.

Eccleſia Patronum veneratur *S. Servatium* Tungrenſem Epiſcopum, in aræ ſumma conſpicitur tabula repreſentans *S. Servatium* hujus Eccleſiæ Patronum eleganti penicillo Caſparis de Crayere, Pictoris celeberrimi depicta. Patronatus hujus Parochialis ſpectat ad Capitulum Soigniacenſe in Hannoniâ.

Decima eſt tripartita cujus duæ trientes ſpectant ad Abbatiam Foreſtenſem reliqua triens portio Parochi eſt.

Huic Eccleſiæ Parochiali adhæret antiquum & inſigne recluſorium, quod a duabus piis Virginibus hodie inhabitatur. A paucis annis præclarè reſtauratum & illuſtratum eſt impenſis Illuſtriſſimi Comitis de Montery Belgarum & Burgundionum Præfecti, cujus inſignia ibidem in frontiſpicio hujus recluſorii inſerta vidimus.

Huic loco natales ſuas debet *Aleydis* Scarenbecana, quæ Monialis Abbatiæ de Camera, leproſâ carne, ſed ſpiritu ſana & decora, ibidem beato fine quievit Anno 1250. & illic in magna veneratione eſt; de qua antea plnribus egimus in deſcriptione Abbatiæ de Camerâ.

STERREBEKE olim *Stertbeca* in Diplomatibus nominatur; altero lapide a Bruxellâ. Præfecturæ Campenhoutanæ Dominium, Caſtro veteri inſtructum, olim Nobilium Dominorum & ſtirpium nutrix.

A duobus circiter ſeculis eoſdem cum Saventhem Dominos habuit, qui hodie eſt Comes de Erps. Eſt in hoc pago antiquum Caſtellum cum dominio, quod nuper fuit Renati de Mol Baronis de Herent; quod nobis exhibet Baro *Le Roy* in Caſtellis Nobilium Brabantiæ. Nuperis annis viâ emptionis devenit ad *Petrum Fariſeau*.

Eccleſia Patronum veneratur *S. Pancratium* Mart. Patronatus ejus, & collatio curæ Paſtoralis pleno jure ſpectat ad Archiepiſcopum hujus Diœceſis.

De-

Decimarum participes sunt pro majori parte, Capitulum Metropolitanum Cameracense, Parochus, Capellania *B. Mariæ* ibidem fundata, & Toparcha.

STROMBEKE, Præfecturæ Grimbergensis, uno milliari cum dimidio a Bruxellâ. Dominium ad Nassovios spectans.

Ecclesia inscripta est *S. Amando* Tungrensi Episcopo. Parochum ibidem constituit Abbas Grimbergensis e suis Canonicis, ad quem spectat media pars decimarum, altera medietas portio Parochi est.

In spiritualibus dependet ab hac Parochiali *Bevere* olim *Beverna*, in quâ non exstat Ecclesia. Dominium temporale est Comitis *S. Petri* Jettensis, Baronis de Rivieren de gente *Villegas*.

UCKELE antiquitus *Uccla*, Præfecturæ Rodensis. Pagus vastæ extensionis & maximè celebris ob tribunal privilegiatum, vulgo *de Camer van Uckel*, in centum & amplius pagos extensum. Antiquum est Dominium Ducis Brabantiæ.

Continet sub se Vicos numero VI. videlicet primus *Stalle* simul & Dominium olim habuit Dynastas Bertholdicæ stirpis Proceres, hodie gentis *van Hamme*, insigni Castello hortoque decoratum, quod exhibetur in Castellis Nobilium Brabantiæ Baronis *le Roy*, in Baronatum erectum a *Carolo II.* Hisp. Rege Anno 1686. die 27. Martii, in gratiam *Guilielmi van Hamme*. Ibidem Capella B. M. V. sacra, in quâ quibusdam festis Marianis divina celebrantur: Est in eâ Capellania ad collationem Abbatissæ de Foresto.

Secundus est *Droogen-Bosch*; Dominium dependens a Curia feudali Provinciæ Mechlinienſis quod fuit dudum familiæ *Du Bois*. Anno 1717. illud acquisivit tabulis emptionis *Maria Henrica de Caretto*, vidua *Philippi Caroli Francisci*, Ducis Arembergiæ, Arscoti &c. quæ hodie inibi exstrui curat illustre & nobilis Architecturæ Castellum destructo veteri, item hortum & Parcum amœnissimum. Ibidem Capella *D. Nicolao* Episc. sacra, in qua diebus sacris divina operantur.

Tertius est *Carloo*, Dominium gentilium de *vander Noot*, insigni Castello hortoque ornatum, quod exhibetur in Castellis Nobilium Brabantiæ Baronis *le Roy*. Illud Dominium Anno 1638. die 18. Augusti a Rege oppignoratum fuit *Carolo vander Noot*. Dein Anno 1650. ejus posteris ab eodem Rege absolutè venditum, ac Baronatus dignitate a *Carolo II.* Hisp. Rege decoratum 12. Septembris anno 1678. in gratiam *Walteri vander Noot*. Exstat in eo Vico Capella *D. Jobo* sacra, in quâ Dominicis & Festis celebratur.

In Ecclesiâ Parochiali de Uckel visitur Monumentum Sepulchrale in Capella laterali ad partem meridionalem, cum hac inscriptione.

D. O. M.

Monumentum Nobilis ac generosi Domini *Joannis vander Noot*, Equitis, Toparchæ de Carloo, qui obiit Anno 1643. mense Augusti die 18. Requiescat in pace.

Quarteria.

Vander Noot, Hinckaert, Maluny, Bernard. Enghien, Berchem, La Croix, Fourneau.

Ibidem apud F. Minores in Bootendael in Marmore parieti inserto legitur sequens Inscriptio.

D. O. M.

Majoribus, sibi, posterisque perillustris ac generosus Dominus *Rogerius Gualterus vander Noot*, Baro de Carloo, Illustrissimorum Ordinum Brabantiæ è Nobilibus deputatus ordinarius, cum perillustre Conjuge Domina *Ludovica vander Gracht* e Baronibus de Vremde & Olmen.

P. C.

1705.

Quartus vicus est *Calevoirt*, in quo Sacellum dictum *B. Mariæ Consolatricis*, cultu & Miraculis D. Virginis ab antiquo hodièque plurimum celebris vulgo *Ten Troost*, in quo Capellania ad collationem hæredum *Joannis van Ofhuys* hujus Sacelli fundatoris, qui anno 1425. insigne admodum rotundâ formâ Sacellum prout hodie conspicitur sumptu proprio exædificavit ac liberaliter dotavit. In eo quibusdam festis Marianis Sacrificium altaris offertur.

Quintus *Boondael* vel *Bundael*; hodie Dominium familiæ de *Cano*. In eo Sacellum Virg. Deiparæ & *S. Adriano* Mart. sacrum, ejusque Reliquiis solemni ritu nuper ditatum. Anno 1463. a *Guilielmo Hulstbosch D. Gudulæ* Canonico secundæ fundationis, hîc in natali solo erectum est hoc Sacellum. Cura hujus Sacelli spectat ad Guldam Solopetariorum Bruxellis; in eo Dominicis & festis sacra celebrantur.

Sextus Vicus est *Neerstalle* vel *Eeckhout*.

Ecclesia Parochialis de Uckele tutelarem colit *S. Petrum* Apostolorum Principem. Patronatus ejus spectat ad Abbatissam de Foresto Ord. *S. Benedicti*, simulque media pars minorum decimarum, dono *Walteri* Archidiaconi Brabantensium Anno 1117. Diploma refert *A. Miræus* in Not. Eccl. Belg. Cap. LXII. quod protulimus supra pag. 61.

Majores decimas habet Scholasticus & Fabrica Ecclesiæ Collegiatæ *S.S. Michaelis* & *Gudulæ* Bruxellis. Decimas minores æqualiter dividunt Abbatia de Foresto & Parochus qui habet insuper decimas Novales.

Annales Leodienses referunt *Leonem III.* Papam cum *Gerbaldo* Episc. Leod. anno 804. profectum fuisse Bruxellas, & præfatum Papam in ejus vicinia consecrasse Ecclesiam hujus Parochialis de *Uckele*. Teste *D. Mudtzaert* in Hist. Eccl. Belg. ad hunc annum.

Hic loci est Conventus *F. F. Minorum S. Francisci* vulgo *Bootendael*, quod latinè pœnitentis Vallem sonat, situs medio milliari a Bruxella meridiem versus ad initium Soniæ-Sylvæ, quadrante horæ a Parochiali de Uckele. Hic Conventus initium sumpsit a quodam Eremitorio Nobilis Viri *Henrici Hinckaert*, Duci Burgundiæ a consiliis, fundo ædificato Fratribus Minoribus; sed nunc ab illis nunc ab Eremitis quibusdam inhabitato: donec tandem Anno 1467. auctoritate *Pauli II.* summi Pontificis, & *Joannis a Burgundia* Cameracensis Episcopi locus hic F. F. Minoribus Regul. Observ. assignatus, & in perfectam Cœnobii formam redactus, atque erectus sit, fundatrice *Isabella* Portugalliæ Infante & *Philippi Boni* Ducis Burgundiæ Brabantiæ &c. Vidua.

Huic Monasterio reformationes suas totius ferè Brabantiæ Monasteria acceptas ferunt.

Hic Conventus turbulentissimâ illa totius Belgii tempestate Anno 1579. a fidei hostibus Fratribus fugatis devastatus est; sed dein turbis cessantibus per Se-

Sereniſſimos Belgarum Principes *Albertum* & *Iſabellam* ac privatorum eleemoſynis reſtitutus eſt. Produxit hic Conventus Viros vitæ Sanctimoniâ celebres & ſcriptis in lucem editis claros complures.

WATERMAELE primo lapide a Bruxellâ ad ingreſſum Sylvæ-Soniæ, Præfecturæ Rodenſis. Hoc Dominium invenio primo oppignoratum a Rege Anno 1559. *Petro vander Noot.*

Anno 1648. reoppignoratum a *Philippo IV.* Hiſp. Rege cum Dominio de *Auwergem*, Baroni de *Hoſtalize.*

Noſtrâ ætate illud acquiſivit cum *Auwergem Carolus de Man* Conſiliarius Senatus Brabantiæ, Dominus utriuſque *Leunickæ* & de *Walcourt*, qui in Watermaele condidit inſigne prætorium horto & fontibus amœnum, quod nobis exhibet *Baro le Roy* in Caſtellis Nobilium Brabantiæ.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Clementi* Papæ & Mart. Patronatus ejus ſpectat ad Prioriſſam Monaſterii de Auwergem Ord. S. Dominici, cum potiori parte decimarum dono *Nicolai* Epiſc. Camerac. Anno 1271. Paſtor in iis habet ſuam partem & Supplementum competentiæ.

Hic loci fundatum eſt Monaſterium Virginum Ord. *S. Dominici* Anno 1262. in honorem *SS. Trinitatis* ab *Aleyde*, *Henrici III.* Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis viduâ, nuncupatum *Vallis Duciſſæ*, vernaculè *S. Herthoginnen Daele*, vulgo *Het Clooſter van Auwergem*, quia in eo Dominio ſitum. Eccleſiam habet ſatis commodam in qua adſervatur una ſpinâ Coronæ *D. N. Jeſu Chriſti*, quam *S. Vincentius Ferrerius* Ord. *S. Dominici* Thaumaturgus dono accepit a Francorum Rege, quæ in hac Eccleſia ſummâ veneratione colitur.

In hac Eccleſia plurimarum illuſtrium perſonarum corpora requieſcunt, quorum monumenta incendio anni 1562. pro majori parte perierunt. Requieſcit hic Cor piiſſimæ fundatricis *Aleydis* (cujus corpus in Choro Eccleſiæ Conventus Prædicatorum Lovanienſis ſepultum eſt) cum hac inſcriptione.

Mille ſemel & centum bis duo Septuaginta.
Luce Severini: fuit Aleydis data fini.
Quam tegit hæc tumba ſerpens fuit atque columba.

Notandum quod in Inſcriptione quæ habetur ſupra ſepulchrum ejus in Choro Lovanienſi referatur illam obiiſſe anno 1273. 23. Octobris. Unde hæc inſcriptio nobis valde ſuſpecta eſt, & ab aliquo recentiore & ignaro poſt incendium anni 1562. forſitan appoſitam eſſe ſuſpicamur.

Hoc Aſceterium ſitum eſt in loco peramœno & declivitate montis, a latere ſuo habet ſpatioſum Vivarium ob aquarum e fontibus in eo ſcaturientibus copiam & puritatem alendis piſcibus peridoneum, ad amœnitatem loci facit proximitas Sylvæ-Soniæ & rivulus præterlabens *Voluwa*, Vilvordiæ ſe in *Sennam* exonerans, & plurimæ fontes circumquaque ſcaturientes.

Watermaliæ ſubjacet *Boetsfort*, ubi Ducale nemus, & Statio quondam ardearum. Ibidem Sacellum *D. Huberto* ſacrum, & Capellania a Sereniſſimis Archiducibus *Alberto* & *Iſabella* Monaſterio Montis Frigidi donata. Hoc Sacellum vetuſtate collapſum, ejus loco anno 1715. aliud illuſtre & peramplum exſtructum eſt; in eo Religioſi Montis Frigidi diebus ſacris divina celebrant.

Huic loco vicinus est *Dry Borren* latine Castrum trium fontium, quod ad Principem spectat. In eo *Joannes III.* Dux Brabantiæ Anno 1352. fundavit duas Capellanias in honorem Dei, & Virginis Matris, & *S. Catharinæ*, quas liberaliter dotavit. Solebat ibidem Capellanus quater per hebdommadam rem divinam peragere; sed hoc ante præsentes domicilii illius ruinas, nunc a tribus fontibus sive *Dry Borren in Boetsfort* illa sacra translata sunt, & Capellaniæ Donatæ a *Philippo Bono* anno 1446. Monasterio *D. Jacobi* Montis Frigidi.

Intra limites Watermaliæ in Sylva-Sonia situm est Monasterium *Rubeæ Vallis* uno milliari distans Bruxella.

Cujus origenem ita ferè ad verbum describit *Petrus Impens* Lib. 1. Art. 3. §. unico. Quidam Ecclesiæ *S. Gudulæ* Bruxellensis Capellanus dictus *Guilielmus Danielis*, dum in Sylvâ-Soniâ quemdam Sacerdotem *Ægidium Oliverii* in Recluforio cujusdam Vallis dicto *De Bruxkens Cluyse*, sese divinis obsequiis dedicantem sæpius visitaret, & ab eodem verba salutis exhortationis mundi contemptum redolentia reportaret, ea ejus cordi Spiritus S. gratia aspirante, tam altè insederunt, ut exemplo primorum Patrum Viridis Vallis statuit prædicto Ægidio adhærere, & Monasteriolum cum illo inchoare. Itaque Recluforio illo relicto, quod paludinoso loco situm, Monasterii exstructioni incommodum erat, ad locum altiorem & capaciorem dictum de *Clabotsborre* a *D. Joanna* Brabantiæ Ducissâ Ao. 1366. impetratum se transtulerunt. Quibus se adjungit Vir quidam secularis honestus, *Walterus de Molendino* dictus. Qui simul bonis suis patrimonialibus in commune collatis Capellulam cum parvo campanili (cui campanula XVI. librarum imposita fuit) Cellulas quoque & ædificia novem personarum habitationi sufficientia in modum Monasterioli, construxerunt anno 1368. Ipsæ verò structuræ, dum contra vim imbrium bitumine rubeorum Laterum, confractis minutatim partibus mixto, parietes illinitos haberet, a vulgaribus ut *Rubea Cluſa*, seu *Rubeum Monasterium* diceretur, effectum est.

Anno vero 1369. consecrata est Capella cum uno altari in honorem Dei & *S. Pauli* Apostoli per ipsum Episcopum Cameracensem *Jacobum*.

Anno 1373. Januarii 17. *Joannes t'Serclaes* U. J. Doctor Archidiaconus Hannoniæ & Canonicus Cameracensis, jussu Antistitis sui, *Guilielmum Danielis* Henricum de Angulo, & Henricum Wisse Sacerdotes ut Canonicos, & Walterum de Molendino alias de Dielbeeck ut Conversum investivit, præsentibus duobus Religiosis ex Viridi Valle. Post Offertorium vero missæ illo ipso die prædicti quatuor viri sic habitu Canonico investiti mox professionem solemnem fecerunt. Missa finita, invocato Spiritus S. Patrocinio, elegerunt dictum *Guilielmum Danielis* in primum Priorem: quem Archidiaconus prædictus debita cum solemnitate confirmavit. Ex his parvis initiis domus hæc in tantum succrevit, ut si temporalium rerum copiam, ædificiorum splendorem, religiosæ disciplinæ observantiam, numerumque personarum consideres vix ulli alteri Congregationis cedere judicetur.

Hoc Monasterium unitum est Anno 1412. Capitulo Windesemensi, & clausuram, seu Claustri perpetui votum amplexi sunt Anno 1447. Hæc Clausura fuit in plerisque Cœnobiis Capituli Windesemensis, quæ Ao. 1635. auctoritate Capituli Generalis sublata & soluta est.

Floruit in hoc Cœnobio, Supprioris officio functus, *Joannes Gillemans*, Vir optimæ vitæ & magnæ lectionis, qui Vitas Sanctorum plurimas collegit & manu propriâ descripsit. Ex his *Hagiologium Brabantinorum*, sive *De Sanctis Brabantiæ Tom. III. Novale Sanctorum Tom. IV.* quæ omnia manuscripta

ta ibidem adſervantur. Mortuus eſt Anno 1487. inter pios & Sanctos conatus. Eſt denique, fuitque hoc Monaſterium præclarorum Virorum fæcnnda parens & ſeminarium.

In hoc Monaſterio viſitur perampla Bibliotheca libris Manuſcriptis referta, unde *Laurentius Surius*, *Joannes Molanus*, *Herib. Roſweydus*, *A. Miræus*, & alii de vitis Sanctorum plurima hauſerunt.

PRIORES RUBEÆ VALLIS.

I. Guilielmus Danielis. Obiit Anno 1392.
II. Henricus Wisse. 1396.
III. Guilielmus Broecke. 1405.
IV. Laurentius Geruntinus. Abſolutionem rogavit poſt annum & impetravit.
V. Daniel Pistoris. Poſt annum 1415. abdicavit ſe Prioratui.
VI. Anselmus Fabri. Obiit Ao. 1426.
VII. Joannes Sapientiæ. Reſignavit Ao. 1430.
VIII. Gerardus Goch. Profeſſus in Monaſterio de Windeſem, Prioratum abdicavit Ao. 1434.
IX. Anselmus Fabri. Obiit 1440.
X. Joannes Doinbergh. Profeſſus in Corſendonck. 1451.
XI. Joannes Veron, Tornacenſis. 1452.
XII. Joannes Hasselt, Haſſeletenſis 1463.
XIII. Balduinus Hout Flander ex Rectore Monialium S. Eliſabethæ Bruxellis 1464.
XIV. Joannes Doienbergh. 1472.
XV. Theodorus de Vessem. Ex Procuratore hujus Monaſterii. 1482.
XVI. Cornelius Ryckaert. Ex Iſca ſuperiore, Procurator hujus Monaſterii. 1490.
XVII. Fredericus Bezuyens, Antverpienſis 1491.
XVIII. Joannes Rampaert, Bruxellenſis 1521.
XIX. Stephanus Heetvelt. 1528.
XX. Hubertus de Wyse, Antverpienſis 1555.
XXI. Ludovicus de Weert, Bruxellenſis 1585.
XXII. Michael de Riddere, Rhodienſis, electus dein Generalis Capituli Windeſemenſis 1607.
XXIII. Paulus Schooff, dein Ao. 162.. Generalis Capituli Windeſemenſis. Obiit Ao. 1626.
XXIV. Joannes Smisman, Bruxellenſis 1635.
XXV. Adrianus vander Reest, Bruxellenſis ex Rectore Monialium S. Eliſabethæ Prior in Elzeghem, dein hic Prior electus. Obiit 1648.
XXVI. Alexander Jocquet, Cameracenſis, ex Procuratore Rector Monialium in Sion Cortraci, dein hic electus Prior. Obiit 1658.
XXVII. Laurentius Stroobant, antea Procurator, dein Rector Cœnobii *S. Petri* Bruxellis, poſt Prior *S. Mariæ* & XII. Apoſtolorum Ultrajecti. Obiit 16....
XXVIII. Franciscus le Roy. S. T. L. ceſſit 1681.
XXIX. Joannes Baptista Schooff, Bruxellenſis, dein electus Prior Generalis Capituli Windeſemenſis. 1691.
XXX. Joannes vanden Heck inde ſeceſſit in Abbatiam Aureæ Vallis

lis Ord. Cisterc. strictioris observantiæ, ibidem Religiosus professus 1694.

XXXI. Petrus Josephus du Mont, Bruxellensis, dein Prior Generalis Capituli Windesemensis. Obiit 1712.

XXXII. Carolus Franciscus van Outers, Bruxellensis, hodie præest.

WEMMEL primo lapide cum dimidio a Bruxella. Præfecturæ Merchtemensis, Dynastia insigni prætorio ornata. Ab omni hominum & scriptorum memoria fuit inclytæ stirpis de *Taye*, acquisita a Duce virtutis merito in expeditione sacrâ exercitæ, aucta anno 1559. summa jurisdictione. Erecta in Baronatum 25. Augusti 1628. a *Philippo IV.* Hisp. Rege in gratiam *Engelberti de Taye* Equitis Aurati, & in Marchionatum a *Carolo II.* Hisp. Rege die 13. Martii Anno 1688. in favorem *Philippi Alberti de Taye* Wemmelæ Baronis, in qua stirpe hactenus perseverat, qui hodiè *Philippus Franciscus de Taye* Marchio de Wemmel.

Erectum in Baronatum dein in Marchionatum.

Arcem habet elegantem & splendidam cujus schema exhibetur in Castellis Nobilium Brabantiæ *Baronis le Roy*.

Quoad rem sacram Ecclesia *S. Servatium* Tungrensem Episcopum veneratur, quæ dependet ab Abbatia Grimberganâ, quæ e suis Canonicis Religiosis ibidem Curionem constituit, & in ejus adjutorium Vicarium.

Hæc Abbatia gaudet hujus pagi decimis; Parocho ex iis datur competentia 600. florenorum annuè.

Hujus Parochialis appendix est *Relegem* olim *Radelegem* Dominium partim Comitis *S. Petri* Jettensis, partim Marchionis d'Assche de gente *Coutereau*, uti dictum in pago de Jette.

Ecclesia inscripta est *S. Joanni Evangelistæ* Dominici Præcursori.

Hic locus de Wemmel in Diplomate *Lietardi* Episc. Camerac. Anni .... vocatur *Wamblinis* cum appenditiis *Barchelen* (hodie *Berchem*) *Radelegem* & *Rameſdonck*, quæ hodie sunt separatæ Parochiæ, excepta *Radelegem*, hodie *Relegem* uti mox dictum est.

WESEMBEECK altero lapide a Bruxella. Præfecturæ Vilvordiensis, Dominium cum Castello. Anno 1561. illud acquisierunt jure pignoratitio a Rege cum vico de *Ophem* gentiles de *Sweerts*, dein de *Boot*, exinde Anno 1626. reoppignoratum a *Philippo IV.* Hisp. Rege *Cornelio van Schuyl*, a quo emptionis tabulis transcriptum Comiti de Rupelmonde, gentis de *Recourt*; exinde viâ emptionis obvenit Anno 1695. *Gaspari de Burbure*, hodiè illud possidet ejus filius *Franciscus Josephus de Burbure*. Schema hujus Castelli exhibetur in Castellis Nobilium Brabantiæ *Baronis le Roy*.

Ecclesia tutelarem veneratur *S. Petrum* Apostolorum Principem. Ad Pastoralem curam nominat Capitulum *S. S. Michaelis & Gudulæ* Bruxellis dono *Burchardi* Episc. Camerac. Anno 1129. quod diploma protulimus supra pag. 60.

Decimarum participes sunt Abbatia de Camera Ord. Cisterc. propè Bruxellam, Cartusia Bruxellensis, Parochus, & Toparcha de *Ophem*.

Intra limites hujus pagi est Dominium de *Ophem*, Inclytæ stirpis cognomentum, oppignoratum olim a Rege cum Wesenbeeck uti dictum. Hodie gentilium de *Pape*. In quo est Cœnobium Beggardorum tertiæ Regulæ *S. Francisci*, fundatum anno 1474. a *Joanne Waltero de Heetvelde*, instinctu *Wilhelm Alemans* Professi Abbatiæ Villarienſis docti piique, Conventus hujus primi formatoris.

WOL-

WOLVERTHEM, olim *Vulvretem* in Diplomatibus legitur, ſecundo lapide cum dimidio a Bruxellâ, Præfecturæ Merchtemenſis. Ejus Dominium hodiedum ſpectat ad Principem de *la Tour & Taſſis*, uti dictum in pago de Mueſeghem ubi plura ad hoc Dominium ſpectantia diximus, ad quem curioſum lectorem remittimus, ne cogamur eadem ſæpius repetere.

Eccleſia tutelarem colit *S. Laurentium* Mart. & *S. Gaugericum* Camerac. Epiſc. Dependet ab Abbatia Diligemenſi, quæ conſtituit ex ſuis Canonicis Religioſis ſacrum Miniſtrum, & in ejus adjutorium Vicarium, ad quam Abbatiam ſpectat hujus pagi Decima, & plurimorum agrorum poſſeſſio.

Ad commendationem hujus loci facit, quod ſecundarius fundator Abbatiæ de Diligem ſit *Oliverius de Sottegem* & *Wolverthem* hujus loci Dominus.

In vicinia hujus loci in Impden circa annum 1682. tali initio cœpit mirificus cultus Marianus Imagunculæ Virginis Deiparæ. In Silvâ Dynaſtæ annoſa ſtabat quercus, cui fidelium quorumdam ruſticanorum pietas affixerat, cultus cauſâ, exiguam Virginis Deiparæ ſtatuam: Nec diu ibidem ſtetit cultaque ſine prodigiis, quippe eam nocturnis cæleſtibus luminibus coruſcare pluribus viſum eſt, dein quantum advenarum quotidie crevit accurſus, & devotio, tantum benigna & munifica fuit in cujusvis generis afflictos variiſque laborantes morbos Virgo Mater, Sanctiſſimâque ſuâ apud filium interceſſione, crebra ibi fieri beneficia obtinuit: Quibus permotus *F. Hermannus Demunck* Canonicus Abbatiæ Grimbergenſis ejus loci Parochus, dein anno 1698. Abbas Grimbergenſis, nobis proximâ conſanguinitate conjunctus, ſingulari, quâ in Deiparam ferebatur affectu & pietate, venerationi augendæ, detractam arbore imagunculam in Sacello modico quod e tabulis juxta ſtruxerat, ritè & piè collocavit; dein creſcente indies populi devotione, Sacellum exſtruxit eo loco ex lapide, in quo advenæ commodius ſuas profunderent preces, ipſaque ſacra Imaguncula ſervaretur ab aëris & tempeſtatum injuriâ. In hoc Sacello hodie frequens populi concurſus & devotio, præcipue feſtis Marianis, in quibus in eo Sacello divina celebrantur.

Appendix hujus Parochialis eſt *Roſſem*, ubi Eccleſiæ tutelaris eſt *S. Medardus*, & *Gildardus*, in quâ diebus ſacris divina celebrantur a Vicario hujus Parochi.

WOLUWE S. LAMBERTI vernacule *St. Lambrechts Woluwe* ſive *Opwoluwe*, primo lapide a Bruxella. Præfecturæ Vilvordienſis Dominium, modo gentilium de *Berchem*, cujus hodie Dynaſta *Franciſcus Antonius de Berchem.*

Eccleſia, ut nomen indicat, *S. Lamberto* Epiſc. & Mart. ſacra eſt, Patronatus ejus ſpectat ad Decanum Capituli *S. S. Michaelis & Gudulæ* Bruxellis.

Decima univerſa hujus pagi hodie ſpectat ad Parochum, cui anno 1686. ſuas inibi ceſſerunt decimas Abbatia de Foreſto & Xenodochium *S. Joannis* Bruxellis.

WOLUWE S. PETRI vernacule *St. Peeters Woluwe*, primo lapide a Bruxellâ. Præfecturæ Rodenſis Dominium. Toparcha idem qui in *Woluwe S. Lamberti.*

Eccleſia, ut nomen oſtendit, Patronum veneratur *S. Petrum.* Patronatus ejus ſpectat ad Abbatiſſam de Foreſto. Decima eſt tripartita, cujus duæ trientes ſpectant ad præfatam Abbatiam, & altera triens ad Parochum.

Deſerviri ſolebat hæc Cura Paſtoralis per Paſtorem de *Woluwe S. Lamberti:* at anno 1721. proprium accepit Parochum.

Quieſcit ſub altari hujus Parochialis *B. Maria* cognomento *Doloroſa* Virg. & Mart. vernacule *De Ellendighe Marie*: Cum enim eam de furto falſo impius homo, caſtitatis ejus inſidiator, accuſaſſet, innocenter circa annum 1290. in terram defoſſa & ſude transverberata fuit. Hiſtoria exſtat ibidem & in Rubeæ Vallis Monaſterio apud *J. Gillemans*, agit de eâ *J. Molanus* ad diem 18. Junii. Exſtat etiam in hoc pago inſignis ejus nominis Capella.

Hujus Parochialis appendix eſt *Stockel*, Dominium ejuſdem Dynaſtæ. Hic locus diſtat a Parochiali ferè medio milliari; in eo eſt Capella viſitatione Deiparæ celebris; hic enim, quamvis pro diverſis ſolatiis ab afflicto hominum genere ſolebat invocari, peculiaris erat & potiſſimum contra Herniæ moleſtias, quia ſæpius eas fugavit.

WOLUWE S. STEPHANI vernaculè *St. Stevens Woluwe* primo milliari a Bruxella, via nova lapideâ qua itur Lovanium. Præfecturæ Vilvordienſis Dominium, modo gentilium de *Berchem*, hodie ejus Dynaſta *Franciſcus Antonius de Berchem.*

Eccleſia, ut præfert nomen, *S. Stephano* Proto-Martyri ſacra eſt. Patronatus ſpectat ad Capitulum Metropolitanum *B. Mariæ* Cameracenſe.

Decima pro unâ parte ſpectat ad Parochum, & altera dividitur in tres partes, quarum unam habet idem Parochus, & ſecundam Capellania in *D. Petri* Mechliniæ, & tertiam Comes de Erps & *N. Loyens.*

ZELLICK in Diplomatibus *Selleka* indigetatur primo milliari a Bruxella, via nova lapidea, qua itur Aloſtum. Præfecturæ Merchtemenſis, antiquum Dominium Ducis Brabantiæ, Epiſcopus Gandavenſis ſuam inibi habet juriſdictionem perſonis & locis diſtinctam, & quatuor opima prædia. Advenêre quædam præfato Epiſcopatui in hoc loco bona, teſtamenti tabulis *Viglii Zuichemii* Præpoſiti Capituli *D. Bavonis* Anno 1577.

Eccleſia tutelarem veneratur *S. Bavonem* Gandenſium Patronum. Ejus Patronatus ſpectat ad Epiſcopum Gandavenſem jure Abbatis Bavoniani, & gaudet potiori parte decimarum; reliqua portio Parochi eſt, cui in Supplementum portionis congruæ dantur annuè 175. flor. a præfato Epiſcopo.

Cæterum cum *Othelboldus* XXVI. Abbas Monaſterii *S. Bavonis* anno 1030. recenſet Sanctos, & poſſeſſiones dicti Monaſterii inter cætera recenſet.

„ Et in pago Bragbatenſi Villam *Selleka* cum Eccleſiâ & menſuris de-
„ cem." Prout patet apud *A. Miræum* in Donat. Belg. lib. I. cap. XIX. novæ & antiq. edit.

Abbatia Affligemienſis hic loci poſſidet ingentia rura & plura prædia dono *Rodulphi de Dongelbergis* anno 1107. dum in eo Monaſterio Monachum induit.

In hoc pago eſt Capella *S. Quirino* Mart. ſacra, quæ multum a populo viſitatur; & ad eum Sanctum fit frequens peregrinatio, qui ibidem magnâ devotione colitur, contra dolorem aurium, aliaſque hujuſmodi infirmitates.

FINIS DECANATUS BRUXELLENSIS.

HISTO-

HISTORIA
SACRA ET PROFANA
ARCHIEPISCOPATUS
MECHLINIENSIS.

DECANATUS LEEUWENSIS S. PETRI.

ALSEMBERGA altero lapide a Bruxella. Præfecturæ Rodenſis Dominium, ad confinia Sylvæ-Soniæ. Hoc Dominium cum Rhode a Rege jure pignoratitio acquiſivit anno 1648. N. vande Winckel Conſiliarius Senatus Brabantiæ; dein ab eodem Rege *Philippo IV.* Anno 1650. die 8. Novembris ei abſolutè venditum. Peculium hodie familiæ de *Naus*.

Locus ſacer eſt & miraculoſus, utpote a Dei Matre *Maria* mitis prodigiis ac tribus apparitionibus illuſtratus, a Sancta *Eliſabethâ* Thuringiæ Lantgraviâ magnificâ trium navium Baſilicâ ornatus circa annum 1030. a *Sophiâ* ejus filiâ uxore *Henrici II.* Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis peral-latam ex Hungaria Dei Genitricis miraculoſam imaginem, ibidem veneratione expoſitam nobilitatus: a *Joanne III.* Lotharingiæ & Brabantiæ Duce ſub annum 1350. inſigni Choro per filum ſericum in modum & formam ædificandi cælitus expanſum adauctus, ac poſtmodum a multis Principibus ac Ducibus ob dignitatem frequentatus, ac munificè dotatus, uti monumenta & inſignia ibidem uſque hodiè perſpicienda, ſatis ſuperque demonſtrant.

Hæc Baſilica Mariana in edito loco ſita eſt, præcelſa turri ſpectabilis, ſupra cujus lapideam ſtructuram, faſtigium ſuperpoſitum erat anno 1505. pedum 44. Quod, proh dolor! fulgure conſumptum eſt anno 1653. in Vigiliâ *S. Joannis Baptiſtæ*, ſalvis tamen majori Eccleſiæ nave & Choro.

Res ſacra ac Patronatus Eccleſiæ dependet ab Abbate S. Sepulchri Ord. S. Benedicti Cameraci.

Decima eſt tripartita cujus duæ trientes pertinent ad Abbatiam *S. Gertrudis* Lovanii; tertia triens Parochi portio eſt.

AUDENAKEN ſive *Oudenaken* præfecturæ Gaesbecanæ, ad limitem Hannonicum. Dominium Comitis de Tirimont.

In ſacris Eccleſia Patronum veneratur *S. Petrum* Apoſtolorum Principem ejus Patronatus ad Abbatem Affligemienſem ſpectat, in cujus juribus ſucceſſit Archiepiſcopus Mechlinienſis.

Hujus Eccleſiæ Parochialis appendix eſt *Berchem S. Laurentii*, cui Divo hæc Eccleſia eſt dedicata. Anno 1615. unitus eſt *Berchem S. Laurentii* Parochiali de *Audenaken* unde communem cum ea habet Parochum. Decimarum in *Audenaken* participes ſunt pro potiori parte Abbatia Affligemienſis, & Parochus, præfata Abbatia habet duas quartas decimarum, & Paſtor unam quartam; certum diſtrictum decimarum poſſidet Abbatia Walteri Braniæ, Monaſterium Rubeæ Vallis, & *M. le Febre*; in Berchem potiorem partem decimarum poſſidet præfata Abbatia Affligemienſis, & reliquam Parochus.

BECKERSEELE altero ferè lapide a Bruxellâ. Præfecturæ Rodenſis. Dominium Ducis Brabantiæ.

Anno 1561. Dominum accepit *Carolum vander Eycken*; ſed qui mox vendidit *Joanni Caſenbroot*, *Lamoraldo* Comiti Egmondano, Flandriam Artheſiamque gubernanti a conſiliis, qui docuit exemplo ſuo malum conſilium conſultori eſſe peſſimum. Dum enim in Flandriâ violari ac ſpoliari a Calvinianis templa Catholicorum patitur, auctore potiſſimum Caſenbroot, captus hic cum quibuſdam aliis factionis illius fautoribus in arce Vilvordianâ, a Duce *Albano* capite plectitur anno 1568. Vir cæteroquin ingenii aliiſque animi ac corporis dotibus in non paucis excellens; & ita devenit hoc Dominium ad fiſcum Principis.

Anno 1626. illud jure pignoratio a Rege obtinuit *Ludovicus Clariſſe* Prætor Antverpienſis; verum anno 1664. jure retractus reacceſſit ad Patrimonium Principis, mediante ſummâ decem millium florenorum.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Godardo* ſive *Gildardo* Epiſc. Rothomagenſi. Ad curam Paſtoralem nominat Abbatiſſa Bigardienſis, in cujus vicinia hæc Abbatia ſita eſt, & ad quam ſpectat potior pars decimarum, certum diſtrictum, poſſidet Abbatia Affligemienſis. Præfata Abbatia Bigardienſis annuè ſolvit Parocho in Supplementum portionis congruæ 325. florenos, & Abbatia Affligemienſis 25. flor.

BEERSELE altero milliari a Bruxellâ, Præfecturæ Rodenſis Dominium, Caſtro veteri inſtructum, quod exhibetur in Caſtellis Nobilium Brabantiæ *Baronis le Roy*, quondam peculium gentis de *Witthem*, ex quâ nonnulli in Eccleſia permagnificè elevatis Monumentis illati, a *Witthemiis* tranſiit per nuptias in ſtirpem *s'Herenbergicam*, indeque in Domum de *Cuſance*, hodieque illud poſſidet *Arembergiæ Dux*.

Arcem hujus pagi incoluerunt in turbis Belgicis per undeviginti annos Canonici Regulares Ord. *S. Auguſtini* Septifontium, uſque ad annum 1606. quo ad ſuum Monaſterium reverſi ſunt.

Eccleſia ſacra eſt *S. Lamberto* Tungrenſi Epiſc., ad curam Paſtoralem præſentat Abbatiſſa de Foreſto Ord. S. Bened.

Decimas majores poſſidet præfata Abbatiſſa; Paſtor minores.

A. Miræus in Not. Eccl. Belgii Cap. CLXXXII. novæ edit. profert ſequens diploma, quo *Leonius* Dominus de Beerſele confert Abbatiæ de Foreſto omnem ſuam decimam quam habet in Beerſele. Ao. 1277.

JOANNES Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Brabantiæ .... Noverint univerſi, quòd Leonius de Berſele, Miles, omnem decimam ſuam, quam à nobis tenebat in feodum apud Berſele, in manus noſtras reportavit. Teſtes

Godefridus frater noſter,

Walterus Bertout Dominus Mechlinienſis,

Ægi-

Ægidius ejus Frater,
Arnoldus de Lembeca,
Daniel de Wanghe,
Franco de Lovanio, Milites,
Godefridus de Viana,
Reinerus de Crainhem,
Reinerus de Clutinc,
Willelmus Blomart.
Actum anno M. CC. LXXVII. 1277.

In hac Ecclesia visitur tumba elevata *Henrici de Witthem* Domini de Beersele, & Bautersem &c. cujus est hæc inscriptio.

Cy dessoubs gist Henri de Witthem *Seigneur*
De Beersele, en son tems bon Chevalier d'honneur,
Qui fut de Bautersem Seigneur jusques enfin,
De Braine & Overisque Advoué de Convin,
De Placenoit, Schoutrine & Ruysbroeck aussi
Seigneur de petit Reux Dieu l'en avoit party
Chambellan fust second du Roy, de la Toison
Chevalier tresprudent gouvernant la maison,
Apres que le dit Roy Philippe alla vers Castille
Lui laissant son thresor, son noble fils & fille,
Desquel fut gouverneur & Chambellan premier
Don chacun se loua jusques a moindre officier
Tellement gouverna le jeune Prince & Dames,
Qu'il doit avoir loyer avec les saintes ames.
Le dix-septieme de Septembre son ame a Dieu recommanda
L'an mil cincq cens & quinze a cinq heures du matin de ce siecle trespassa.
Dame Isabeau Despout *sa compagne & Epeuse.*
Gist apres lui, qui fut Dame tres vertueuse.
Qui trespassa le dixieme du mois de Juin a dix heures devant midi
En l'an mil cincq cens & trois, Dieu ait de benoiste ame misericorde & mercy.

In Ecclesiâ Parochiali Braniæ Allodialis, exstat Monumentum Sepulchrale *Philippi de Witthem* ejusque Conjugis, cum hac inscriptione.

Cy gist Philippe de Witthem *en son temps Seigneur de Beersele, de Bautersem, de Brayne-Laleux &c. qui trespassa l'an XV^C. XXIII.*

Et Madamoiselle Jehenne de Halewyn *son Epouse qui trespassa l'an XV^C. XXI, priez Dieu pour leurs ames.*

In Eccleſiâ Collegiatâ S. S. Michaelis & Gudulæ Bruxellis legitur in Sacello Venerabilis Sacramenti ſequens inſcriptio lapidis Sepulchralis.

Cy eſt la Sepulture de Haute, & puiſſante Dame, Madame Erneſtine de Witthem *en ſon vivant Baronne de Beauvois, Marquiſe de Berges, Comteſſe de Champlite & de Walhain, Vicomteſſe de Sebourg, Baronne & Dame de Peruwez, Cuſance, & S. Julian, Wavre, Gele, Braine-la-Leu, Beerſele, Opprebaix, Glymes, Tourbiſoul. La quelle treſpaſſa a Bruxelles le* 24. *de Janvier de l'an* 1649.

BEERTHE ſive *Beerde*, extremæ ditionis Angianæ pagus, ad limitem Hannonicum, ſpectans ad *Arembergiæ* Ducem, in clientela Ducis Brabantiæ, eſtque Juris Brabantini.

Eccleſiæ tutelaris eſt Virgo Deipara *Maria*; ejus Patronatus ſpectat ad Capitulum *S. S. Michaelis & Gudulæ*.

Decimarum participes ſunt, Præfatum Capitulum, Abbatia de Camera Ord. Ciſterc., Cantipratana Canon. Regul. *S. Auguſtini* hic vicina, Parochus &c.

BODEGEM vulgo *Beughem*, Altero lapide a Bruxella, Præfecturæ & ditionis Gaesbecanæ. Nuperis annis devenit hoc Dominium emptione publicâ ad *Alexandrum Schockaert* Comitem de *Tirimont*.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Martino* Turonenſi Epiſc. Ejus Patronatus ſpectat ad Perſonatum hujus Eccleſiæ, qui incorporatus eſt Capitulo Metropolitano *D. Rumoldi* pro Canonicis Graduatis, cum Decimis & agris perſonatui annexis.

Decimas hujus Perſonatus Capitulum jam pridem ceſſit Parocho in Supplementum portionis congruæ, exceptis in propriis agris huic Perſonatui annexis; ſic ut hodie Parochus poſſideat ferè mediam partem decimarum hujus pagi, altera medietas ſpectat ad Xenodochium *S. Joannis* Bruxellis.

BOUGAERDE ſive *Bogarde*, utrumque ſine delectu legitur, olim *Bongarden*; non uno loco in Diplomatibus apud *A. Miræum* invenitur. Situs eſt ad limitem Hannonicum ditionis Angianæ; pagus tamen juris Brabantini & ejus feudum.

Erectum in Comitatum. Anno 1670. erexit hoc Dominium in Comitatum *Carolus II.* Hiſp. Rex & *Anna* Regina Hiſp. Regni moderatrix, in gratiam *Caroli Antonii de Colonne* litteris datis Madriti 14. Maii.

Sub hoc pago ſita eſt Toparchia *Ter Cammen* peculium *Renati le Roux* Equitis.

Eccleſia tutelarem colit *S. Theodardum* Epiſc. Leodienſem. Ejus Patronatum gerit Abbas *S. Dionyſii* in Bocqueroya Ord. S. Bened. prope Montibus.

Decimarum participes ſunt Abbas Cantripratanus Ord. Can. Reg. S. Auguſtini & Parochus; aſt hodie percipit annuè competentiam 350. flor. a præfatâ Abbatiâ.

BUYSINGEN olim *Baſſinga*, ad limitem Hannonicum & fines Braban-

bantiæ Hallain versus. Præfecturæ Rodensis Dominium, spectans ad gentiles de *Varick*, constituit cum Eysinge & Huysinge unum tribunal. Vide de eo plura in pago Eysinge.

Ecclesia Patronum veneratur *S. Vincentium* Confess. Ad Curam Pastoralem præsentat Capitulum Soigniacense in Hannoniâ.

Decima universa hujus pagi spectat ad Parochum, etiam illa quæ fuit pridem Capituli Soigniacensis.

BYGARDE. primo lapide a Bruxella. Præfecturæ Rodensis Dominium, olim ab inclytâ Byardiensi stirpe possessum, a qua per nuptias devolutum ad *Serclasios*, a quibus itidem jure nuptiarum ad varios devenit.

Anno 1626. a Rege oppignoratum fuit *Ludovico Clarisse*, Prætori Antverpiensi.

Hodie Dominium Illustris familiæ de *Boisschot*, qui est Comes Erpsiæ. Arx hic est vetus, opere & Sacello eximiis, ab *Everardo Serclaes* exornata ubi videre est familiæ istius egregia monumenta.

In Ecclesiâ Collegiatâ *S. S. Michaelis & Gudulæ* legitur sequens Epitaphium *Laurentii de Longin* Toparchæ Lembecæ & Bygardiæ.

Cy gist Noble Homme
LAURENT DE LONGIN
Escuyer Seigneur de Lembeke & de la grande
Bygarde, Tresorier general de l'Empereur,
Qui mourut 1553.
Et Dame MARIE DE HEYLWEGEN.
Qui mourut le I. d'Aoust 1572.
Messire Rouland de Longin Chevalier
gist devant le
Portail de l'Eglise.

Ecclesiæ tutelaris est *S. Ægidius Conf.* Ad Pastorale munus præsentat Dynasta hujus loci. Decimarum participes sunt Abbatia magnæ Bygardiæ Ord. S. Bened. Capitulum Anderlechtense, & Parochus.

Intra terminos hujus pagi sita est celebris & illustris Abbatia Virginalis Magnæ Bygardiæ Ord. S. Bened. quæ a Nobilibus ferè Virginibus inhabitatur, fundata anno 1133. a *Godefrido Barbato* Lotharingiæ & Brabantiæ Duce, qui locum suæ ditionis tunc desertum & incultum *Bigarden* appellatum *S. Wivinæ* (cujus nomen Martyrologii tabulis ad diem XVII. Decembris adscriptum est) & *Emwaræ* piis Virginibus Monasterio exstruendo tradidit & Abbati Affligemiensi subjecit. Diploma hujus fundationis recitat *A. Miræus* in Cod. Piar. Donat. cap. LXXXVIII. novæ edit. ut sequitur.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. GODEFRIDUS, divinâ miseratione, Dux & Marchio Lotharingiæ, & Comes Lovanii, omnibus tam præsentibus, quàm futuris in perpetuum. Admonet nos Scripturæ divinæ pagina, dicens: *Bene fac justo, & invenies retributionem magnam, & si non ab ipso, certè a Domino.*

Eapropter Ego magnæ illius retributionis partem invenire desiderans, his qui in hoc seculo, secundùm judicium humanum, justi judicabuntur, bene facere disposui, ut eorum orationibus æternam apud Deum mercedem possim adipisci. Locum

igitur quendam desertum, in meo alodio situm, qui BIGARDIS dicitur, ancillis Dei WIVINÆ & EMWARÆ liberâ devotione contradidi, ut quidquid in Deo servientium merito accresceret, meæ & Successorum meorum saluti proficeret.

Et quia bonis initiis ipse cooperari solet, qui totius boni initium & perfectio est, cœpit idem locus & Sororum numero, & possessionum augmento succrescere; cujus ego congaudens profectui, & prospiciens utilitati, Sororum ibi congregatarum voluntate, assensu, & petitione, locum ipsum, cum omnibus suis pertinentiis, Cœnobio Haffligimensi subjeci, & Abbati regendum commisi, ut ipsius providentiâ & interior ancillarum Dei status ordinetur, & exterior substantia disponatur.

Quæcumque verò vel ex meo alodio eis concessi, vel ac aliis acquisita, ut liber Advocatus, suscepi, Deo & sanctæ ejus Genitrici, ad usum Sororum liberâ donatione contrado, & ut in perpetuum rata & inconvulsa permaneant, præsentis privilegii auctoritatem, sigilli mei impressione, & testium adstipulatione, confirmo. In quibus hæc nominatim designo alodia, in *Auster*, *Helbeke*, *Berchem*, *Weve*, *Reusele*, *Beverne*. Testes autem, ubi locum præfatum ancillis Dei tradidi, hi interfuerunt:

Steppo de Brusella, & frater ejus.
Walterus Redescot.
Lambertus de Craynhem.
Sigerus de Anderlecht.
Arnulfus de Asca.
Franco Castellanus.
Amalricus de Bigardis.
Franco de Isca, & fratres ejus Godefridus & Amalricus.
Walterus de Ansilier.
Amandus de Brusella.

Cum Abbate commissi fuerunt hi.

Balduinus Decanus de Brusella.
Onulphus Presbyter.
Joannes de Anderlecht.
Franco Castellanus.
Ingelbertus de Atrio.
Franco Kalo.

1133. Actum est autem anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo tricesimo tertio, Indictione undecimâ.

In hoc Cœnobio quiescit corpus *B. Wivinæ* primæ Abbatissæ, quæ ibidem beato fine quievit Anno 1170. die 17. Decembris, estque e terrâ elevata & in feretro collocata anno 1177. per *Arnulphum VI.* Abbatem Affligemiensem jussu, *Alardi* Episcopi Cameracensis, qui eodem anno Ecclesiam Bigardiensem consecravit, in quâ consecratione candelæ ob festivitatem accensæ in processione extinguebantur, factâ autem Processione ante corpus Virginis candela quam *Ingelbertus* Presbyter gestabat, reaccensa est, quade causa candelam gestans depingitur.

Viget ibidem ad eandem Divam celebris fidelium concursus, invocatur potissimum contra ulceres, morbosque subitaneos, idque non sine evidenti multorum sublevamine.

Damus hic seriem Abbatissarum.

AB-

ABBATISSÆ BIGARDIENSES.

I. *S. Wivina.* Obiit 1170. XVII. Decembris.
II. *B. Euwara.*
III. *Beatrix.*
IV. *Beſela.* Anno 1218.
V. *Ida de Cottem.*
VI. *Helwiga de Quaderebbe.* Anno 1244.
VII. *Beatrix de Cobbegem.* Anno 1250.
VIII. *Clara Servranx.* 1259.
IX. *Alicia.* 1262.
X. *Catharina de Mechlinia.* 1293.
XI. *Hedwigis de Leſtelbeke.* 1299.
XII. *Gertrudis de Cleutinge.* 1308.
XIII. *Aleydis de Heverla.* anno 1338.
XIV. *Margareta Pipenpoy.* Anno 1340.
XV. *Clariſia.* 1361.
XVI. . . . . *Pipenpoy.* Anno 1372.
XVII. *Joanna Erbaut.* Obiit 1383.
XVIII. *Gertrudis de Liere.*
XIX. *Helwigis de Leſtelbeke.* 1397.
XX. *Margareta Pipenpoy.* Vixit 1401. adhuc præfuit 1448.
XXI. *Joanna Herba.* Obiit 1485.
XXII. *Philippa Smols.* Reſignavit 1497.
XXIII. *Catharina de Douverayn.* Obiit 1539.
XXIV. *Franciſca vander Straete.* Obiit 1542.
XXV. *Catharina vander Straete,* Franciſcæ Soror. Obiit 1571.
XXVI. *Catharina vander Straete.* 1601.
XXVII. *Anna d'Ittre.* Reſignavit 1619.
XXVIII. *Catharina Martigny.* . . . .
XXIX. *Lucretia Scholaſtica de Fourneau.* Obiit 1664.
XXX. *Scholaſtica Placida de la Vieville.* Obiit anno 1689.
XXXI. *Maria Anna Reuckerock.* Obiit Anno 1695.
XXXII. *Iſabella Du Queſnoy.* Obiit 1702.
XXXIII. *Anna Carolina Du Vallejo,* præſens Abbatiſſa.

CAPELLA S. UDALRICI, vulgo *St. Ulricx Capelle*, Latinè per Syncopen *Fanum S. Ulrici*, Gallis *Chapelle S. Ulric*, atque ita nominatur ad diſtinctionem alterius Capellæ ad Aquæductum Bruxellenſem, quæque vocatur *Cappelle op den Boſch.* Hoc Dominium ſubcenſetur Præfecturæ Rodenſi, diſtatque altero lapide a Bruxellâ.

Supremam hujus pagi juriſdictionem a Rege obtinuit Anno 1558. *Carolus de l'Eſpinoy* apud Flandros Senator, cujus uxor *Margareta de Longin* ei mediam juriſdictionem dotalem attulerat, & filius ejus *Philippus de l'Eſpinoy* Vice-Comes Terroanenſis vendidit anno 1617. univerſam hanc Dynaſtiam & juriſdictionem *Theodoro de Fourneau* Equiti, Domino De Wilder, in Supremâ Brabantiæ Curiâ Senatori, qui frater fuit *Caroli de Fourneau* Equitis Melitenſis admiſſi Anno 1590. Hic *Theodorus* per nuptias cum *Joanna de Rovelaſca* Dominia de Renſt & Millegem acquiſivit, & ex *Maria Maes* Prioris thori uxore, *Philippi* Cameræ Regiæ Rationum Præſidis filia & ex *Aleyda de la Tour & Taſſis Jacobi Maes* in eadem Brabantiæ Curiâ Senatoris nepte, genuit *Philippum Franciſcum de Fourneau* Equitem *D. Jacobi*, Toparcham de Wodecq, Campenhout, Wambeke, Lombeke, Ternath &c. deinde Comitem de Cruykenbourg, in cujus gratiam Dynaſtia de la Chapelle, cum vico ten Broeck a *Philippo IV.* Hiſp. Rege in Baronatum eſt erecta die 14. Martii 1650. Ei ex *Iſabella de Berchem* filius ſucceſſit *Philippus Theodorus* Baro de *Fourneau* & *de la Chapelle*, in quâ ſtirpe hactenus perſeverat. *Erectum in Baronatum.*

In hac Parochiali extat Monumentum Sepulchrale præfati *Theodori* cum hac inſcriptione.

Cy giſt Meſſire Theodore de Fourneau *Chlr. Seigr. de la Chapelle, Ranſt &c. fils de Charles, Eſcuier, Seigr. de Cruykenbourgh.*

Sequens Epitaphium exhibitum a *Barone le Roy in Not. March. S. R. I.* pag. 109. viſitur in templo Parochiali de Berchem propè Antverpiam.

Icy giſt noble & Illuſtre Dame Marie Anne de Berchem & *de Dame* Marie de Taſſis, *laquelle l'age de XXIV. ans, & ſon ancienne extraction de la maiſon de* Berthout *autrefois Sres. de Malines & Barons de Grimberges & d'autres ſemblables, mais periſſables qualitez, n'ont peu exempter que ſon corps ne ſoit la nouriture de vers, & que ſes cendres ne ſoyent egales a celles des moindres, ne lui eſtant reſte, que ſa ſeule vertu pour ſervir envers Dieu a ſon ame. Elle Epouſa Meſſire* Philip Theodore Baron de Fourneau & de la Chapelle, *Sr. de Ranſt, Maiſtre de Camp d'un terce, & Capitaine d'une compagnie libre de cuiraſſes, qui étoit fils de Meſſire* Philip François de Fourneau, *Comte de Crucquenbourg, & de Dame* Iſabelle de Berchem, *lequel tres affligé luy a rendu ce derniers devoir le XII. d'Avril* 1663. *Priez Dieu pour ſon Ame.*

Eccleſia, ut nomen indicat, dicata eſt *S. Udalrico* Epiſcopo Auguſtano, Cura Paſtoralis confertur alternatim per Archiepiſcopum hujus Diœceſis, & Dynaſtam.

Decima ſpectat ad Abbatiam Majoris Bigardiæ hic in vicinia ſitam & Parochum, cui inſuper Toparcha annuè tenetur ſolvere cenſum 200. florenorum.

DIELBEECK primo lapide a Bruxella, Præfecturæ & ditionis Gaesbecanæ. Dominium Comitis de *Tirimont*. Antiquus eſt locus notus ob *D. Alenæ* memoriam, cujus Pater Dielbecæ Regulus erat, hodiè Toparcham diceremus; vide de eo plura ſupra in Foreſto.

Anno 1690. Dominia de Dielbeeck, Itterbeke, & Beughem die 31. Martii a *Carolo II.* Hiſp. Rege in Comitatum erecta ſunt in gratiam *Ludovici Alexandri Schockaert* Equitis, Domini de *Tirimont*, ſub nomine Comitis de *Tirimont*, in qua familiâ perſeverant.

Eccleſia Patronum veneratur *S. Ambroſium* Epiſc. Ejus Patronatus ſpectat ad Capitulum Anderlechtenſe.

Anno 1230. *Henricus & Ægidius de Sottegem* conferunt omnem ſuam decimam, quam hic loci habebant, in uſum Canonicorum Anderlechtenſium, Diplomata recitat *A. Miræus* in Not. Eccl. Belgii Cap. CXLIX. novæ edit.

Uni-

Universis Christi Fidelibus HENRICUS de Sottengem salutem.

Præsenti duxi committendum memoriali, quod Ego omnem decimam de allodio meo quod in Parochia de Dielbeka teneo, de consensu *Walteri* Fratris mei, Ecclesiæ B. Petri de Anderlecht, ad usus Canonicorum ibidem servientium, liberè contuli, & contra *Ægidium* Fratrem meum, cujus copiam de facili habere non potui, quia Parisiis studuit, & alios quoscumque, dictam Ecclesiam supra præfata decima promisi warandire.

Actum MCCXXV. mense Aprili. 1225.

Universis. . . Ego ÆGIDIUS de Sottegem omnem decimam in Parochia de Dilbeca in usus Canonicorum S. Petri Anderlectensis contuli. Testes interfuerunt,

Henricus Decanus,
Godefridus,
Joannes Scholasticus,
Theodoricus,
Andreas,
Michaël, Presbyteri;
Joannes,
Henricus,
Arnoldus,
Renerus,
Franco, Canonici Anderlectenses;
Vir Nobilis Leonius Castellanus Bruxellensis,
Hugo Miles de Borgevael,
Walterus de Ruchebruc, &
Wilelmus,
Franco,
Daniel, Fratres de Uckela,
Godefridus,
Leonius, Filii dicti Nobilis.

In hujus rei testimonium, præsentem Paginam, quia proprium non habeo Sigillum, Sigilli Avunculi mei dicti Nobilis appensione duxi communire.

Actum anno M. CC. XXX. mense Augusti. 1230.

Decima fuit tripartita, quarum duas trientes habuit præfatum Capitulum & alteram trientem Parochus; at ex conventione nuper initâ cum Parocho præfatum Capitulum percipit omnes decimas & solvit annuè Parocho competentiam 370. florenorum ad vitam moderni Pastoris.

DORPE, Latinè *Tornepia*, tribus milliaribus a Bruxella ad ingressum Sylvæ-Soniæ, Præfecturæ Rodensis Dominium. Illud anno 1626. jure pignoratitio acquisivit a Rege *Henricus Varick*, Marcgravius Antverpiensis, & anno 1649. 29. Octobris illud emptione absolutâ transcripsit *Philippus IV.* Hisp. Rex *Jacobo le Roy* Præsidi Cameræ Rationum Regiæ, cum altâ mediâ & infimâ jurisdictione hæreditariè possidendam, in quo ejus filius *Ignatius le Roy* Eques, similiter ejusdem Cameræ Præses condidit spectabile Castellum cum insigni fonte conspicuo, ruinam nuperis annis per incendiarios Gallos Castello illatam, augustius dein restauravit *Ignatii* filius. Hoc Dominium præfatus filius *Landelinus le Roy* anno 1701. emptionis tabulis transcripsit *Petro Fariseau*, post cujus mortem obvenit ejus hæredi *Petro Robyns*, cujus investituram accepit in Curiâ feudali Ducatus Brabantiæ anno 1719. Hujus Castelli schema visitur in Castellis Nobilium Brabantiæ *Baronis le Roy*,

Ecclesia tutelarem colit *S. Gaugericum* Episc. Camerac. Patronatus ejus spectat ad Abbatem S. Sepulchri Ord. S. Bened. Cameraci.

A. Miræus in Dipl. Belg. Lib. I. Cap. XIX. edit. novæ profert Diploma quo *Fulquinus* Vir potens anno 950. donat Monasterio Gemblacensi Ord.

S. Bened. in Gallo Brabantiâ prædium, cum dimidia Eccleſia de *Dorp* & aliis bonis: en Diploma.

Quiſquis bene poſſideat res in præſenti ſeculo acquiſitas, ille utique optimè poſſidet, qui de terrenis ac caducis ſibi mercatur æterna.

Quamobrem ego in Dei nomine FULQUINUS, cum conſilio vel ſuaſu benigniſſimi Faraberti Epiſcopi, pro ſalute animæ beatæ memoriæ Richarii Epiſcopi, ipſius etiam Faraberti, pro ſalute nihilominus animæ meæ, filiorumque ac fratrum meorum, ſive quoque gratiâ æternæ ſalutis, trado & perpetualiter tribuo Eccleſiæ Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, beatique Petri Apoſtoli Apoſtolorum Principis, atque S. Exuperii, in loco, vocabulo *Gemblaus*, ubi præeſſe dignoſcitur illuſtris Abbas Erluinus, quoddam juris mei prædium in pago *Braivibant* in loco, qui dicitur *Dorp*, cum dimidia Eccleſia, & cum una camba, & ſedecim manſis, & cum quodam homine nomine *Iſer*, ſeu cum omnibus ibidem aſpicientibus, cum domibus & ædificiis, campis, terris, tam cultis quàm incultis, ſilvis, pratis, paſcuis, communibus & parvis, aquis aquarumve decurſibus, mobilibus, & immobilibus, præſidiis, peculiis, omnia & ex omnibus, quidquid in Epiſcopio noſtra videtur poſſeſſio vel dominatio, rem exquiſitam, totum ad & integrum, tam de allodio, quàm de comparato, ſeu de quolibet attractu ad nos ibidem dignoſcatur perveniſſe, de noſtro jure & dominatione, jam dicto Monaſterio per hanc chartulam donationis, ſive per feſtucam, ad opus Sanctorum, quorum mentionem ſupra fecimus, à die præſenti donamus, tradimus atque perpetualiter in omnibus transfirmamus.

Eâ verò ratione, ut Præceptores prædicti Monaſterii ab hac die hoc habeant, teneant atque poſſideant, vel quidquid inde facere voluerint, liberam ac firmiſſimam, Chriſto propitio, in omnibus habeant poteſtatem. Et ſi quis deinceps (quod futurum eſſe non credo) ſi ego ipſe, quod abſit, aut quiſquam de heredibus, vel proheredibus meis, ſeu quælibet extera perſona, quæ contra hanc chartulam donationis venire aut calumniari eam præſumpſerit, & ſe exinde non ſubtraxerit, à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ excommunicatus & diviſus exiſtat, & inſuper in die tremendi judicii propter hoc rationem reddat. Contra quem verò calumniam intulerit, auri uncias centum, argenti verò libras CCC coactus exſolvat, & quod repetit, nullo modo evindicare prævaleat, ſed præſens hæc donatio, meis, & me rogante, bonorum hominum manibus roborata, quorum nomina vel ſigna ſubter tenentur, inſertâ ſtipulatione, ſubnixa, per diuturnum tempus maneat inconvulſa.

Signum Gocteranni Advocati.
S. Fulquini & reliquorum.
OTTO Rex, CUNO Dux.
FARABERTUS Epiſcopus.
Aletrannus Cancellarius.

Idem *Miræus* refert in Not. Eccl. Belg. Cap. LXXVII. edit. novæ donationis tabulas, quibus anno 1138. *Nicolaus* Epiſc. Camerac. Altare de *Tournepia* (nobis Teutonicè *Dorpe*) concedit Abbati S. Sepulchri Cameraci cum Capellâ de *Ruſchebroeck* (hodie *Ruysbroeck*) quæ annis plurimis hujus Parochialis appendix fuit, donec proprium nacta eſt Parochum. Hoc Diploma, protulimus ſupra pag. 27.

Decimas majores pro potiori parte habet Parochus, etiam quæ pridem ſpectarunt ad præfatam Abbatiam S. Sepulchri; altera pars ſpectat ad Xenodochium *S. Joannis* Bruxellis, earum etiam una pars eſt ſecularis; inſuper Paſtor in Huyſingen habet inibi parvum diſtrictum decimarum.

ELINGE ad fines Brabantiæ Hannoniam verſus, Præfecturæ & Ditionis Gaesbecanæ. Dominium Comitis de *Tirimont*.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Amando* Tungrenſi Epiſc. Ejus Patronatum gerit Abbas *S. Petri* in Monte Blandinio Gandavi.

Decimas majores pro unâ tertia percipit Abbatia de *Walteri Brania* Ord. Ci-

Ciſterc. Monaſterium Viridis Vallis & *Gabriel le Fubere*. Eſt & alia decima quam percipit Capitulum Nivellenſe, item Novalia & Decimas carnium vi contractus cum Parocho initi. Eccleſia percipit parvum diſtrictum decimarum ſuper quinque bonaria terræ.

EYSINGE olim *Aſſynga*, Præfecturæ Rodenſis, ad Sennam fluvium & ad fines Brabantiæ, medio milliari ab Hallis. Ejus Dominium cum Huyſingen & Buyſingen acquiſivit anno 1626. a *Philippo IV.* Hiſp. Rege jure pignoratio *Henricus Varick* Marcgravius Antverpienſis, dein ſucceſſit filius *Carolus Hyacinthus Varick*, poſt cujus mortem ejus inveſtituram adiit anno 1714. *Philippus Adrianus Varick*.

Eccleſia quæ *S. Amando* Epiſc. Tungrenſi ſacra, adminiſtratur per Canonicos Religioſos Abbatiæ Bonæ Spei Ord. Præmonſt., ad cujus Parochum ſpectat univerſa pagi decima, cum notabili parte Decimarum in Parochia *Leeuwe S. Petri* ſeſe extendente.

GAESBECA Præfecturæ & ditionis ejuſdem nominis caput. Antiquus Baronatus, Municipium ac Dominium totâ Brabantia celeberrimum, meminit ejus *P. Divæus* Rerum Brabanticarum Lib. I. Cap. V. his verbis. „ In „ Hannoniam *Gaesbecanus* vergit ager pingui ac ubere glebâ omnem reli- „ quam Brabantiam vincens: nobilis & hic Baronum Familiâ, nec minus „ antiquâ: at quorum res geſtas ignava obſcuravit oblivio; Baronatus tan- „ dem interitu nobiliſſimæ ſtirpis, Ducali fiſco ceſſit. Circa annum vero „ 1235. privatim gubernari cœpit a *Godefrido Lovanienſi* fratre *Henrici II.* „ Ducis, qui Gaesbecæ & Harſtalli Dominus dicebatur. Succeſſêre *Hen-* „ *ricus*, *Joannes*; hinc *Apcoudanorum* nobilis ex Hollandia familiâ, Ga- „ ſebecam poſſedit: *Jacobus Apcoudanus Philippo Hornano* Bauſigniacen- „ ſi vendidit ante annum 1450." Hactenus *Divæus*. Subſecutos Gaesbecæ Dominos alibi leges, nominatim in juriſprudentiâ Heroicâ pag. 282. *Vetus Baronatus.*

Tranſiit Gaesbeca noſtra ætate anno 1687. emptione publicâ ad *Ludovicum Alexandrum Schockaert* Equitem, Comitem de *Tirimont* &c. Hodie illud illuſtre Dominium poſſidet ejus filius *Philippus Carolus Thomas Schockaert* Comes de *Tirimont*.

Arcem Gaesbecæ ita deſcribit Auctor juriſprudentiæ Heroicæ his verbis. pag. 283. „ Arx hic olim fuit pulcherrima & validè munita, ſtructa a *Joan-* „ *ne* Baronum Brabanticæ ſtirpis ſecundo. Ea ſub *Apcoudiis* anno 1387. „ capta diruta & ſolo æquata eſt. Hîc occaſione poſtea alio loco non mi- „ nori quam prior ſplendore ædificata per *Philippum Hornanum* Baronem, „ quæ pro unâ parte anno 1566. igne abſumpta eſt fortuito, novo dein „ ſplendidoque frontiſpicio ab *Alexandro de Reneſſe* Gaesbecæ Barone an- „ no 1658. Pariſiis defuncto, adauctum & ornatum eſt." Hoc Caſtellum anno 1695. igne injecto per incendiarios Gallos ambuſtum eſt, dein egregiè reſtauratum per præfatum Comitem de *Tirimont*, quod exhibetur prout fuit poſt ultimum incendium, in Caſtellis Nobilium Brabantiæ *Baronis le Roy*.

Denique non omittendum hîc ad ſupremum tribunal Gaesbecanum viâ apellationis recurrere pagos XVII. nominatim *Goycke*, *Meerbeke Pamele*, *Strytem*, *Onſe L. V. Lombeke*, *Wambeke*, *Ter Nat*, *Catherine Lombeke*, *Cruyckenbourch*, *Weſemaels Laethof*, *Saventhem*, *Sterbeke*, & plures alii.

Eccleſia Gaesbecana quæ D. Virgini *Mariæ* ſacra eſt dependet a Dyna-

ſtâ, cui competit Patronatus hujus Parochialis, & confert in eâ Capellanias numero VI. præterquam in Caſtro, quarum prima eſt *S. Eutropii* unita Paſtoratui, reliquæ ſunt *S. Eliſabethæ*, *S. Nicolai*, *S. Annæ*, *B. Mariæ*, & *S. Catharinæ*.

Anno 1382. erecta eſt hæc Eccleſia in Parochialem & ſeparata a Parochiali Linniaci *S. Quintini* auctoritate *Joannis* Epiſc. Cameracenſis & conſenſu Capituli Nivellenſis, procurante *Swedero Apcoudæ* Barone & Domino Gaesbecano. Diplomata refert *A. Miræus* in Not. Eccleſ. Belg. Cap. CCXX, novæ edit. prout hic ſequuntur.

JOANNES Epiſcopus Cameracenſis notum facimus univerſis, quòd licet aliàs de Capella & duabus Capellaniis in Villa de Gaſebeke ſitis Eccleſiam ereximus Parochialem, eam extrahendo ab Eccleſia Parochiali S. Quintini de Lenniaco, conſenſu Capituli Eccleſiæ B. Gertrudis Nivellenſis (cui ratione Juris Patronatûs, quoad præſentationem, dignoſcitur ſubeſſe) interveniente, intentionis tamen noſtræ non fuit, dicto Capitulo in aliquo jure eorum præjudicare.

1382. Datum anno milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſecundo, die VIII. Septembris.

Venerabilibus Dominis Decano & Capitulo Eccleſiæ B. Gertrudis Nivellenſis, Diœceſis Leodienſis, Swederus de *Apcoude* Baro Dominus de Gaſebeke, Putte & Striene ſalutem. Cum Nos de Capella quondam B. Mariæ in noſtra Villa de Gaſebeke Eccleſiam Parochialem per Cameracenſem Epiſcopum, loci Ordinarium, erigi, fundari & confirmari procuravimus, veſtro Dominorum conſenſu & voluntate intervenientibus, præſentationi primi Presbyteri Parochialis ibidem inſtituendi mihi conſenſiſtis.

1382. Datum anno milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſecundo, die XXVIII. Aprilis.

Olim hic fuit Hoſpitale; ſed a non pauco tempore deſiit.

Anno 1621. unita eſt Paſtoratui de Gaesbeeck Cappellania de AA. fundata in Sacello in Parochia de Anderlecht, cum onere duarum miſſarum per hebdommadam; ſed cum Sacellum deſtructum eſt, miſſæ celebrantur in hac Parochiali cum conſenſu Archiepiſcopi. Item Paſtor tenetur ad tres miſſas per hebdommadam ratione unionis duarum Capellaniarum Paſtoratui.

GOYCK olim in Diplomatibus *Gaugiaca*. Celebris, ſub Præfectura Gaesbecanâ, Toparchia, longæ & vaſtæ extenſionis; continet enim ultra 2000. terræ bonaria, arce veteri inſtructâ, quæ noſtra ætate igne fortuito periit, ac ſaxa & rudera alibi delata & applicata. Ante aliquot ſecula fuit gentilium de *Crainhem*, inde devenit ad Dominos de *Baeſrode*, atque ab iis per nuptias ad poſteros Nobiliſſimæ familiæ de *Taye*. Erecta eſt hæc Dynaſtia in Baronatum a *Philippo IV.* Hiſp. Rege die 9. Aprilis 1651. in gratiam *Engelberti de Taye*.

Erectum in Baronatum.

Hodie illud poſſidet jure hæreditario cum titulo Baronis *Guilielmus Albertus de Griſpere* meritiſſimus Cancellarius Brabantiæ &c.

Eccleſiæ tutelaris eſt *S. Nicolaus* Epiſc., ejus Patronatus olim erat Capituli Nivellenſis, hodiè ad curam Paſtoralem præſentat perſona Perſonatus hujus Eccleſiæ, qui cum anno 1600. die 31. Januarii unitus ſit Pœnitentiariæ Eccleſiæ Metropolitanæ Mechlinienſis, eo jure utitur Pœnitentiarius præfatæ Eccleſiæ.

Decimas majores poſſidet præfatum Capitulum Nivellenſe & Parochus, cui inſuper competunt Decimæ Novales. Minores decimas poſſidet Pœnitentiarius Præfatæ Eccleſiæ ratione incorporationis, & unionis Perſonatus Pœnitentiariæ. Item Eccleſia, & Dynaſta &c.

In-

Integro milliari ab Ecclesia Parochiali versus Ninhoviam exstat Capella *S. Crucis* in qua singulis feriis sextis solemniter celebratur, & prædicatur per Parochum.

HUYSINGEN olim *Hunseghem* & *Huysinga*. Præfecturæ Rodensis pagus ad fines Brabantiæ, contiguus Hallis Hannoniæ, spectans jure pignoratitio, uti ante dictum, ad gentem de *Varick* cum Eysingen & Buysingen constituentes unum tribunal. Vide supradicta in pago de Eysingen.

Ecclesia insignita est *S. Joanni Baptistæ*. Patronatus ejus est Abbatissæ de Camera Ord. Cisterc. in vicinia Urbis Bruxellensis. Olim fuit Patronatus Abbatiæ Viconiensis Ord. Præmonstr., quæ transcripsit suum jus præfatæ Abbatiæ de Camera cum duabus tertiis decimarum, quæ dein cessit suas decimas Parocho sub exiguâ recognitione annua, insuper habet Parochus certum districtum Decimarum in Dorpe.

Colitur in hac Parochiali *S. Leonardus* Mart. magna populi devotione & accursu, & ad eum fit plurima peregrinatio, pro cujusvis corporis infirmitatibus.

ITTERBEECK primo lapide a Bruxellâ, Præfecturæ & Ditionis Gaesbecanæ. Dominium Comitis de *Tirimont*.

Ecclesia inscripta est *S. Petro* Apost. Ad Curam Pastoralem præsentat Abbas S. Sepulchri Ord. S. Bened. Cameraci. Olim fuit appendix Parochiæ *Leeuwæ S. Petri*.

De Decimis participant duos manipulos Abbatia Affligemiensis, Abbatia S. Sepulchri unum, & Pastor loci item unum, dein decimis item participant Ecclesia, & Mensa S. Spiritus hujus pagi, Monasterium Urbanistarum Bruxellis, Capellanus in Schepdale, item unus secularis.

Hujus Parochialis appendix est Capella *Peede S. Annæ*.

Item est Sacellum cœmiterio cinctum. Duæ sunt Capellaniæ una *S. Annæ* Pastoratui annexa Anno 1615. cum onere trium missarum per hebdommodam. Item Capellania animarum cum onere similiter trium missarum; sed ex reductione fiunt pro unaquaque Capellania duæ missæ per hebdommadam.

LEERBEECK seu *Laerbeke*, utrumque enim sine delectu legitur. Extremus ditionis Anghianæ, & ejus Dominis subjectus pagus, ad limites territorii Gaesbecani; juris tamen Brabantini pagus, spectans ad Principem de la *Tour* & *Tassis*.

Ecclesia inscripta est *S. Petro* Apost. sub Patronatu Illustris Capituli Nivellensis, quod hic loci possidet notabilem partem decimarum.

Anno 1162. *Ada* Abbatissa Nivellensis tali affectu afficiebatur *S. Gertrudi*, quæ in ejus Monasterio Nivellis educata & instructa fuerat, & ob suarum virtutum merita ad Abbatialem dignitatem evecta, ut contulerit Ecclesiæ Nivellensi cuncta sua bona, possessiones & decimas, quas potiebatur in Leerbeke; quam donationem anno sequenti confirmavit *Nicolaus* Episc. Cameracensis.

Eodem anno *Hisebeka* Nivellis Canonica etiam huic Capitulo cuncta sua bona donavit quæ possidebat in Leerbeke.

In hac Parochili viget specialis cultus *S. Antonii*, & ad eum Divum fit plurima hic loci peregrinatio.

LEEUWA S. PETRI, Caput hujus Decanatus. Insignis maximæque jurisdictionis pagus, atque celebris, & illustris Dominatus, districtusque Gaesbecani primarius recensetur, familiâ Brabantiæ antiquissimâ, insignia portat Brabantiæ eadem. Amplius quod primi Barones Gaesbecæ titilum Leeuwæ soleant Gaesbecano præponere, uti pluries legitur in Trophæis Brabanticis *C. Butkens* Lib. VII.

Item quod Barones Gaesbecani primum a Leeuwensibus recipi & ibi juramentum fidelitatis dare & accipere soleant. Hîc tribunal ad quod plures pagi appellant, scilicet *Itterbeke*, *Dielbeke*, *Bodegem*, *Walcourt in Anderlecht* &c.

Hoc Illustre Dominium a ditione dismembratum Gaesbecanâ in Curiâ Feudali Ducatus Brabantiæ emptione publicâ anno 1687. die 22. Februarii devenit ad *Joannem Carolum Roose* Senatorem Magni Senatus Belgici, in cujus favorem anno 1690. die 20. Septembris a *Carolo II.* Hisp. Rege Diplomate dato Madriti, Baronatus titulo condecoratum est.

Erectum in Baronatum.

Arcem habet elegantem cujus schema visitur in Castellis Nobilium Brabantiæ *Baronis le Roy*, quam plurimum decoravit & illustriorem reddidit *Joannes Carolus Roose* secundus Baro de Leeuw, de quo mox postea. Præfatus *Joannes Carolus Roose* primus Baro de Leeuw fatis concessit Anno 1694. die 5. Januarii, uti legitur in ejus prægrandi lapide Sepulchrali in Choro Ecclesiæ de Leeuw, cujus est hæc inscriptio.

D. O. M.

Cy gist Messire Jean Charles Roose, *Baron de Leeuw St. Pierre, Seigneur de Miremont, Spy, Onoz, Calstre &c. Conseiller & Maistre aux Requestes du grand Conseil, qui trespassa le* 5. *de Janvier* 1694. *age de* 65. *ans. Et Noble Dame* Marie Florence de Varick *son Epouse, fille de Messire Ciprien, Chlr. Seigneur de Carnin, Dieval &c. Chevalier d'honneur du Parlement de Tournay & grand Baillay de Lille, qui mourut le* 31. *May* 1705. *Prié Dieu pour leurs ames.*

Circum circa quarteria eorum sunt XVI. sine expressione nominum. Successit ei in hoc Dominio ejus primogenitus *Joannes Carolus le Roose* secundus Baro de Leeuw, cujus saxum Sepulchrale item visitur in Choro hujus Parochialis cum hac inscriptione.

D. O. M.

Sepulture de Messire Jean Charles Roose *Baron de Leeuw St. Pierre, Seigneur de Froidmont, Han, Mirmont, Onoz, Spy, Loupogne, Bassi, Calstre &c. Haut voue de Jemeppe, Pair de la Comté de Namur, Capitaine de Cavallerie au service de sa Majesté. Age de XXV. Ans decedé le XI. Novembre* 1704. *Prié pour son Ame.*

Quarteria ejus circum circa sunt hæc.

Roose, Kintschot, De Ram, Honsem,
Varick, Camponoso, Laurin, Vwens.

Huic

Huic succeſſit *Cyprianus Ambroſius Petrus Rooſe*, Baro de Leeuw & Toparcha dictorum locorum, frater & hæres dicti *Joannis Caroli*. Obiit die 12. Octobris Anno 1720.

Succeſſor ejus *Philippus-Franciſcus-Petrus Rooſe*, præſens Baro & prædictorum locorum Dominus, frater & hæres, duxit Ao. 1722. die 28. Octobris Tornaci *D. Franciſcam-Carolam vander Gracht* filiam *Antonii Ignatii* Toparchæ de Fertin, Supremi Balivi Civitatis, & territorii Tornacenſis, & *D. Mariæ Eliſabethæ Bernard de Tintignies*.

Complectitur hoc Dominium ſub ſe Vicos plurimos, videlicet *Mekinge*, *Laeckt*, *Ruckelingen*, *Naeſtbeke*, *Bysbergen*, *Volcxum*, *Rattendael* &c. Inter quos eminent *Mekinge*, *Laeckt*; in his exſtant inſignes Capellæ, in quibus divina celebrantur; prima ſacra eſt *S. Mariæ Magdalenæ*, altera Beatæ *Mariæ*; in eâ eſt Capellania B. M. V.

Eccleſia quæ multum inſignis, *S. Petro* Apoſtolorum Principi ſacra eſt. Ejus Patronatum gerit Abbas S. Sepulchri Ord. S. Bened. Cameraci, Dono *Gerardi II.* Cameracenſis Epiſcopi hoc Diplomate.

Ego GERARDUS, Præſul Eccleſiæ Cameracenſis, lumine Prædeceſſoris mei Domni LIETBERTI ſuccenſus, & opus illius benè conſummatum præ oculis habens, ſcilicet S. SEPULCRI Eccleſiam, quam ex integro ædificavit, & Abbatiam Monachorum eamdem conſtituit, à ſanctuario incipere & benè operari ratum conſidero.

Unde notum ſit omnibus Chriſti Fidelibus, quod ad eamdem S. Sepulcri Eccleſiam Abbati Waltero ac Monachis x. pauperibus Altare de *Liewes* Pontificali Auctoritate concedo, liberum ab omni conſuetudine; exceptâ ſummâ duorum ſolidorum annuatim perſolvendâ.

Signum mei Gerardi,
S. Gerardi Archidiaconi,
S. Widonis Præpoſiti & Archidiaconi.
S. Maſelini Archidiaconi.
S. Hugonis Decani,
S. Werimbaldi Scolaſtici.

Actum eſt hoc Cameraci, in eodem Monaſterio S. Sepulcri, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ſeptuageſimo nono, Indictione ſecundâ, regnante Rege Henrico Lotharienſium anno Epiſcopatûs Domini Gerardi ſecundo. 1079.

Decimarum Participes ſunt præfatus Abbas S. Sepulchri, Abbatia Vallis Ducis Ord. Ciſter. in agro Lovanienſi, quas decimas obtinuit anno 1238. a filio Domini Leonii Caſtellani Bruxellenſis, ut patet hiſce tabulis Donationis.

Ego LEONIUS Filius Domini Leonii Caſtellani Bruxellenſis, ad notitiam fidelium volo pervenire, quòd ego decimam totalem, ſicut eam in Parochia de *Lewis* à Viro nobili Daniele de Wange in feodum tenebam, ad opus Abbatiſſæ & Dominarum * *Vallis-Ducis*, Ordinis Ciſtertienſis, in manus ejuſdem Danielis raportavi, in præſentia Hominum ſuorum, Giſelberti Militis de *Weſembeke*, & Godefridi de *Stertbeke*, in eleëmoſynam perpetuam.

* *'s Hertogendaele.*

Et ut hæc collatio illibata conſervetur, Sigilli mei appenſione roborandam duxi, Sigillo Patris mei ſupra nominati eamdem faciens roborari.

Acta ſunt hæc M. CC. XXXVIII. ſub teſtimonio Domini Walteri de Sottenghem Militis, & aliorum, feriâ poſt Aſſumptionem Beatæ Mariæ. 1238.

Ego DANIEL de Wanghe duxi ſignificandum, quòd *Leonius*, Filius Domini Leonii Caſtellani Bruxellenſis, decimam de Lewes, quam à me tenebat in feodum, in manus meas, in præſentia Hominum meorum Giſelberti Militis de *Weſenbeke*, & Godefridi de *Sterbeke*, ad opus Abbatiſſæ & Conventûs Vallis-Ducis reportavit, effeſtucavit & werpivit.

Ego verò eamdem decimam in manus præfatæ Abbatissæ, ad opus ipsius suique Conventûs, allodialiter contuli possidendam.

1238. Acta sunt hæc M. CC. XXXVIII. sub testimonio Domini Walteri Militis de *Zotteghem*, & aliorum.

Has decimas præfata Abbatia nuper transcripsit Venditionis tabulis *Petro Fariseau*.

Item decimarum participes sunt Abbatissæ de Foresto, & de Camerâ, Præpositus Montis Frigidi Bruxellis, Capitulum Cameracense, Affligemium, Parochus, & varii seculares. Omnes simul cum prioribus numero XII, quos nimis longum foret omnes singulatim recensere.

In hac Parochiali est Capellania *S. Nicolai*, alternatim confertur a Dynastâ & Domino de AA. In arâ principe hujus Parochialis est insignis tabula representans martyrium *S. Petri* Apostolorum Principis, Patroni hujus Ecclesiæ, eleganti penicillo *Gasparis de Crayere* pictoris celeberrimi depicta.

In hoc Municipio olim ortum habuit & Parochi munus gessit *Ægidius a Leeuwis*, qui dein anno 1214. ubique locorum concionari incipiens, multa hominum millia Cruce signarat, qui anno 1220. Abbas XI. Viconiensis Ord. Præmonstr. electus est, atque anno 1237. cum Fratre *Andreâ* Pastore & Canonico Ninhoviensi, *Joanne ab Outre*, & innumerabili multitudine Cruce signatorum turbâ ad terram Sanctam Barbaris eripiendam iter instituit. Teste *B. Miræo* in Chronico Præmonstratensi.

Item huic loco natales suas debet *Thomas Cantipratanus* Ord. S. Dominici, qui communiter putatur fuisse Suffraganeus Episc. Cameracensis; at sine solido fundamento. Qui obiit plenus dierum ac meritis die 15. Maii anno 1261.

Item *Fr. Jacobus Gheelius* Ord. Prædicat. S. T. D. universitatis Lovanienſis, & per universum Archiepiscopatum Mechlinienſem hæreticæ pravitatis Inquisitor. Qui obiit 1612.

Item *Joannes Malderus*, Laudatissimus Antverpiensium Episcopus, qui in vivis esse desiit anno 1633. septuagenario major.

Intra limites hujus vasti Municipii in Vico de *Zeune* est *Prioratus Virginum* Ord. S. Bened. vulgo *Cleynen Bygaerden*. Fuit hoc Monasterium primitus situm & fundatum in Monte *S. Mariæ* apud *Pepingam* loco qui dicitur *Varenbergh* Bruxellensis agri Vicum ad limitem Hannonicum, quod quidem circa annum 1234. dicto loco in suo fundo exstruxit Vir nobilis *Joannes a Monte*, Miles, sive Eques. Fundationem hanc *Henricus II.* Lotharingiæ & Brabantiæ Dux, ac ejus successor *Henricus III. Gregorius IX.* Papa & *Godefridus* Cameracensis Episcopus suis tabulis confirmarunt, quas profert *A. Miræus* in Donat. Belg. Lib. I. Cap. CIV. & CV. novæ edit. quæ sic sonant.

Henricus, major Filius Ducis Lotharingiæ omnibus præsens Scriptum videntibus salutem. Noverint universi, quòd Nos licentiamus G. de Bellengem, Monialem, Domum ædificare juxta loca infrà nostrum dominium, & illam ædificatam recepimus in nostra custodia.

1234. Datum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo quarto, mense Martio, apud Lovanium.

Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Abbati Cistertiensi salutem & Apostolicam benedictionem. Piæ mentis devotio specialem benignitatem Sedis Apostolicæ promeretur, Nosque affectui laudabili, ut ad debitum ef-

effectum perveniat, favoris noſtri præſidium, quantum cum Deo poſſumus, impertimur.

Sane dilectus filius JOANNES Miles de MONTE Nobis humiliter ſupplicavit, ut in Monaſterio de Monte S. Mariæ, quod pro peccatorum ſuorum remedio in fundo ſuo conſtruxit de bonis propriis, & dotavit, per te inſtitui Conventum Monialium Ciſtertienſis Ordinis mandaremus.

Honeſtam itaque intentionem prædicti Militis attendentes, qui diebus noſtris omnes invitare cupimus ad exercenda opera pietatis, per quæ ipſorum animæ ſalvæ fiant, diſcretioni tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus ſi dictum Monaſterium ſitu loci & facultatibus eſt congruum, ad Conventum hujuſmodi Ordinis memorati, obtento Epiſcopi Diœceſani conſenſu, ſatisfacias piis votis Militis ſupradicti. Datum Viterbii XIX. Kalendas Januarii, Pontificatûs noſtri anno nono. 1235.

GODEFRIDUS Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in omnium Salvatore. Notum ſit univerſis præſentibus & futuris, quòd O. Abbatiſſa, I. Præpoſitus, G. Decanus, totumque Capitulum Eccleſiæ Nivellenſis, per ſuas patentes litteras Nobis demonſtrârunt, quòd cùm à JOANNE Milite dicto de MONTE, in Parochia de *Bellengien*, & filia ſua Prioriſſa de Tenremonde, Ciſtertienſis Ordinis, & ab aliis probis viris rogati eſſent, ut ad hoc adhiberent aſſenſum, quòd in Perſonatu ſuo de *Papengien*, in terra dicti Militis, in loco qui Mons S. Mariæ nunc temporis appellatur (ſolebat autem *Vareberga* antiquitus nuncupari) Abbatia Monialium Ciſtertienſis Ordinis fundaretur. . . .

Ne caritas tepeſcere videatur in hoc in quo eam valeamus accendere, precibus eorum grato concurrentes aſſenſu, prædictam ordinationem ſuperiùs annotatam, quantum in nobis eſt, ratam habemus, & impreſſione Epiſcopalis ſigilli confirmamus.

Datum anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo triceſimo ſexto, menſe Octobri. 1236.

Univerſis Chriſtri fidelibus tam præſentibus quàm poſteris, ad quorum notitiam præſens Scriptum pervenerit, GODEFRIDUS de LOVANIO, Illuſtris Viri Henrici Ducis Lotharingiæ Frater, ſalutem & cognoſcere veritatem.

Quoniam ea quæ geruntur in tempore facilè oblivioni traduntur, niſi ſcripto memoriæ commendentur; ideò univerſitati veſtræ, tam ſub notione Teſtium, quàm tenore præſentium Litterarum declaramus, quòd Joannes de Zona, in noſtra & Scabinorum noſtrorum de Lewes, nec non & aliorum proborum virorum ac hominum noſtrorum præſentia conſtitutus, omne jus hereditarium, quod contingebat ei in decem bonariis terræ jacentis apud Zonam, in dominio noſtro, & ſub judicio & ſententia dictorum Scabinorum, ſive ſit plus ſive ſit minus, quæ terra ſolvit annuatim ad Nativitatem Domini quadraginta & tres denarios Bruxellenſes, & novem fertellas avenæ, cum menſura quæ dicitur *Honteiſter*, nomine cenſûs, ſupra quam terram contingebant & adhuc contingunt Prioriſſæ & Conventui de MONTE S. MARIÆ, Ciſtertienſis Ordinis, centum & undecim libræ Bruxellenſes, ratione aſſignamenti & collationis in eleëmoſynam factæ Sorori Machtildi de Zona, Sanctimoniali loci prædicti, à prædicto Joanne Fratre ſuo, & G. Patre, & I. Matre dictæ Machtildis in manibus noſtris, merâ nec non & ſpontaneâ voluntate, ad opus dictæ Prioriſſæ & Conventûs loci memorati, liberè reſignavit & abſolutè, omni reclamatione ſeu calangiâ, quæ à dicto Joanne, vel ſuis, ad præſens vel in poſterum fieri poſſet, vel exactione quâlibet omninò remotâ.

Adſtiterunt autem, cùm hæc facta fuerunt, in teſtimonium vocati

Oliverius Miles,
Goſuinus Haac,
Goſuinus de Bruchem,
Petrus de Caſſenberge,

Scabini noſtri de Lewes, ſub quorum ſententia dicta terra ſita eſt, ut ſuperiùs eſt expreſſum,

Et Stephanus de Zirembeke, qui tunc Balivus meus erat, & alii.

Cum igitur hæreditas prædictæ terræ in hunc modum in noſtris manibus ſit reſignata, Nos eamdem hereditatem terræ ſæpe dictæ cum omni commoditate ac appendicio, ſub teſtimonio dictorum Scabinorum de Lewes, Prioriſſæ & Conventui

prædicto loci prædicti contulimus in eleëmosynam, sub testimonio etiam multorum Christi fidelium liberaliter & benignè jurè hereditario & sine difficultate habendam & perpetuò possidendam.

Et ut hoc firmum permaneat & ratum, præsens Scriptum contulimus dictæ Prioriſſæ & Conventui, sigilli nostri munimine roboratum.

1238. Actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo octavo, mense Martio.

Hoc in loco hodièque Sacellum visitur Monasterii veteris signans vestigia. In Diplomate tamen *Henrici II.* Ducis Brabantiæ quod allegavimus in favorem hujus Monasterii dato anno 1234. dicit se *G. de Bellenghem* licentiam concessisse ædificandi domum Monialium. Ut ut sit illud constat, cum in Monte *B. Mariæ* jam dicto Moniales aquæ penuria obsitum loci altiorem laborarent, ad locum qui *Ob-Bigarden* nuncupatur, in quo hodieque residunt, transisse, quem locum cum adjunctis agris & pratis ipsis dederunt *Godefridus a Lovanio* Dominus de Leeuw *Henrici II.* Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis frater & uxor ejus *Maria.* Diploma recitat *A. Miræus* Lib. I. Donat. Belg. Cap. CVIII. novæ edit. ut sequitur.

Quoniam humana memoria labilis est & caduca, ea quæ geruntur in tempore, æternari solent munimine Litterarum.

Notum sit igitur tam præsentibus quàm futuris, quod ego Godefridus de Lovanio, Dominus de Lewe, & Maria uxor mea, pro remedio animarum nostrarum, sex bonaria tam terræ arabilis, quàm prati jacentis in loco qui dicitur *Op-Bigarden*, super Zonam, in Parochia de Lewe, quæ nostri fuerant juris, & in quibus habuimus justitiam majorem & minorem, Abbatissæ & Monialibus de Monte S. Mariæ in puram contulimus eleëmosynam, ad construendum & ædificandum sibi ibidem Monasterium Monialium Ordinis Cistertiensis.

Et volumus quod gaudeant in dicto loco tantâ libertate & æquali, quantâ Monasteria ejusdem Ordinis, ubicumque sita sunt, in Diœcesi Cameracensi, usque in hodiernum diem gaudere consueverunt. Et in hunc modum dictam terram & pratum eis liberè & cum omni jure nostro conferimus, & quantùm in nobis est confirmamus.

Concedimus etiam eisdem potestatem ducendi aquam prædictam, scilicet Zonam, quæ nostræ est jurisdictionis, secundùm quod suæ placuerit voluntati. Nos verò & nostros Successores, tamquam fundatores & constructores dicti Monasterii, ad defensionem ejusdem volumus obligari.

Ut igitur hæc nostra Donatio perpetuæ firmitatis sortiatur vigorem, præsentem Paginam Sigillorum nostrorum appensione fecimus roborari. Actum anno Domini
1251. millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, mense Aprili.

In Supplemento Diplomatum *A. Miræi* Parte II. Cap. C. profertur Diploma quo Præfatus *Godefridus de Lovanio* anno 1251. transfert Cœnobium Monialium Minoris Bigardiæ in Parochiam Leeuwensem. En Diploma.

Ex Chartulario Præpositi de Capella Bruxellis.

Universis præsentes Litteras visuris, Godefridus de Lovanio Miles, Patruus Ducis Brabantiæ, & Maria ejus Uxor salutem in Domino.

Notum facimus universis, quod cum ad preces & petitiones nostras, viri Religiosi Abbas & Conventus S. Sepulchri Cameracensis in hoc consenserint, quod Nos Domum quamdam Religiosarum mulierum, quæ sita erat in loco qui dicitur *Veronberghe* juxta * Linniacum transferremus & fundaremus infrà fines Parochiæ de *Lewes* in qua dicti Abbas & Conventus Jus habent Patronatûs, & Nos eisdem promisimus & adhuc promittimus, quod si ipsi Abbas & Conventus ob hoc dampnum aliquod incurrerint vel incurrant, vel ob hoc eos inposterum incurre contigerit, quod dictæ Religiosæ quæ ibi ad præsens sunt, vel erunt pro tempore, restituent dictis Abbati & Conventui qui nunc sunt in Ecclesia S. Sepulchri vel erunt inposterum, quicquid

* *Lennick.*

or-

ordinatum fuerit per viros providos & honestos, G. Scholasticum Cameracensem; Magistrum Petrum de Belvaco Canonicum Cameracensem, & Dominum Gerardum de Bousies Monachum S. Sepulchri Cameraci, Præpositum de Capella in Bruxella.

Quod si fortè contingeret, quod dictæ Religiosæ Ordinationi à dictis Personis factæ non parêrent, ... Nos promisimus; & adhuc promittimus sub pœna centum Marcarum argenti, quod quicquid ædificatum esset per dictas Religiosas infra dictam Parochiam de *Lewes*, propriis sumptibus nostris faceremus demoliri. Quàm pœnam dictis Abbati & Conventui solvere tenemur; & ad prædicta inposterum observanda Nos & heredes nostros sub prædicta pœna per præsentes Litteras obligamus, quas dictis Abbati & Conventui contulimus nostris Sigillis sigillatas.

Actum & datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo; mense Junio. 1251.

In Choro hujus Cœnobii conditus est marmoreo tumulo tumbâ elevatâ *Joannes de Lovanio*, Teutonica hac inscriptione additâ.

Hier legt Jan van Lovene, **wylen was Heere van Lovene/ van Haerstal ende van Gaesbeke/die sterf den** XXIII. **dach van Oohst/int Jaer** M. CCC. **ende** XXIV.

Quæ Latinè sic sonat.

Hic jacet sepultus *Joannes a Lovanio*, qui olim fuit Dominus Lovanii, Harstalli & Gaesbecæ & obiit XXIII. Augusti anno M. CCC. XXIV.

Hic *Joannes* filius putatur fuisse præfati *Godefridi*.

A prima institutione hæ Moniales Cistercienſe institutum erant amplexæ; sed cum ab Abbate & Præfecto Generali Cisterciensis Ordinis in Societatem & communionem non admitterentur, Benedictinis sese adjuxerunt; *Henrico* Episc. Camerac. auctoritatem faciente anno 1253. Dein Cistercienſe institutum, ac vestem mixti coloris cum Benedictinâ nigrâ commutarunt.

Denique hic non prætereundum, quod Dynasta hujus Municipii tale jus prærogativum in hoc Cœnobio habeat, quod nullas Religiosas admittere valeant sine prævio ejus consensu, & antequam ad habitum admittantur, panem suum ab eo emendicare oporteant. Insuper in eo Monasterio filiam pauperem mittere, quam alere oporteant, usque dum victum suum lucrare valeat, & post eam alteram ejus loco subrogare. Ita legimus in descriptione Dominiorum Præfecturæ Gaesbecanæ separatim in auctione publicâ sub hastâ venditâ in Curiâ Feudali Ducatus Brabantiæ, Bruxellis excuso 1670.

Medio fere milliari a Parochiali est Capella de *Gaspeldoren* prope villam ejusdem nominis, dependens ab Ordine Melitensi, quæ plurimas hic habet agri possessiones.

LIEFRINGE pagus Comitatus Alostani ad limitem Brabantinum contiguus agro Gaesbecano, est exiguæ extensionis, complectitur enim vix centum terræ bonaria. Ejus Dominium hodie spectat ad *Petrum Colins* Dom. de Eetvelde.

Ecclesiæ tutelaris est Virgo Deipara *Maria*. Pastorale munus confertur

per Toparcham hujus loci. Universa pagi Decima spectat ad Parochum. Matricularius in iis habet parvum districtum.

LINCKEBEKE altero lapide a Bruxella ad ingressum Sylvæ-Soniæ, Præfecturæ Rodensis Dominium, illud anno 1646. a Rege jure pignoratitio acquisivit *N. vanden Winckele* Consiliarius Senatus Brabantiæ, & venditione absolutâ acquisivit a *Philippo IV.* Hisp. Rege Anno 1650. die 8. Novembris *N. Gagier.* Hodie illud possidet *N. Naus.*

Ecclesia, quæ olim erat appendix Parochialis de Uckel, dicata est *S. Sebastiano*, Mart. Patronatus ejus spectat ad Abbatissam de Foresto Ord. S. Bened.

Decima spectat ad Parochum, etiam illa quæ fuit præfatæ Abbatiæ de Foresto, quæ nuper cessit suas decimas Parocho, sub recognitione annua. Capellania de Beersele inibi habet parvum districtum Decimarum.

LINNIACUM S. MARTINI, vulgo *S. Mertens Lennick*, ad distinctionem alterius *Linniaci* quæ est *S. Quintini* a quâ hæc Parochia anno 1514. est dismembrata. Ejus Dominium (quod est agri Gaesbecani) nostra ætate devenit viâ emptionis ad Cornelium de Man Consiliarium Senatus Brabantiæ, in qua familia perseverat. Continet sub se Vicos plurimos scilicet *Hondtweerdighem, Schepdael, S. Geertruyde Pede, Bossuyt, Ter Elst, Tombergen, Alsingen &c.* Solemne habet forum annuum postridie festi *S. Martini.*

Ecclesia ut nomen indicat *S. Martino* sacra est. Cura Pastoralis administratur per Canonicos Religiosos Monasterii Montis Frigidi Ord. *S. Augustini* Bruxellis, qui jus Patronatus olim acquisiêre a Capitulo Nivellensi, uti mox dicetur.

Anno 1514. *Leo X.* Pont. Max. univit hunc Pastoratum præfato Monasterio & separavit a Parochia *Linniaci S. Quintini*, reluctante & invito primitus præfato Capitulo Nivellensi, quod dein post longas concertationes sub certis conditionibus & pactis initis cum præfato Monasterio Montis Frigidi consensit.

Decima ferè universa spectat ad Capitulum Nivellense.

Huic Ecclesiæ Parochiali subest Capella *De Schepdael*, & *Capella Pede S. Gertrudis*, in quibus diebus sacris divina celebrantur.

LINNIACUM S. QUINTINI vernacule *St. Quintens Lennick*, Antiquitus *Lennecha.* Matrix plurium Ecclesiarium. Præfecturæ & ditionis Gaesbecanæ Dominium. Illud nuperis annis emptionis tabulis acquisivit *Cornelius de Man* Consiliarius Senatus Brabantiæ, in quâ familiâ perseverat.

Antiquum illud fuisse Patrimonium *S. Gertrudis* non dubito, siquidem in antiquis Imperatorum & Regum Diplomatibus Ecclesiæ Nivellensis passim pluries recitatur *Linniacum.* Crescente in eo incolarum numero, ab eo dismembrata est *Gaesbeca* anno 1382. & anno 1514. *Linniacum S. Martini* uti mox dictum est.

Hic pagus qui multum antiquus & vastæ extensionis est, discriminatur in plurimos Vicos, scilicet *Eyseringe, Ten Hellicken, Tuytenberghe, Beusingen, Ophem, Wolffhagen, Slingen* &c.

Forum solebat habere hebdommadarium, cum solemni stapulâ granorum; sed a non pauco tempore frequentari desiit.

Ec-

Ecclesiæ tutelaris (uti nomen indicat) est *S. Quintinus*. Ejus Patronatum gerit Abbatissa Illustris Capituli Nivellensis, ad quod etiam spectat potior pars decimarum.

Huic Parochiali subest Capella de *Eyseringe*, habens suum Sacellanum, qui in eâ sacris operatur, item Capella in Vico *Ten Hellicken*.

LOMBEKA CASTRI, vernacule *Burgrave Lombeck*, & per Syncopen *s'Graven-Lombeck*. Pagus Comitatus Alostani ad limitem Brabantinum, & teste *l'Espinoy* in suis de nobilitate Flandricâ commentariis Gallicis, *Vice-Comitatus* titulo illustris. Longo temporis tractu possessus fuit per familiam *De Gavere*, & *D. Margareta de Gavere Arnulfi* filia nuptui tradita *Joanni Villani a Gandavo*, ei attulit in dotem cum Dominio de *Liedekercke* & aliis bonis. A quâ Gandavensium familiâ præfatum Dominium per nuptias filiæ hæredis etiam ante recesserat. Ita ferè A. Sanderus tom. II. Flandriæ illustratæ pag. 513. Vide de eo plura in pago de Liedekercke in Decanatu Alostano. Hodie hoc Dominium spectat ad Illustrem familiam *Alsatiam de Boussu*, in quâ Princeps Chimacensis & Comes de Bousslu illud possidet.

Ecclesia tutelarem veneratur *S. Amandum* Tungrensem Episcopum, Abbatia *S. S. Cornelii & Cypriani* Ninhoviensis Ord. Præmonst. constituit in eâ e suis Canonicis Religiosis sacrum Ministrum.

Cum *Iwanus* Comes Alostanus dotat anno 1140. præfatam Abbatiam Ninhovienſem, donat eidem inter cætera. „ Ecclesiam de *Liedekercke* cum „ appenditiis suis *Lombecam & Stritem.*" Verba sunt Diplomatis.

Huic Parochiali unitus est *Strythem* Dominium spectans ad *Henricum Franciscum Huybrechts* ab anno 1710.

Ecclesia dicata est *S. Martino* Turonensi Episc. Res sacra curatur per Pastorem Lombecæ Castri.

Primis fundationis annis Abbatiæ Ninhovienſis Lombeca & Strythem nominantur appendices de Liedekercke, uti mox dictum.

LOMBECA S. CATHARINÆ, vernaculè *Ste. Catharine Lombeke*, Præfecturæ Rodensis, ad fines Sylvæ Liedekercanæ. Dominium Comitis de Cruyckenbourch de gente *Fourneau*, uti alibi dictum.

Vocatur Lombeca *S. Catharinæ* ab ipsamet tutelari, ad distinctionem aliorum pagorum in hoc Districtu.

Ad curam Pastoralem nominat Capitulum Metropolitanum *S. Rumoldi*, propter Personatum de *Wambeke*, cui hoc jus competebat, qui anno 1660. incorporatus est eidem Capitulo pro Canonicis Graduatis.

Appendix olim erat Matricis Ecclesiæ Parochialis de Wambeke, sed ab eâ a non pauco tempore dismembrata est.

Decimarum participes sunt præfatum Capitulum *D. Rumoldi* ratione incorporationis Personatus prædicti, & Capitulum Nivellense, quod nuper suas quas hic possidebat Decimas emptioni exposuit, qua devenerunt in familiam de *Reynighem*. Pastori solvitur annuè competentia a præfato Capitulo *D. Rumoldi*.

LOMBECA B. MARIÆ, vernaculè *Marie Lombeke*, Præfecturæ & Ditionis Gaesbecanæ pagus, cujus Dominium nuperis annis spectavit ad *Jacobum Ignatium Huybrechts*, post cujus mortem anno 1710. devenit ad ejus filium *Henricum Franciscum Huybrechts*.

Ecclesiæ quæ D. Virgini *Mariæ* sacra est, Patronatum gerit Illustre Capitulum Nivellense, ad quod etiam spectat maxima decimarum pars, in his Pastor suam quoque habet portionem.

PAMELE, Latinè *Pamella*, celebris sub Præfecturâ Gaesbecanâ Dynastia ad Teneram fluvium, Arce veteri instructâ. Ampli territorii pagus continens ferè 1600. bonaria terræ.

De antiquis Dynastis hujus Dominii vide *J. B. Gramaye* in Bruxellâ pag. 34. novæ edit.

Hoc Dominium initio seculi XVI. ad *Croyos* devenit, indeque per nuptias *Annæ de Croy* Ducis Havræi Sororis ad *Claudium d'Ognies* Comitem de *Coupigny*, cui inter plures liberos peperit *Carolum Philippum d'Ognies*, Comitem de Swevegem, *Claram Albertam Franciscam de Paula* Canonissam Nivellensem, uxorem *Jacobi Philippi* Comitis de Gomiecourt, *Mariam Theresiam* Canonissam Malbodii, uxorem *Joannis Francisci Coloma* Comitis de Bornhem, & *Balthasarem Guilielmum d'Ognies* Comitem de *Coupigny*, Baronem de Blaesvelt, Dominum de Pamele & Lede-Berge, Equitem Aurei Velleris, qui obiit 1709. a quo ex *N. De Bournonville* moderni Comites de Coupigny & de Mastain. Hujus familiæ stemma in Chronico Belgico *A. Miræi* ad annum 1612. reperies.

Ecclesia tutelarem colit *S. Gaugericum* Episc. Camerac. Ejus Pastoralis cura administratur per Canonicos Religiosos Abbatiæ Ninhovienſis Ord. Præmonst. cui competit pars immo duæ trientes decimarum, reliqua triens competit Xenodochio *S. Joannis* Bruxellis, quod etiam plurimos agros, & opimum prædium hic possidet.

C. Butkens in suis Probationibus de Trophæis Brabanticis refert tabulas anni 1247. pag. 227. quibus G. Dominus de Grimberge & Aleydis ejus uxor ratum habent emptionem, qua præfatum Xenodochium acquisivit XL. bonaria terræ in Ledeberge, & decimam ibidem jacentem Diplomate ut sequitur.

G. *Dominus de Grimberge*, nec non *Aleydis* uxor sua, omnibus paginam præsentem intuentibus, noscere veritatem. Ad universorum notitiam volumus pervenire, quod emptionem, quam domus Hospitalis B. Joannis in Brussella in Dominio nostro de *Ledeberge*, contra illos de *Ledeberge*, circiter quadraginta bonaria terræ, parum plus vel minus, & de quadam decima ibidem jacente fecerunt, consentimus, ratum habemus & laudamus emptionem memoratam super qua nostras patentes literas ipsis in
1247. testimonium duximus conferendum. Actum anno Domini MCCXLVII. mense Junio.

Intra fines hujus pagi in Dominio de Ledeberghe (Latinè *Mons S. Leonardi*) degunt aliquot Fratres Minores Ord. *S. Francisci*; sed ad nutum Abbatis Ninhovienſis & Dynastæ amovibiles.

Antiquus Principatus.

REBECQUE olim *Rosbeca*, vernaculè *Roosbeeck*. Antiquus Principatus, undique Comitatu Hannoniæ cinctus. Dominium ad Anghiæ Dominum spectans, qui modo Dux Arembergiæ, qui solus summa jurisdictione potitur; at Ecclesia Nivellensis in præsentiarum possidet infimam inibi jurisdictionem, vulgo *Seigneurie Fonciere*, præterque majorem decimam duas alias, quarum una spectat ad Capitulum, altera ad Xenodochium aliaque non exigua prædia.

Ecclesia dicata est *S. Gaugerico Camerac.* Episc. Ejus Patronatum gerit Illustre Capitulum Nivellense.

Ibi-

Ibidem loci est Hospitale fundatum initio seculi XIII. à *Maria de Retel Walteri I.* Anghiæ Domini uxore, a Sororibus olim administratum, dein in Monasterium Monialium titulo Prioratus conversus.

RODE Præfecturæ ejusdem nominis caput, ad fauces Sylvæ-Soniæ cis Alsembergam, cum qua constituit unum tribunal. Dives olim & amplius pagus, Municipium & inter Municipia subscribere solitum, & turrim vetustam loco insignium habet.

Seculo præcedenti possessum fuit jure pignoratitio à *Witthemiis*. Anno 1650. *Philippus IV.* Hisp. Rex hoc Dominium emptioni exposuit cum Alsemberga, quâ obvenit *N. vanden Winckele* Consiliario Senatus Brabantiæ, a qua familiâ emptionis tabulis devenit ad gentiles de *Naus*.

Ecclesia tutelarem veneratur *S. Genesium* Mart. Ejus Patronatus spectat ad Abbatissam de Foresto Ord. S. Bened. prope Bruxellam, quæ possidet potiorem partem decimarum, & in eis Pastor suam habet portionem. A paucis annis Abbatia præfata de Foresto cessit Parocho suas inibi decimas pro portione congruâ, sub recognitione annua eidem Abbatiæ præstandâ.

Sub hoc pago ad ingressum Sylvæ Soniæ exstat Capella *S. Annæ*.

Rodæ adjacet Monasterium SEPTEM FONTIUM Canonicorum Regularium *S. Augustini*, Vernaculè SEVEN-BORREN, quod tali propagatum est initio, & successu.

Anno 1380. Venerandus Dei Sacerdos *D. Ægidius Breedyck* Capellanus Ecclesiæ Anderlacensis sese penitus vitiorum subducere volens discrimini cum VII. aliis accitis sodalibus, vitam in communi ducere instituit. Quamobrem Anderlaco Bruxellæ primitus juxta Capellam *S. Laurentii* Mart. unâ cum prædictis sociis communem vivendi modum auspicatus est.

Cum autem hic locus non satis a tumultu seculi semotus videretur, tacitâ secum mente volvere cœpit, qualiter in viâ Domini meliori ac securi tramite posset ambulare. Itaque jam virtutum desideriis incensus animum suum quietis dulcedine captum, nec non vitæ solitariæ, propositum collegis suis aperit; qui mox unanimiter in Domino sentientes, aliquem in secretis Silvæ-Soniæ secessibus locum inquirendum censuerunt. Nec mora, obfirmato pariter proposito in iter sese conjiciunt, & per viarum aufractus, longam nemoris partem, tandem hanc quietis Sedem in convalle delegerunt, loco nomen (SEPTEM FONTES, Vernaculè SEVEN-BORREN) olim indigitarunt. Loci situm celebrem faciunt, non tantum fontes illi septem, sed alii multi magnâ vi aquarum e vicinis collibus eo illabentes: qui fistulis & canalibus ad diversa domiciliorum loca per convallis declivia in communem usum deductus, suo jucundissimo & commodissimo cursu ac murmure jucundum, lætumque incolis jam præbent spectaculum.

Divino itaque afflente spiritu cœpit præfatus *Ægidius* rigidioris vitæ propositum animitus arripere, & assumptis secum propositi commilitonibus *Joannam* Brabantiæ Ducissam adit, cujus ditioni Soniacum suberat nemus, & locum deposcit. Hæc igitur piis eorum desideriis, & postulatis addicta, lubens e vestigio annuit. Quibus insuper fontes, campos, Silvæ partem haud immodicam, aliaque ad inchoationem monasterii media sufficientia cumulatè suppeditavit; itaque locum istum Silvæ-Soniæ sibi suisque a *Joannâ* Ducissa donatum, illico cum illis adit, & ibi casas aliquas, nec non exigua tuguria ad inhabitandum ædificare cœperunt.

Dein Ecclesiam modicam excitarunt, & auctoritate *Thomæ de Bisdomme* Præpositi Sonegiensis, & Vicarii ad hoc Deputati a Capitulo Cameracensi,

Deiparæ Virgini, ac S. Augustino sacram per *Jacobum* Episcopum Neopolitanum, & Suffraganeum Cameracensis Episcopi nuper defuncti *Joannis Serclasii* consecrari curarunt anno 1388. mense Aprili undecimâ, & sequenti die inter missarum solemnia præfatus *Ægidius*, & alii duo Sacerdotes vetere exuti tunicâ, habitu Canonicorum Regulari induti sunt, & solemnem professionem emiserunt, peractâ solemni missâ, Prioris indicta fuit electio, factoque breviter vocum scrutinio primus Prioratus dignitate insignitus est præfatus *Ægidius Breedyck*.

Carmen Chronographicum antiquam illius ævi musam, & si modo inusitatam redolens indicat annum, mensem, & diem, quibus hæc omnia acta fuêre.

M, C ter, L que, ter I, semel Vque, ter X in Aprili,
Luce sub undena, Domini domus ista sacrata
Exstitit: est habitus assumptus, & a tribus: unus
Ex his Ægidius primus Prior est ibi factus.

Hic primus hujus Monasterii Prior, cum sese in officio Prioratus per annos 28. præclarè gessisset: ad Silvam Domini Isaack novam ibidem Christo editurus sobolem Anno 1416. evocatus fuit, in quo Monasterio similiter primus Rector, dein primus Prior electus est, ac ibidem obiit anno 1424. plenus dierum senex, & decrepitus.

Hoc Monasterium Capitulo Viridis Vallis unitum est anno 1401, & anno 1417, Capitulo Windesemensi, sub certis quibusdam restrictionibus, accedente consensu *Joannis Liedekercke* Episcopi Cameracensis. Denique anno 1442. claustri professionem fecerunt, quæ duravit usque ad Annum 1635. quando Capitulum generale hîc & alibi cessavit.

Religiosi Cœnobio per turbas Belgicas vastato, & deformato, in vicinâ arce de Beersel per undeviginti propè annos se continuerunt, unde anno 1604. ad flebiles ruinas sui Monasterii redierunt illudque restaurare cœperunt, & egregiè admodum præstiterunt. Ecclesia hujus Monasterii quæ hodiè exstat, exstructa est sub *Jacobo Voetwaters* Priore XII, cujus consecrationis diem & annum denotant sequentes prisci illius ævi versus.

Hoc Domini templum fuit ad Genitricis honorem
Christi sacratum, Mariæ Virginis almæ.
Anno Milleno centeno bis geminato
Ter numero deno duplicato, adjungito septem,
Tum dena Augusti lux resplenderet & una.

Id est anno Christi 1467. die nimirum mensis Augusti undecimâ.

PRIORES SEPTEM FONTIUM.

I. Ægidius Breedeyck electus anno 1388. inde anno 1416. Rector novelli Monasterii Sylvæ Isacanæ, dein 1418. electus Prior ibidem. Obiit anno 1424.

II. Alardus de Gillier, Hanno. Obiit 1422.

III.

III. Henricus a Pomerio Lovanienſis, profeſſione Viridis Vallis, inde anno 1431. in Monaſterio Viridis Vallis Prior.
IV. Joannes Pistoris; Item ex Viridi Valle. Ceſſit anno 1432.
V. Joannes Pinsalinck, Flander. Ceſſit anno 1435.
VI. Joannes Britonis. ex Viride Valle. Obiit 1436.
VII. Gisbertus Wessel, Hollandus de Schoonhovia 1439.
VIII. Jacobus Voetwaters, Flander. Ceſſit anno 1443.
IX. Bartholomæus Pergans, Trajectinus Canonicus in Rubea Valle. Ceſſit 1448.
X. Joannes Pinsalinck, pro ſecunda Vice electus. Ceſſit 1454.
XI. Henricus a Pomerio, pro ſecunda vice electus Prior. Iterum ceſſit 1455.
XII. Joannes Loocxbergen. Ceſſit 1458.
XIII. Jacobus Voetwaters, reelectus Prior. Iterum ceſſit. 1467.
XIV. Thomas Moninckx, Bruxellenſis Profeſſione Viridis Vallis poſt triduum revocatus a Monaſterio ſuæ profeſſionis.
XV. Wilhelmus a Piro, ex Gallo-Brabantia, profeſſione Viridis Vallis. Obiit 1474.
XVI. Paulus Werele. Obiit eodem anno 1474.
XVII. Balduinus Ploys, Flander. Depoſitus anno 1481.
XVIII. Nicolaus Roberti. Obiit anno 1509.
XIX. Laurentius de Mortere, Vilvordienſis. Ceſſit anno 1513.
XX. Gaspar de Meet, Brugenſis. Obiit 1523.
XXI. Henricus de Cock, Bruxellenſis Confeſſarius Eminentiſſimi *D. Erardi a Marca* & Epiſc. Leod. Ceſſit 1525.
XXII. Joannes Freniers. Obiit 1555.
XXIII. Joannes Huartus, Hanno. 1557.
XXIV. Joannes Roelants, Leodius; ſimul Rector Viridis Vallis 1596.
XXV. Judocus Borchgrave, Bruxellenſis 1619.
XXVI. Joannes Vermeulen, Mechlinienſis 1636.
XXVII. Marcus Mastelinus, S. T. L. & Profeſſor, ex Viridi Valle, Præſes Collegii Can. Reg. S. Auguſtini Lovanii 1651.
XXVIII. Henricus de Bruyne, Bruxellenſis 1662.
XXIX. Philippus vande Wauwere, Bruxellenſis, ortus familiâ nobili 1666.
XXX. Antonius Cuyermans Bruxellenſis 1686.
XXXI. Thomas Franciscus de Bruyne, Bruxellenſis, antea Inſtructor Novitiorum & Supprior. Devixit anno 1691. die 27. Martii.
XXXII. Ægidius Rentiers, antea juvenum Inſtructor & Supprior: at vix ſex menſibus in iſta dignitate ſupervixit. Mortuus 29. Octobris ætatis 49.
XXXIII. Petrus Adam, Hanno-montenſis, Canonicus Regularis Sylvæ-Iſaacanæ; poſt ſeptennium oneri pariter ac dignitati ceſſit; ſed paucos poſt menſes vitâ exceſſit anno 1698. die 16. Novembris.
XXXIV. Joannes Franciscus Usselinx, Bruxellenſis anno 1698. die 25. Julii omnium voce Prior denuntiatus; dein electus Commiſſarius Generalis Capituli Windeſemenſis anno 1721. hodie præeſt.

Porro Hiſtoriam Septifontanam ſtylo eleganti deſcripſit *J. B. Wiaert*

Canonicus Regularis Septifontanus, & publici juris fecit typis *Eugenii Henrici Fricx* anno 1688. ex quâ plura hæc noſtra hauſimus, & ulterius lectorem plura deſiderantem ad eandem remittimus: Hujus vero Hiſtoriæ continuationem, ſcriptam ad hæc uſque tempora ad nos nuper miſit *C. de Culembourg* Canonicus ſimiliter Septifontanus ac S. T. ibidem Profeſſor uti & litteras donationis *Joannæ Brab.* Duciſſæ &c. expeditas 4. Novembris Anno 1388. quarum hic eſt tenor.

Ex Archivis Monaſterii.

Jehanne bp der gratien Gods Hertoghinne van Lucembourg / van Lothrycke / van Brabant / ende van Limbourg / Maregrabinne des Heylichs Rycs. Doen cont in eeweger gedincheniſſe allen lieden / dat wp in puerre aelmoeſſen / om die minne van Gode / en in verlichteniſſen der Zielen alle onſe voorvaren Zeliger gedincheneſſen op dat ſy / wp zelve / en alle onſe naecomelingen Hertogen in Brabant deplechtich werdden mogen des dienſts ons / diemen in tiden toecomende bp den wille ons Heeren daer in begaen ſal / gegeven hebben / en geven onſen geminden in Gode Heer Gielis van Bredepcke met zine gezellen / die bp daer nu heeft / of die daer in namaels comen zelen mogen erffelpcke en eenemeer die Cluze banden Zevenbornen mette ſtadt en plaetſen.

RUYSBROECK antiquitus *Ruſchebroeck & Ruſelbroeck.* Pagus ad Sennam fluvium inter Hallas & Bruxellam, Præfecturæ Rodenſis. Dominium olim longo temporis tractu gentilium de *Taye*, dein etiam gentis de *Witthem*, hodie ſpectans ad *Annam Vecquemans* viduam *N. d'Ive* Baronis d'Oſtichem de Warelle.

Eccleſia Virgini Deiparæ *Mariæ* ſacra eſt. Ejus Patronatus ſpectat ad Abbatem S. Sepulchri Ord. S. Bened. Cameraci. Olim fuit appendix Parochialis de Dorpe, uti ſupra dictum cum de eo pago egimus.

Decima partim ſpectat ad Abbatiam de Camera Monalium Ord. Ciſterc. partim ad Parochum.

Huic loco natales ſuas debet *Joannes Ruysbrochius* Canon. Reg. Ord. S. *Auguſtini* in Viridi Valle, Sanctitate conſpicuus, qui ibidem piè obiit anno 1381. de quo egimus, cum Viridem Vallem in pago Hoolaer in Decanatu Bruxellenſi deſcripſimus.

TER NATH, Latinè *Nathum* Præfecturæ Rodenſis. Populoſus & magnæ extenſionis pagus, continens ſub ſe 800. ferè terræ bonaria, variis Prætoriis cum Dominiis annexis ornatus, quibus omnibus prælucet *Cruyckenbourch* cum hujus loci Dominio. Illud primitus poſſeſſum fuit a Bygardienſium inclyta ſtirpe; inde per unicæ hæredis nuptias tranſiit ad *Tſerclaſios*, quorum ſucceſſio cum in *Mariam* ſolam ex magno liberorum numero ſuperſtitem deveniſſet, marito *Joanni de Ghyn*, *Mariæ Hungaricæ* Gubernatricis Theſaurario, tradita, traditum unâ Dominium; ſed brevi per filiæ horum *Mariæ* matrimonium cum *Carolo de Fourneau*, ab eâ cœptum poſſideri familiâ, in quâ hactenus permanſit. Ita ferè *J. B. Gramaye* in Bruxellâ.

Superioribus temporibus Dominium Ter Nath variis oppignoratum fuit a Rege Anno 1557. & reoppignoratum anno 1616. 1630. & 1638. Donec in auctione publicâ cum Dominiis de Wambeke & Lombeke acquiſivit hæreditariè poſſidendum anno 1643. a *Philippo IV.* Hiſp. Rege *Philippus Franciſcus de Fourneau*, Dominus Capellæ *S. Udalrici*, de Cruyckenbourgh &c. in cujus gratiam anno 1662. ab eodem Rege erectum eſt in Comi-

Erectum in Comitatum.

mitatum sub nomine de *Cruyckenbourgh* in qua stirpe hactenus perseverat, qui modo *Franciscus Philippus de Fourneau, Comes de Cruyckenbourgh* &c. Vita excessit anno 1724. mense Majo.

Ecclesia Patronam veneratur *S. Gertrudem* Virg. Ejus Patronatum gerit Capitulum Metropolitanum *D. Rumoldi*, jure incorporationis Personatus de Wambeke pro Canonicis Graduatis anno 1660. uti in pago de Wambeke infra dicemus.

Decimarum participes sunt Capitulum Nivellense, præfatum Capitulum *D. Rumoldi* & Parochus, quisque habens suum Decimarum districtum. Parocho insuper dantur in Supplementum portionis congruæ 150. floreni annuè, partim a Præfato Capitulo *D. Rumoldi*, partim a Nivellensi.

Hæc Ecclesia Parochialis, quæ multum insignis est, fulgure de cælo tacta, ambusta est pridiè *S. Bartholomæi* anno 1692. sed dein sensim restaurata.

TUBISE vernacule *Tubeke*, olim *Tobacio & Tubeca* in Diplomatibus nominatur. Celeber admodum pagus est, uno milliari Hallis, tribus Nivella distans, partim in acclivi, partim in declivi loco situs, inferius quâ Sennam, Oistkerka illuc fluentem bibit. Pascuis abundat uberrimis, notabilibusque aliquot domibus, ac plateis silice stratis eminet, certatque fertile solum cum omnibus vicinis, gaudet jure terræ *Francæ* &c. Summum Dominium spectat ad Anghiæ Dominum, qui hodiè Dux Arembergiæ.

Ecclesia primaria ad pedem collis sita, miræ est antiquitatis. *S. Gertrudem* agnoscit tutelarem, sub Patronatu Illustris Capituli Nivellensis.

Non dubito quin olim hic pagus spectarit ad Patrimonium *S. Gertrudis*, siquidem in antiquissimis Imperatorum Regumque Diplomatibus ad Ecclesiam Nivellensem attinentibus, continuo *Tubeca* occurrit; in Diplomate *Caroli Calvi* anno 877. conscripto editoque ab *A. Miræo* in Donat. Belg. Lib. II. Cap. XIV. novæ edit. *Tobacem* reperimus; in Diplomate *Zuentboldi* in ipso Nivellensi Monasterio conscripto anno 897. habetur *Tobacio*. Ibidem apud *Miræum* Cap. XV.

In Diplomate *Henrici Imp.* quo prædia Nivellensis Ecclesiæ dividuntur anno 1095. editoque a prædicto auctore libro citato cap. XXIV. legitur *Tubeca* cum Ecclesia, & attribuitur Capitulo, quod hodieque inibi habet mediam & infimam jurisdictionem, Prætorem, Scabinos, Grafiarium, alioque justitiæ Ministros, & minorem decimam antiquitus, nec non etiam appendicis de *Hobruge*, acquisitum anno 1064.

Subest in sacris Ecclesiæ Tubecanæ *Clabbeck*, cujus jam olim erat appendix. Dominium quondam gentilium de *Coutereau*.

VLESENBEECK primo lapide cum dimidio a Bruxellâ, Præfecturæ & Ditionis Gaesbecanæ. Dominium ejus nostrâ ætate tabulis emptionis acquisivit *Ludovicus Alexander Schockaert* Eques, Comes de *Tirimont* &c. in quâ familiâ perseverat.

Anno 1350. dismembratus est hic pagus in Spiritualibus & temporalibus a Dominio Leeuwæ *S. Petri*, cum quo ante ea tempora unitus erat.

Ecclesia Virgini *Mariæ* sacra est. Ejus Patronatum gerit Abbas S. Sepulchri Ord. S. Bened. Cameraci, cum potiori parte decimarum. In iis certam portionem habet Parochus, certum districtum decimarum habet Pastor Leeuwæ S. Petri, dictam *De Zyp Thiendè*, item ibidem est decima, dicta *De Bosch Thiende*, quæ competit pro medietate præfato Pastori Leeuwæ *S. Petri*, & pro altera medietate præfato Abbati S. Sepulchri.

WAMBEKE veteri ævo *Wambacio. Wambace* & *Wambeca* in Diplomatibus legitur. Olim Dynastas habuit *Tserclasios*. Hodie Dominium Comitis de *Cruyckenbourgh* è gente de *Fourneau*.

Vetustus est hic locus, & venerandæ antiquitatis, ac verosimile est quod hic pagus olim spectarit ad Patrimonium *S. Gertrudis*, uti similiter diximus in pago de Tubise.

Ecclesia Patronum veneratur *S. Remigium* Episc. Patronatus ejus spectat ad Capitulum Metropolitanum *D. Rumoldi* jure Personatus, qui incorporatus est anno 1660. eidem Capitulo pro Canonicis Graduatis, uti jam sæpius diximus.

Hæc Parochialis olim Matrix fuit Ecclesiarum de Ter Nath, & Lombecæ *S. Catharinæ*, a quâ dein dismembratæ sunt.

Decimarum participes sunt Capitulum Nivellense, Metropolitanum *D. Rumoldi*, & Parochus.

Huic loco natales suas debet vir Eminentissimus ac celeberrimus *Franciscus Joannes Baro de Goes*, quem *Leopoldus I.* Imp. Consiliarium suum intimum creavit, & ad summi momenti negotia adhibuit. Anno 1675. designatus fuit Episcopus Gurcensis in Carinthiâ, & sequenti anno ad congressum Neomagensem in Geldriâ pro pace inter Hispanos & Gallos restituendâ Delegatus Cæsareus destinatus fuit. Anno 1686. ab *Innocentio XI.* Pont. Max. inter S.R.E. Cardinales adlectus fuit, ac tandem obiit Romæ negotiorum Imperii Protector die 19, Octobris Anno 1696. Benefecit moriens huic Ecclesiæ Parochiali, in quâ spiritum vitæ hauserat.

FINIS DECANATUS LEEUWENSIS S. PETRI.

HISTORIA
SACRA ET PROFANA
ARCHIEPISCOPATUS
MECHLINIENSIS.

DECANATUS ALOSTANUS.

ALOSTUM Caput hujus Decanatus. Vernaculè *Aelſt*, Gallis *Aloſt*, ſitum ad Teneram fluvium. Primarium Flandriæ Imperialis, quâ orientem ſpectat oppidum, (unde fortè nomen habet) quaſi *Al-Ooſt*, id eſt omnino orientale. Primum Burgus, exinde Caſtellum, ſeu vicus aliquis fuit, vel domorum congeries vallo foſſâque munitâ caſtrorum inſtar, ut aliæ pleræque olim in Flandriâ, imo ferè omnes Teutonum ac Germaniæ urbes. A Gothis conditum creditur circa annum 489. Civitas eſt perexigua, & pridem adhuc munita, muro lateritio, turribus undique interpolato cincta, portiſque quinque patens; at anno 1667. a Gallis intercepta pro parte; deinde ab Hiſpanis, ne Gallis receptaculum & munimentum unquam foret, portis & muris totaliter nudata eſt.

Comitatus titulum ab antiquo habuit; Imperatoribus fidei Sacramento obligatum, atque hinc Flandriæ Comites ſe *Sacri Imperii Principes* ſcribere ſolent, ad quos anno 1174. Comitatus hic, mortuo *Theodorico*, *Iwani* filio devenit; quippe qui abſque liberis diſcedens viam ad eundem Comitatum aperuit *Theodorico Alſatio* Flandriæ Comiti, & ſic Comitatus Aloſtanus, qui antè proprios Comites habere ſolebat, tandem penes Flandriæ manſit Comites. Priſcos Aloſtanos Comites, qui & Domini Waſiæ fuerunt, reperies in Chronico Belgico *A. Miræi* ad Annum 1038.

Ager Aloſtanus ſive juriſdictio hujus Comitatus in CLXXII. pagos ſeſe extendit, item in Gerardimontium oppidum. Complectitur has V. primarias & veteres Baronias, videlicet *Rodam*, quæ anno 1682. erecta eſt in Marchionatum, *Schornacum*, *Boulariam*, *Gavriam* anno 1553. in Principatum erectam, & *Sottegemium*. Præter has continet hodiè Principatum de *Steenhuyſe*, *Maſminienſem*, *Comitatum de Op-Haſſelt*, Marchionatum de *Lede*, Vice Comitatum de *Oomberghe*, *Baronatum Liedekercke*, *Raiſſegem*, *Harderſem*, *Meere*, *Berlegem* & *Moorſele*, de quibus ſuo loco agemus.

Ad Aloſtum quod attinet (inquit *J. B. Gramaye*) omnis ejus antiquitas a re ſacrâ merito petatur, eo quod *Rodulphus* Comes *Baldnini Ferrei* filius &

Advocatus Cameracensis anno 870. tradatur Ecclesiam in honorem D. Virginis juxta Castrum *Alost*, ejusdem tituli apud Cameracenses Capitulo, donasse, cujus ipse ejusque hæredes permansêre soli & legitimi Advocati, & hoc titulo Rex Catholicus tamquam Comes Alostanus, est Advocatus, seu Protector Ecclesiæ Cameracensis, quo titulo *Carolus V.* Imperator arcem ad muros Urbis Cameracensis, in monte ædificandam curavit adversus Gallos anno 1545.

Paulo ante tempora *Balduini Ferrei* tradunt *S. Vrsmarum* Episcopum & Abbatem Lobiensem Aldenburgi & alibi in Flandriâ Euangelii prædicandi causa, etiam huc delatum, & haud procul Alosto tugurium habuisse. Indeque postea surrexit in loco ponè oppidi muros Prioratus Lobiensis titulo Cellæ *S. Vrsmari* (ut veteri verbo utar); bellis porro frequentibus in hoc limite dejectum est, & prædia (teste Chronico Lobiensi) *Iwano* Comiti Alostensi vili pretio venierunt. Is ædiculam seu Sacellum opere modico, ut peregrinorum accurrentium subveniretur pietati, restituit. *Margareta* porro Flandriæ Comitissa circa annum 1258. mansionem, ut vocant, *S. Vrsmari* Fratribus Guilielmitis ad opus Cœnobii, assignavit.

Sacellum hoc anno 1380. cum peregrinorum pietate dissipatum in oppido resurrexit, & ab eo tempore usque ad adventum *P. P. Soc. Jesu Guilielmitæ* juventutem litteris imbuerunt, nisi quod durante tumultu Belgico ad quinquaginta circiter annos functionem hanc intermiserant. Guilielmitis anno demum 1428. ex Suburbano translatis, assignatum eis fuit Xenodochium *D. Virginis ad Stellam*, pridem a *Theodorico* Comite structum, & Fratribus in communè viventibus commissum, qui tertiam Regulam *D. Francisci* amplexi, postmodum, ob nescio quid laxioris disciplinæ, loco moti sunt. Ex hoc Guilielmitarum Cœnobio eductis quibusdam Monachis prodiit Monasterium ejusdem instituti in *Bevere* in Wasiâ anno 1459. fundante illud Toparchâ quodam Arscotano.

Quoad rem sacram, unica est in *Alosto* Collegiata & Curialis Ecclesia, *Deiparæ* Virgini & *D. Martino* Turonensi Episc. sacra, cujus titulum communiter gerit; opere structurâque insigni, & amplitudine ante incendium anni 1360. & vastationem Belgicam. Hujus Ecclesiæ Patronatus olim spectavit ad Thesaurarium Capituli Metropolitani Cameracensis, quæ dignitas cum anno 1603. extincta est, & bona applicata fabricæ præfatæ Metropolitanæ. Jus Patronatus devolutum est ad Archiepiscopum hujus Diœcesis, & præfatum Capitulum Cameracense alternis vicibus.

Abbatia Affligemiensis & Forestensis non immodicas sub Prætoriatibus Suburbanis percipit decimas, quæ extendunt se ad mille circiter bonaria. Porro Ecclesia Alostensis habet decimas harum decimarum.

Hoc Canonicorum Collegium primitus fundatum est in Ecclesiâ Parochiali *S. Gaugerici*, in pago vicino de *Haeltert*, primo lapide ab Alosto, anno 1046. ab *Ingelberto d'Oisy*, uti patet ex subjecto Diplomate.

Ex Archivis Capituli Alostensis.

Quicumque res suas in locis Deo dicatis conferunt ad usus Deo famulantium, ad capescendam supernæ hæreditatis possessionem, hoc sibi non dubitent profuturum.

Quapropter notum sit omnibus hominibus tam futuris quàm præsentibus, quod Ego INGELBERTUS, ingenuis ortus Progenitoribus, cogitans de salute animæ meæ, Ecclesiam, *Haletrut* nuncupatam, in qua quidem Monachorum Ordo ab Antecessoribus meis fuerat constitutus, sed subripiente malorum infestatione propter loci penuriam est dispersus; ipsam inquam Ecclesiam cum terris ab Antecessoribus meis & à me inibi collatis, pro salute animæ meæ, & pro animabus Patris & Matris atque Uxoris meæ, nec non pro animabus Antecessorum meorum, & pro omnibus fidelibus Chri-

Christianis tam vivis quàm defunctis, tradidi ad Ecclesiam Cameracensem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ.

Hoc videlicet Pacto inter me & Dominum Gerardum Episcopum constituto, ut ipse de prædictis rebus duodecim Canonicos ibi stabiliat, ex quibus unum constituat Præpositum. Dominus verò Episcopus de dono Præbendarum quando contigerit tertiam semper habeat, reliquas verò duas Canonicis dare permittat:

Ipse quoque Dominus Episcopus Altare ipsius loci quod sui juris est, ibi contulit, ab omni debito faciens illud immune, sub indicto anathematis, nisi quod duodecim denarios solvet pro respectu singulis annis.

Ego etiam Ingelbertus Advocationem ipsius loci in vita mea mihi retinui; ceterum nulli Successorum meorum eam habendam reliqui.

Ut autem hoc meæ parvitatis donum firmum permaneat & inconvulsum, à Domino Gerardo Episcopo & à cuncta Synodo quam Cameraci congregaverat, sub interdicto anathematis est roboratum; præsentibus in ipsa Synodo Archidiaconis & Abbatibus, multisque ingenuis hominibus, quorum nomina subter signata notavimus:

S. Domini Gerardi Episcopi.
S. Mei ipsius Ingelberti, qui hoc Scriptum fieri jussi.
S. Johannis Abbatis Attrebatensis.
S. Hugonis Laubiensis.
S. Currelli Altimontensis.
S. Heribrandi de Cella Sancti Gisleni.
S. Liberti Archidiaconi.
S. Adecelemi Archidiaconi.
S. Gerardi Archidiaconi.
S. Ivonis Archidiaconi.
S. Ingelberti Archidiaconi.
S. Robaldi Archidiaconi.
S. Aldonis Laïci.
S. Walteri.
S. Johannis.
S. Oiwaldi.
S. Gilberti.
S. Renulfi.
S. Hostonis.
S. Inghelrami.
S. Stephani.
S. Onulphi.

Actum Cameraci anno Incarnationis millesimo quadragesimo sexto, Indictione decimâ quartâ, Regni Henrici Regis anno nono, Episcopatûs Domini Gerardi trigesimo sexto. 1046.

Anno 1495. in Vigilia *S. Thomæ* Apost. hoc Capitulum propter bellorum injurias, translatum fuit cum suis insigniis (quæ exhibent Pellicanum aureum in scuto nigro) in oppidum Alostense per *Henricum de Berghes* Cameracensem Episcopum & *Philippum Austrium* Brabantiæ Ducem, Comitem Flandriæ &c. sequitur Diploma *Henrici* Episc. præfati.

In nomine Domini amen. Per hoc præsens publicum Instrumentum cunctis pateat evidenter & sit notum, quod anno à Nativitate Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto, indictione XIII, die verò Dominicà vigesimâ mensis Decembris, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Alexandri Divinâ providentiâ Papæ Sexti, anno tertio, in mei Notarii publici & Testium infrascriptorum præsentia constitutus Reverendus in Christo Pater Dominus D. Henricus Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Cameracensis, adstantibus sibi nobilibus & generosis Viris Dominis Petro de Lannoy Domino temporali de Tresnoy Ballivo Oppidi & Territorii Alostensis, Cameracensis Diœcesis, & Christophoro de Baronne Magistro Hospitii Illustrissimi Domini nostri Philippi Archiducis Austriæ, Burgundiæ & Brabantiæ Ducis Comitis Flandriæ &c. ejusdem Domini Archiducis Consiliariis Camerariis seu Chambellanis, vocatisque ad se propter infrascripta Legislatoribus & Consuli- *Ex Archivis MS. Capituli Alosti.* 1495.

libus dicti Oppidi Aloſtenſis, idem Reverendiſſimus ibidem publicè dixit, expoſuit, &c.....

Conſiderans Capitulum ſeu Collegium Eccleſiæ Collegiatæ & Parochialis S. Gaugerici Haeltherenſis Diœceſis, quod per ſuos Progenitores * ibidem erectum, fundatum & dotatum exiſtit, in rure & loco minus tuto ſituari; adeo quod Canonici ejuſdem Eccleſiæ ibidem reſidentiam facientes, tempore guerrarum, quæ ſuperioribus etiam proximis annis in patriis iſtis (proh dolor) vigerunt, tam pro ſuorum corporum quam bonorum ſuorum tuitione protectione ac cuſtodia, ad Oppidum Aloſtenſe prædictum, locum quidem firmum, tutum ac munitum, fugam capere, & ſe transferre coacti fuêre, prout veriſimiliter cogentur, ſi ſimiles guerras in eiſdem partibus in poſterum inſurgere contigerit; cupienſque propterea ac etiam certis aliis ex cauſis ipſum ad hoc juſte & pie moventibus, ſecuritati & commoditati Canonicorum & aliorum ſuppoſitorum dictæ Eccleſiæ providere & conſulere, ut hic ipſi deinceps convenientiùs & quietiùs Altiſſimo famulari & Divina Officia, ad quæ obligantur, perſolvere, abſentes quoque Canonici ad perſonalem reſidentiam allici poſſent & valerent ipſum Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum Epiſcopum Cameracenſum pluries rogari ſcivit & admonitum fecit, ut jam dictum Collegium Haltro cum ſuis inſigniis, ex cauſis prætactis, ac ut per illos dictum Oppidum Aloſtenſe etiam aliquantulum decoraretur, ad Eccleſiam Sancti Martini Parochialem dicti Oppidi Aloſtenſis ſuâ Ordinariâ & Pontificali Autoritate transferret.

* *Hæc ſunt intelligenda de Philippo Archiduce.*

Cujus ſiquidem Domini Archiducis requiſitioni & deſiderio ipſe Dominus Epiſcopus Cameracenſis, ut aſſeruit, ſatis facere volens, ad prætactam tranſlationem ritè & debitè faciendam, jure tamen cujuſlibet in eadem tranſlatione quodlibet intereſſe habentis, ac ſuo proprio in omnibus ſemper ſalvo, ad prætactum Oppidum (ut ſubjunxit) declinaverit; Legiſlatores verò præfati ibidem præſentes, præmiſſis auditis præfato Domino Cameracenſi cum debita reverentia gratias habentes, ſe ad ſingula concorditer agenda & tractanda quantum in eis eſſet & ad eos etiam ſpectaret, paratos obtulerent.

Acta fuerunt hæc in Domo ſeu Hoſpitio Reverendiſſimi Domini Cameracenſis, tunc ſito juxta Cœmeterium dictæ Eccleſiæ Parochialis Aloſtenſis, horâ quaſi octavâ antè meridiem anni & diei præſcripti.

Capitulum conſtat XII. Canonicorum præbendis. Dignitates ſunt Præpoſitus & Decanus.

Præbendas confert Pontifex per menſes VIII., Capitulum vero per quadrimeſtre, excepto quod tertia juxta ipſam fundationem ſpectet ad collationem Epiſcopi quondam Cameracenſis, nunc vero Archiepiſcopi Mechlinienſis, excepto quoque jure nominationum Univerſitatis, & Facultatis Artium Lovanienſis, item exceptâ collatione unius præbendæ laicalis, fundatæ 19. Junii 1498. a *Zegero de Hingene* Paſtore Aloſtenſi & Theſaurario Antonienſi, qui fuit Paſtor ab anno 1490. & obiit circa annum 1504. Bona dictæ præbendæ amortiſata fuêre 14. Aprilis 1516.

In hoc Capitulo in vim fundationis fuit dignitas Præpoſiti, de quo in actis Capituli habetur, quod ob exiguum proventum olim nullus voluerit reſidere, quodque eapropter conſtitutus fuerit Decanus cum duplici præbendâ Decanatui annexa.

Paſtor Haelterenſis ſubinde fuit Canonicus hujus Capituli; ſed ab anno 1610. Curæ de Haeltert unita & incorporata ſunt bona unius præbendæ pro ſua portione congruâ.

Decanatus ſive Vice-Decanatus perſeveravit uſque ad annum 1673. quo iterum reſuſcitata fuit Præpoſitura, eique incorporati fuêre omnes proventus Decanatus, tumque Paſtoratus Eccleſiæ *S. Martini* Aloſtenſis unitus & incorporatus fuit Decanatui hujus Capituli, cum unione unius Præbendæ Canonicalis. Præpoſitura confertur a Comite Flandriæ.

Anno 1674. omnes Præbendæ primitivæ fundationis hujus Capituli, auc-

to-

toritate & decreto *Alphonsi de Berghes* Archiep. Mechl. Quoad proventus redacti fuêre ad æqualitatem, quod & confirmatum tandem fuit anno 1714. decreto Regio, & plenum effectum sortitum sub *Thoma Philippo de Alsatia de Boussu* Archiep. Mechl. circa annum 1718.

Damus hic Seriem Præpositorum & Decanorum, prout ex Archivis Capituli ad nos transmissum est.

PRÆPOSITI ET DECANI S. MARTINI ALOSTENSIS.

I. ÆGIDIUS Præpositus anno 1185. citatur in vetusto instrumento Capituli Haelterensis, in quo *Rogerius* Episc. Camerac. Collationem unius Præbendæ, vulgo hebdommadariæ Capitulo in perpetuum concessit.

II. JOANNES Decanus anno 1243. de quo sic legitur in Actis. *Joannes* totumque Capitulum *S. Gaugerici* quod cum eo est, secundum Ecclesiæ nostræ consuetudines observatas a tempore pro nulla exstat memoria hominum, antequam in dictâ Ecclesia Decanus institueretur &c.

III. NICOLAUS Decanus anno 1258.

IV. DANIEL PYNBROECK Decanus. } Annis incertis.
V. JACOBUS RIBECKIUS. }
VI. JUDOCUS LIEVENS. Vicedecanus. }

VII. LAURENTIUS MUSCHESELIUS Alostanus, relicto Decanatu Haelterensi Cartusianam domum Capellæ *B. Mariæ* propè Angianum oppidum ingressus est, cui dein Prior Sanctissimè præfuit; fuit etiam spiritualis director *Margaretæ* Eboracensis, uxoris *Caroli* Ducis Burgundiæ &c. Obiit in odore Sanctitatis anno 1477. habetur ejus memoria inter Beatos Ordinis ad diem 3. Decembris. Vixit in Ordine annos plus minus XL. quem tantâ devotione ac vitæ Sanctimonia præditum fuisse referunt, ut divinis fuerit revelationibus dotatus.

VIII. STEPHANUS BRAUWER. J. U. D. ac Professor in Academiâ Lovanienſi fuit Decanus circa annum 1490.

IX. JOANNES WITTEVELDE, alias *Cleerbaut*, Vicedecanus anno 1498.

X. JOANNES VANDER SMESSEN Vicedecanus anno 1566.

XI. PETRUS VANDEN REGERE Vicedecanus anno 1570. Obiit 1574.

XII. PETRUS VAN DAELE, Antverpiensis, J. U. D. Toparcha de Ballaer, Gheſtele, Putte, Beersele, Cathedralis Ecclesiæ Antverpiensis Canonicus, & Alostanæ *S. Martini* Decanus. Obiit Anno 1582. ætatis 78. fundato prius Lovanii Collegio magnifico, ab ejus nomine vocato *Dalense*, inter cujus Bursarios locum quoque habere voluit Choraulos Alostanos.

XIII. PETRUS WALTERUS Decanus ab anno 1574. vi permutationis cum *Petro van Daele* Decano. Obiit 5. Julii 1604.

XIV. THEODORUS SAMMELIUS, Archiepresbyter Alostensis, & Decanus Capituli ab anno 1604. Obiit 1608.

XV. JACOBUS BEECKMAN, Alostensis, S. T. L. & Decanus Capituli ab anno 1608. Obiit 30. Novembris anno 1630.

XVI. JOANNES FRANCISCUS VANDEN DRIESCHE, J. U. L. Decanus

nus usque ad Annum 1658. quo electus Canonicus Graduatus Metropolitanæ Mechlinienſis, ibique etiam dein Archipresbyter & Archidiaconus. Obiit ibidem anno 1684.

Die 23. Junii 1658. ob diſceſſum R. D. Decani vanden Drieſche electus eſt a Capitulo in Vicedecanum *Ægidius Schoonenbergh.*

XVII. JOANNES FERNANDES GARRIDO, poſſeſſionem Decanatus adiit die 26. Martii 1659. qui ex Decano primus fuit inſtitutus Præpoſitus anno 1673. Vivere deſiit. Anno 1687.

XVIII. ANTONIUS PAPENBROECK, Bruxellenſis ex Decano & Paſtore Aloſtenſi ſecundus Præpoſitus eſt a Rege nominatus anno 1687. Obiit die 6. Junii 1694.

XIX. IGNATIUS SOPHIE, Bruxellenſis, S.T. & J. U. L. ex Canonico Anderlechtenſi, & Præpoſito Caſletenſi nominatus Præpoſitus anno 1694. Obiit 1696.

XX. LUDOVICUS OOST, Anghienſis, antea Pres^ter. Congreg. Oratorii Jeſu, poſſeſſionem accepit Ao. 1697. quartus Præpoſitus. Vitâ functus menſe Decembri Anno 1724.

XXI. CORNELIUS NUYTS, Hoogſtratanus, ex Paſtore ejuſdem loci, Paſtor & II. Decanus a reſuſcitatâ Præpoſiturâ poſſeſſionem adiit die 22. Decembris 1687. Obiit plenus dierum ſenex die 14. Julii anno 1723. in cujus locum & dignitatem ſucceſſit menſe Novembri ejuſdem anni,

XXII. MATHÆUS BERTOMVILLE.

Hujus Collegiatæ ſingularis benefactor fuit *Cornelius Cabeliau*, *Judoci* ſub Haelteræ pago infra memorandi filius, de qua *Gramaye* in ſuo Aloſto teſtatur, & de verbo ad verbum a *Sandero* repetitur in ſuâ Flandriâ Illuſtratâ tom. II. pag. 501. „ Quod Nobilis ille vir quindecies Conſul hujus Reip. „ prolapſam ſuperiorum temporum injuriâ, longo rerum uſu, & ſcientiâ in„ ſtructus magnâ ex parte reſtituerit, ſuoque conſilio & prudentiâ rexerit, „ & adminiſtraverit, cujus memoriæ non parum Reſpublica debeat. " Sepultus eſt in Choro ad gradus Summi Altaris, ubi legitur hoc Epitaphium.

D. O. M.

Sepulchrum Nobilis ac generoſi Domini *D. Cornelii Cabeliau*, Hammæ, Toparchæ &c. qui Conſulatus Aloſtenſis munere longâ annorum ſeriè digniſſimè functus, tandem & ipſe Conſul ſeptuagenarius obiit 30. Auguſti Ao. 1606. Tu ei Viator bene adprecare.

A latere ejuſdem Sepulchri juxta tabernaculum cernitur figura ovata cum hac inſcriptione.

Ecce hic in pulvere dormit Generoſus Dominus *Cornelius Cabeliau*, Hammæ Dominus, qui legavit ter mille ducentos florenos in miſſas, eleemoſynas ac alios pios uſus, hebdommadatim æqualiter diſtribuendos. Obiit 30. Auguſti Ao. 1606.

In hac Eccleſiâ Collegiatâ videre eſt duas inſignes depictas tabulas, una Chri-

Christum Crucifixum repræsentat eleganti penicillo *Franciſci Flori*, quæ nuper prô dolor, detruſa in quadam Capellâ anguli Eccleſiæ eſt, altera quæ *S. Rochum* repræsentat a *Philippo Paulo Rubenio* pictorum facile principe, eâ elegantiâ ut vix ſimilem alibi in Belgio videas.

Viget in hac Eccleſiâ cultus ſpecialis Virginis Deiparæ, cujus Roſarium magno concurſu primis Dominicis cujuſque menſis celebratur, & annuè primâ Octobris Dominicâ ſolemnis ejus agitur ſupplicatio.

Sodalitia item ſunt *S. Barbaræ* & *S. Catharinæ* Virg. & Mart. quarum Divarum feſta magnâ celebritate ibidem celebrantur.

Eccleſia hæc Parochialis protendit ſe latè extra hujus civitatis ſepta, in quo ſita Abbatia Virginalis *de Roſeis*, vulgo *Ten Rooſen*, Ord. Ciſterc. fundata anno 1228. de qua nihil ulterius acquirere aut indagare potui. Item *in Schaerebeke*, olim etiam in *Nieukercke*, ſed illic ſuus proprius jam pridem datus eſt Parochus uti ſuo loco dicetur.

In vicô præfato de Meylebeke ad limitem Brabantinum ſecus viam novam lapideam, quæ Aloſto Bruxellas tendit, viſitur inſigne Caſtellum de *Overhamme* cum Dominio; cujus ſchema exhibet *A. Sanderus* in Auctuario Flandriæ Illuſtratæ tom. II. pag. 37. Anno 1658. erectum eſt Dominium de Meere cum Overhamme in Baronatum in gratiam *Jacobi du Boſch*, Dominî horum locorum &c. Porro Dominium de *Overhamme* a tribus ferè ſeculis poſſeſſum fuit a Gentilibus *Du Boſch* e Grondsfeldicis olim citra-Moſanis oriundis. Devenit nuper hic Baronatus cum aliis pagis vicinis in familiam de *Blondel*, per nuptias *Joannis-Baptiſtæ-Bernardi Blondel* cum *Mariâ-Joſephina-Gabriele-Anna du Boſch de Gronsfelt* horum locorum Baroniſſa, hic vitâ exceſſit Anno 1724. unicam relinquens filiam hæredem.

Aloſto item ſubcenſetur Dominium de *Poppenrode*, quod tenetur a Curiâ feudali Aloſtana, cujus Dominii poſſeſſor legitur *Balduinus* Caſtellanus Aloſtenſis ad 1290. Toparchia vero hæc cum Aloſtenſi Caſtellania per nuptias filiæ cujuſdam è ſtirpe Poppenrodia, devenit ad *Joannem Tollin* Equitem, & ad ſucceſſores ejus; dein Dynaſtam de Poppenrode, lego *Ludovicum Cayro* circa medium ſeculi præcedentis. Hodie illud Dominium poſſidet *D. Clara Thereſia Stalins* vidua *Alberti de Coxie* Baronis de Moorſele &c. Sanctioris Senatus Præſidis via Succeſſionis per mortem *Jacobi Stalins* Magni Senatus Mechliniæ Præſidis, ejus fratris ſine liberis defuncti Ao. 1714. Sita eſt hæc Dynaſtia in vicinia oppidi Aloſtani ad Teneram fluvium.

COENOBIA VIRORUM ET VIRGINUM.

Virilis ſexus in hoc oppido Cœnobia ſunt ſequentia.

CARMELITARUM primitus fundatum in *Liedekercke*, in loco qui dicitur *Ter Muylen*, prout infra ſuo loco dicetur, tranſlatum intra ſepta hujus oppidi, probante & conſentiente *Philippo Auſtriæ*, Duce Brabantiæ, Comite Flandriæ &c. & *Henrico de Berghes* Cameracenſi Epiſcopo, quod ſupra limen portæ hujus Cœnobii pridem legi ſolebat (teſte *J. B. Gramayo*) his verbis.

Hic Conventus tranſlatus eſt ex Muylem in Aloſtum auctoritate Philippi Auſtriæ, Ducis Brabantiæ, Comitis Flandriæ Anno 1497. Januarii 23.

Sed novâ deinde exſtructâ portâ anno 1664. hæc verba amota ſunt, eaque non amplius illic leguntur aut videntur.

Litteras *Henrici de Berghes* Epiſc. Camerac. excepimus ex chartulario hujus Cœnobii ut ſequuntur.

HENRICUS DE BERGHES Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Cameracenſis Epiſcopus, Univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis pariter & audituris Salutem in Domino; Quia pium eſt & rationi conſentaneum veritati teſtimonium perhibere, teſtificamur per præſentes, quod nos auctoritate ſummi Pontificis nobis conceſſâ per quamdam Sixtinam, quæ mare magnum Privilegiorum Fratrum Ordinis Carmelitarum dicitur, exhibitam atque productam, tranſtulimus Conventum Mulenſem Fratrum dicti Ordinis ad oppidum Aloſtenſe noſtræ Diœceſis, cum omnibus bonis tam mobilibus quam immobilibus ad Conventum prædictum pertinentibus, ac gratiis & privilegiis & exemptionibus; quibus deinceps uti & gaudere poterunt, ſicuti huc uſque in proximo Conventu ipſorum uſi & gaviſi ſunt: inſuper volumus atque mandamus, ut omnes curati noſtræ Diœceſis, qui ab olim Fratres Mulenſes ſoliti fuerunt admittere, eoſdem Fratres nunc Aloſti reſidentes ad prædicationem verbi Dei, & confeſſiones Chriſti fidelium audiendas, admittant. Præterea ut cuncti ad benefaciendum Fratribus ejuſdem per amplius animentur, omnibus qui pro Eccleſiæ eorum & Conventus complemento manus porrexerunt adjutrices verè contritis & confeſſis quadraginta dies indulgentiarum concedimus: jure cujuslibet in præmiſſis ſemper ſalvo; in cujus rei fidem præſentes litteras fieri, & per Secretarium noſtrum ſubſcribi, Sigillique Cameræ noſtræ juſſimus appenſione communiri. Datum Brugis Tornacenſis Diœceſis die vigeſimâ menſis Martii anno 1497. more Gallicano, & Subſignatum erat per Dominum Epiſcopum Phls. Hanewert.

In ambitu hujus Cœnobii Sepulturam adepti ſunt *P. Livinus Caniſius* & *P. Petrus Waſtelius*, ambo S. T. D. &c. cum hiſce inſcriptionibus Sepulchralibus.

Hac humo & Saxo corporetenus quieſcit AD. R. PR. P. LIVINUS CANISIUS S. T. D. qui in hac vitâ multiphariis functus Ordinis Officiis, Commiſſariatus, Sc. Generalis, Provincialatus, ac diverſis in locis Prioratus, tandem etiam Carmelo huic præfectus; de eo Vir ipſe pius & Strenuus, intuſque foriſque domi & ad Dominam noſtram de Mula magnopere meritus, ab hoc ſeculo migravit tertio ſecundi ſui Prioratus anno menſe Decembri feſto die SS. Innocentium anno Domini M. DC. L. animæ ejus bene præcare lector.

Ad vivos e vivis abiit R. Adm. P: PETRUS WASTELIUS S. T. D. Profeſſionis ſuæ Jubilarius, Aloſti, Gandavi, Antverpiæ bene meritus Prior, Belgii iteratus Definitor, & Provincialis ibidem, & in Hiberniâ Generalis Commiſſarius, Joannis Jeroſolymitani contra Card. Baronium vindex & propugnator irrefragabilis, dum Deo, ejuſque Matri piè Ordini, & proximo juſtè, ſibi caſtè, & temperanter vixiſſet annis LXXV. plus de Religione meritus, quam ipſa exolvendo ſit, lugens interim mærenſque hoc poſito Sarcophago exolvens quod poteſt piis manibus apprecatur tertia Maii anno 1658.

In

In medio templi Choro hujus Cœnobii humi est Monumentum cærulei lapidis *Adriani Du Bosch* defuncti anno 1543. benefactoris hujus Conventus, & in vitriis visuntur ejus quarteria *Lannoy*, *Liekercke*, *Luu* & *Schoutete*; porro ipsum Monumentum ornatum erat laminis æreis, sed in turbis Belgicis ablatæ & destructæ sunt; ita ut nullæ figuræ vel inscriptio in eo supersit.

GUILIELMITARUM COENOBIUM, de quo jam antepridem egimus, anno 1428. ex Suburbio translatum, assignato eis Xenodochio D. Virginis ad stellam.

FRATRES CAPUCINI primo ingressi sunt Alostum anno 1614. die 3. Maii, impetratis litteris commendatitiis a Sereniſſimis Belgarum Principibus *Alberto & Isabellâ*, ad Magistratum Alostensem directis, ab eodem Magistratu, & præcipuis incolis 21. ejusdem mensis Maii recepti & admissi sunt, hanc admissionem suo auxilio & industriâ, superatis omnibus difficultatibus & oppositionibus, maximè procuravit Nobilis *D. Joannes de la Quadra*, Ordini Seraphico Capucinorum summopere addictus, qui primitus propriam suam eis concessit domum, in quam publicè die 12. Junii ejusdem anni Fratres deduxerunt, *D. Jacobus Beeckman* Decanus & Pastor Ecclesiæ *S. Martini & D. Justus van Heurne*. Hanc domum Fratres inhabitarunt pauco tempore & inde migrarunt in domum cujusdam civis *Joannis Coecke*, sitam in loco ubi exstructus est dein Fratrum Conventus, quam domum cum duobus hortis adjacentibus eis pretio comparavit die 25. Martii anno 1616. Magistratus Alostensis, cum consensu totius territorii Alostani moderatorum. Exstruxit dein prædictus Magistratus cum territorii Alostani expensis publicis totum Fratrum Monasterium. Anno 1615. die 3. Maii solemniter more Ordinis in eo loco Crux Christi erecta est, & anno sequenti die 8. Martii peracto solemni officio Clerus populo processionaliter ex Ecclesiâ Collegiatâ *S. Martini* ad locum præparatum pergens, lapidem fundamentalem posuit *Matthias Hovius* Archiep. Mechl. ex parte fundatorum Nob. *D. Philippus du Bosch*, Dominus de Maesdam, Consul Urbis Alostanæ, secundum posuit *Franciscus de Ideghem* Dominus de *Ideghem*, Consul Oppidi Gerardimontensis, dein magni Ballivi territorii Alostani quisque ordine suo tamquam Monasterii fundatores. *Ex Archivis Monasterii.*

Anno 1623. die 3. Maii consecrata fuit Fratrum Ecclesia a *Jacobo Boonen* Archiep. Mechl. unâ cum majori altari in honorem D. O. M. & *B. Mariæ Magdalenæ*.

Supra portam hujus Conventus hæc visitur inscriptio.

D. D. Administratores, Comitatus Alostani monitu Principum R. R. Patribus Capucinis Monasterium hoc exstruxerunt in honorem Dei omnipotentis & S. Francisci, Absolutum Ao. S. 1624.

PATRES SOCIETATIS JESU ad annum Christi 1619. in hoc oppido vocati fuêre, invitante eos Capitulo & Senatu. Hi Patres ibidem litteris humanioribus juventutem informant, ac in Ecclesiâ Collegiatâ & pagis Comitatus Alostani variis functionibus sacris constanter intendunt.

Alterius sexus Cœnobia sunt.

BEGINARUM CURIA circa annum inchoata est, attribuente quodam *Waltero de Ghier* & *Gertrude* conjuge suâ terram *Boudemarshof* appellatam. Ubi ædem sacrari permisit anno 1266. *Margareta* Comes, sive probavit factum biennio ante a Senatu.

ANNUNTIATÆ VIRGINES. pridem fuêre Sorores griseæ & tertiæ Regulæ *S. Francisci*, fundatæ a *Theodorico Theerpenninck.* Anno 1477. Hæ Virgines anno 1641. arctioris vitæ desiderio ductæ, institutum Annuntiatarum suscipiunt, accitis Lovanio dicti Ordinis Monialibus, quæ nascentem Alosti familiam excolerent, quindecim ex iis griseis Sororibus dicti instituti habitum induunt, atque anno probationis exacto professionem faciunt, quo in proposito modo Sanctè persistunt, agente maxime & rem primitus promovente *F. Josepho de Bergaigne* Ord. *S. Francisci*, Episcopo Sylvæducensi. Subsunt hæ Moniales regimini Guardiani Bruxellensis.

THERESIANÆ VIRGINES sub titulo *S. Annæ*, *S. Joseph* & *S. Theresiæ* hûc Sylvæ-ducis profugæ, admissæ sunt anno 1632. subsunt Ordinario. Nostra ætate exstructa nova earum Ecclesia formâ orbiculari; quæ solemniter benedicta est per *R. D. Odonem de Craekere* Præpositum Affligemiensem, ex commissione Illustriss. ac Eminentiss. D. Archiepiscopi Mechl. S. R. E. Card. anno 1722. die 15. Octobris, anno scilicet seculari quo *S. Theresia* inter Sanctos relata est.

Denique est *Nosocemium*, sed quo anno fundatum sit hactenus nemo indagare potuit. Habet privilegium dono civitatis, ut nullum ibidem granum vendi possit ruri advectum, quin inde certam mensuram (quam *Coclear* vocant) acceperint. Virgines hujus Nosocomii ægris ibidem subserviunt, quæ cum solutius viverent, in ordinem redactæ sunt, & reformatio in eo introducta per *Alphonsum de Berghes* Archiep. Mechl. die 27. Julii 1687. evocatis tribus Religiosis ex Nosocomio *S. Joannis* Bruxellis, quæ eas formarent & normam darent. Præfecta constituta *Catharina Walravens.*

SORORES NIGRÆ anno 1474. a Senatu fundatæ, conferente fundum *Joanne Proost* & *Alexandrina Steelant* conjugibus, adjecto onere curandi ægros tam intra quam extra Cœnobii septa.

TER ALPHENE, sive *Ter Elst*, pagus Comitatus Alostani ad limitem Brabantinum, uno milliari cum dimidio ab Alosto.

Hoc Dominium devenit nuper jure nuptiali ex familiâ *du Bosch* ad *Joannem-Baptistam-Bernardum Blondel*, cum pago de Erembodeghem, constituentes unum tribunal. Item cum Baronatu de Meere & Overhamme. Hic pagus est ex illis XXII. quos proprium Comitis vocant, vulgo *'s Graven-Propre.* *Obiit anno 1724.*

Ecclesia inscripta est *S. Joanni Euangelistæ.* Patronatus ejus spectat ad Abbatem Affligemiensem, quo jure utitur Archiepiscopus hujus Diœcesis.

Universa pagi decima est Parochi, cui anno 1626. Abbatia præfata Affligemiensis suas quas illic possidebat decimas in perpetuum contulit. Hic pagus est lupuli ferax optimi. In eo ortum habuit *Joannes de Alphenis* XX. Abbas Affligemiensis qui obiit Anno 1429. cujus memoria annuè in obituario hujus Parochialis recolitur.

AP-

APPELS pagus ditionis Teneramundanæ ad Scaldim fluvium, à quo oppido distat medio milliari. Id nomen sortitus est (ut vult *Lindanus* in suâ Teneræmundâ) a *S. Apollonia*, quæ nostra linguâ (ut & *Apollonius*) *Appels* dicitur, nam & in eâ hæc diva ut tutelaris Ecclesiæ veneratur, ad cujus memoriam celeberrimo hic quotannis & toto anni tempore fit peregrinatio, quia cum primis creditur averrucare dolores dentium.

Anno 1232. *Margareta de Teneremunde*, *Roberti Betuniæ & Teneræmundæ* Domini Matertera, cum cælebs esset, legavit Abbatiæ *Swivecanæ* Ord. Cisterc. omnia sua mobilia, & omnia quæ propriis denariis comparavit (verba sunt diplomatis) in Parochiâ de Appels tam in Decimis quam in terris &c. & inter cætera Dominium hujus pagi, cum omni jurisdictione Civili & Criminali in totum pagum, excepta hæreditate Domini Teneræmundani, & in servis ejus: Quæ donatio, ut rata foret, curavit eam confirmari; Qua de re hoc exstat Diploma.

FERDINANDUS Flandriæ & Hannoniæ Comes, & uxor ejus Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem; Noverint universi, quod *Margareta* Domicella de Teneræmunde in presentiâ nostrâ, & hominum nostrorum constitutâ, totum feodum quod de nobis tenebat, in manus nostras spontaneè reportavit, & absolutè: & coram nobis & hominibus nostris werpivit, & effestucavit. Nos vero divinæ pietatis intuitu, ad preces ipsius Domicellæ dictum feodum contulimus, in perpetuam eleemosynam Abbatiæ de Teneramunde Cistercienſis Ordinis apud Sweveke, perpetuo tenendum, eo modo penitus, quo ipsa Domicella prædictum feodum tenebat: ab omni servitio ipsum feodum pro nobis & Successoribus nostris quitantes. In cujus rei testimonium præsentem paginam sigillis nostris fecimus roborari. Actum anno Domini millesimo, ducentesimo, tricesimo, mense Novembri. 1230.

Id probavit *Robertus* ex Sorore nepos Teneræmundæ Dominus, & seorsum, & cum avunculo *Guilielmo de Grimbergis* ejusque filio *Guilielmo*. Altam tamen Justitiam quoad raptum, meurtrum, incendium & suspensionem, & latronum vim ad se postmodum traxit, mutatione quinque bonariorum terræ jacentis in Parochiâ de Appels, in loco qui dicitur Woestyne, quam ad posteros Teneræmundæ Dominos in hoc ævum transmisit, omnes vero alias justitias Religiosæ sibi perpetuo retinuerunt. Ea de re hoc exstat Diploma.

Universis præsentes litteras inspecturis, *Robertus* Atrebatensis Advocatus, Betuniæ & Teneræmundæ Dominus, Salutem in Domino. Universitati vestræ notum facimus, quod cum religiosæ mulieres, in Christo nobis charissimæ, Abbatissa & Conventus de Swiveke prope Teneræmundam, Cistercienſis Ordinis, in Villa de Appels, exceptâ hæreditate nostrâ & in servis nostris quos ibidem habemus, omnem justiciam tam altam quam bassam habent: nos ad petitionem ipsarum, in dictâ Villâ, & in viis ipsius Villæ, quinque altas justicias videlicet raptum, meurtrum, incendium, Suspensionem, latronum vim, per commutationem quinque bonariorum terræ, jacentis in Parochia de Appels, in loco qui dicitur Woestyne, quam propter hoc ipsis contulimus; acquisivimus ab eisdem tenendas in perpetuum, & liberè possidendas. Omnes vero alias justicias, præter quinque dictas, religiosè sibi perpetuò retinuerunt, in villâ superius nominatâ, exceptis hæreditate, & servis nostris. In cujus rei testimonium, fecimus præsentas litteras sigilli nostri appensione roborari. Actum anno Domini CIↃ. CC. XLVIII. mense Junio. 1248.

Hic pagus gaudet immunitate a vectigalibus, teloniis, impositionibus, aliisque hujusmodi oneribus.

Decimarum participes sunt præfata Abbatia *Swivecana*, Parochus & Cantor Ecclesiæ Collegiatæ Teneræmundanæ.

In hac Parochiali est Personatus, cui Patronatus hujus Ecclesiæ & collatio duarum Capellaniarum & Matriculariæ fuit annexus.

Anno 1606. *Matthias Hovius* Archiep. Mechl. univit hunc Personatum Pastoratui, sibi suisque Successoribus reservans Patronatum Pastoratus, & penes Pastorem manente duarum prædictarum Capellaniarum & Matriculariæ collatione.

ASCA celebrè Brabantiæ Municipium & Nobilè Dominium, hujus nominis Præfecturæ caput. Complectitur pagos VII. situm viâ circiter mediâ Bruxellis Alostum. Hunc locum a Romanis inhabitatum fuisse, testantur numismata, quæ in campo vicino non raro inveniuntur, & nuper anno 1717. inventa sunt, uti & vallum Romanum in viciniâ, item via militaris vulgo *Kasseye*, quæ inde Bavacum ducebat. Nuper anno 1704. constructa est nova via lapidea Bruxellis per Alostum Gandavum tendens, quæ Ascam pertransit.

Hic locus veteri eique clarissimæ *Ascanorum* familiæ diu nomen dedit, e quâ *Henricus & Godefridus* fratres in memorabili Asiaticâ expeditione sacrâ Anno 1096. rebus fortissimè gestis innotuêre, ut *Guilielmus Tyrius* auctor est in Historiâ belli sacri.

Seriem Ascæ Dominorum exhibet *J. B. De Valdere* in suo tractatu Gallico, Brux. 1672. edito; cui titulus *Traité de l'Origine des Ducs, & Duché de Brabant.* pag. 222. item *C. Butkens* in Troph. Brabant. tom. II. pag. 154. & seqq. edit. 1724.

Porro in Ephemeribus Cameræ Rationum Brabantiæ conscriptis de Dominiis pignoratis, repignoratis ac venditis, legitur Ascæ Præfecturam cum suis pagis annexis fiduciario jure translatum ultima Junii 1626. ad familiam de *Coutreau*, pretiique caput fuisse quadraginta novem millia florenorum: quibus adhuc octodecim millia accesserunt 25. Februarii 1649. pro pretio absolutæ venditionis: nihilominus *Coutreani* diu ante & ab initio seculi XVI. in hoc tractu dominati sunt, prout Epitaphia infra recensenda demonstrant.

Antiqua est *Coutreanorum* familia, & a temporibus *Philippi Boni* in historiis memorata, dum in pugnâ ad montem Heritium objectu sui corporis *Robertus Coutreau Joannis* filius *Carolum* Principem defendit & hostium manibus eripuit, quemadmodum post scriptores coætaneos *Oliverium de la Marche* Lib. I. cap. 35. & *Philippum de Comines* Lib. I. cap. 4. refert *Meyerus* Lib. X. Annal. Fland. ad annum 1465. Item *D. Lindanus* in suâ Teneræmundâ Lib. III. Cap. III. N. 25.

Hoc Municipium pristinis bellorum motibus, & tam nostrâ quam patrum memoriâ multum attritum est, & sæpius ab hostibus igne injecto deformatum, & novissimè anno 1684. cum a Gallis incendiariis etiam Ecclesia, ejusque miræ altitudinis turris in cineres redacta est.

Forum solebat habere hebdommadarium die Martis, at modo propter vicinitatem fori Urbis Bruxellensis & Mechtemensis, a non pauco tempore frequentari desiit. Nundinas tamen habet celebres annuas die Mercurii post Pascha. Continet hoc Municipium 2230. terræ bonaria.

In Ecclesia Parochiali in Choro ad partem borealem visitur Mausolæum Uxoris *Joannis de Jauce* Baronis de Jasse, Domini de Asche &c. *Mariæ Argenteau*, cum hâc inscriptione.

Suæ

Suæ amantiſſ. Conjugi *Mariæ d'Argenteau* Clar. Equitis *Joannis d'Argenteau*, Dochen & Winnen Domini filiæ, Clarus Eques *Joannes Coutereau* Baro Jaceanus de Wideu & in Aſca Dominus ponî juſſit. Obiit 12. Octobris anno 1555.

In eodem Choro ad partem meridionalem viſitur Sepultura *Catharinæ de Brandenburg* filiæ *Theodoricî* & *Catharinæ Liedekerke* præfati *Joannis* alterius conjugis, cum hac Epigraphe.

Cy repoſe Noble & Genereuſe Dame Catherine, *Baronne de Brandenbourg, Dame de Gentines & de Steenockerſele, Veſve de feu Meſſire* Jean de Coutereau, *Baron de Jaſſe, Sire d'Aſſche, Wydeu, Stayne &c. en ſon vivant Lieutenant de fiefs de ſa Majeſté Catholique en Brabant, ayant veſcu en ſa viduité 59. ans, treſpaſſa le 12. de Janvier 1612. aage de 88. ans, priez Dieu pour ſon ame.*

In eodem Choro ante aram principem conditus eſt præfatus *Joannes de Coutereau*, cujus cærulæi lapidis Sepulchralis inſcriptio eſt hæc.

Generoſus Eques *Joannes Coutereau*, Baro Jaceanus, Dominus de Aſca, & in Aſca de Wydeu, de Relegem &c. Curiæ feudorum Brabantiæ locum tenens, æqui amantiſſimus, Divini cultus & Reipublicæ Studioſiſſimus, relicta nobili *Catharina Brandenburga* uxore altera amantiſſima cum tribus filiis & una filia. annos 67. natus, defunctus eſt anno 1561. menſis Septembris. Requieſcat in pace.

Erectus in Marchionatum.

Aſcæ Dominus eſt hæreditarius Vexillifer Ducis Brabantiæ, vulgo *Guidon*. Erectum eſt hoc Dominium in Marchionatum anno 1663. a *Philippo IV.* Hiſp. Rege Diplomate dato Madriti die 22. Auguſti in gratiam *Guilielmi de Coutereau*, Baronis de *Jauche* &c. in quâ ſtirpe hactenus perſeverat qui hodie *Joannes de Coutereau* Marchio d'Aſche, Baro de Jeauche &c.

Hoc latè extenſionis Municipium complectitur ſub ſe Vicos VI. noſtratibus *Gehuchten*, ſcilicet *Asbeke*, *Ter Linden*, *Couterverent*, *Crokegem*, *Walverghem*, & *Ter Heyden*, in quo exſtat inſignis Capella *S. Huberto* ſacra, medio milliari diſtans ab Eccleſia Parochiali viâ Aloſtanâ; in eâ ſingulis duabus Septimanis quinque ſacra celebrantur in vim Capellaniæ ibidem fundatæ.

Quoad rem ſacram Eccleſia quæ multum inſignis eſt, & ſtructuræ valde antiquæ tutelarem colit *S. Martinum* Turonenſem Antiſtitem. Patronatus ejus incorporatus eſt Collegio *Adriani VI.* Pont. Max. Lovanii, ratione cujus Præſes hujus Collegii conſtituit quoties hic Paſtoratus vacat. Vicarium perpetuum, incorporationem Eccleſiæ Aſcanæ huic collegio impetravit anno 1533, *Guillelmus Enchefortius* S. R. E. Cardinalis & Ultrajectenſis Epiſcopus qui Romæ obiit Anno 1534.

Abbatia Affligemienſis poſſidet hic loci & in vicinia ingentia rura & Vil-

las non paucas, item potiorem partem decimarum, reliqua earum pars portio Parochi est, præfata Abbatia hæc possidet dono *Gulielmi de Grimberge & Isabellæ de Assche* ejus conjugis, Anno 1231. Hanc donationem confirmavit *Henricus II.* Dux Brabantiæ, teste *C. Butkens* in Trophæis Brabanticis pag. 226.

In hac Ecclesia adservantur Sanctæ Cruces ligneæ, miraculis & prodigiis stupendæ, ibidem repertæ circa annum 1335. de quibus informatus *Benedictus XII.* Pont. Max. anno 1337. indulgentias concessit plurimas eis qui devotè eas visitarent. Harum Crucium origines refert *A. Raissius* in auctuario S. S. Belgii *J. Molani* tertia Maii, quâ die magna populi undique concurrentis devotione celebrantur. Historia item harum Crucium inventionis refertur ad longum in primâ parte Novalis Sanctorum Brabantiæ *J. Gillemans.*

Ad commendationem hujus Ecclesiæ Parochialis facit, quod inibi Parochi munus gesserint Præfatus *Guilielmus Enchefortius* S. R. E. Cardinalis &c. & nostra ferè ætate *Henricus Calenus* Archidiaconus Ecclesiæ Metropolitanæ Mechlinienſis, & ejusdem Diœcesis Vicarius generalis nominatus dein Episcopus Ruræmondenſis, qui Bruxellis obiit anno 1653.

In hoc Municipio est Hospitale a priscis Ascanis Toparchis fundatum. Anno 1647. Soror *Elisabetha vanden Putte*, Mater Xenodochii Hulstenſis cum XIII. Monialibus suis, a Statibus Fœderatis Civitate Hulstenſi interceptâ expulsa, Ascam advenit, atque hoc Hospitale consensu Archiepiscopali & Dynastæ incolendum obtinuit.

Hoc Hospitale dein instauravit Nobilis Domina *Maria de Coutereau* vidua Nobilis viri *Guilielmi de Coutereau* Baronis de *Jauce* & Domini de Asca, quæ in hoc Hospitali ante aram sepulta est cum hac lapidis Sepulchralis inscriptione.

D. O. M.

Tres Noble & Genereuse Madame Marie de Coutereau *de Westmal, veuve de feu Messire* Guilleaume de Coutereau, *Baron de Jauche & de la Franchise & pays d'Assche &c. Restauratrice de la maison de ceans, la quelle deceda 26. Decembre l'an grace 1661. Priez Dieu pour son ame.*

Ipsa Præfata Mater *Elisabetha* obiit ibidem senio confecta anno 1673.

AUWEGEM, vel *Oudeghem*, antiquitus *Odegem*. Pagus ditionis Teneræmundanæ a quâ civitate distat tribus ferè horæ quadrantibus, ad Teneram fluvium viâ Alostanâ.

Dominium hujus pagi spectat ad Capitulum Metropolitannm *B. Mariæ* Cameracense, quod partim est allodium, partim in clientelâ Curiæ Teneræmundanæ. Quatenus allodium, datum est illi Ecclesiæ a *Gerardo II.* XXXIII. Cameracensium Episcopo anno 1089. En tabulæ donationis.

In nomine sanctæ & inviduæ Trinitatis. GERARDUS Dei gratiâ Cameracensis Episcopus, omnibus in Christo renatis cælorum gloriam appetere remigio caritatis.

Sciant præsentes & his, qui nascentur, studeant enarrare: quomodo ego pro salute animæ meæ & prædecessorum, meorum, trado ad usus fratrum sanctæ Cameracen-

sis

sis Ecclesiæ, matris nostræ, alodium de *Lietscinis* & de *Wilrehem*, cum moneta, cum teloneo & macera & districto, cum molendinis, cum terris cultis & incultis, silvis, pratis, cum servis etiam & ancillis, alodium quoque apud *Odenghem*, quod ibi habeo, libera ab omni advocatione, & cetera quæ mihi in BRACBANT hereditario succedunt: unde in anniversario meo fratres cibentur & residua in usibus eorumdem dispendantur.

Census quoque servorum & ancillarum, duo scilicet denarii à viro, unus à femina, in Nativitate S. Mariæ annuatim solvantur, & in lege, quâ ceteri sunt, eleëmosyna teneantur, & dies anniversarius patris mei, matris meæ, fratrisque mei celebretur.

Dono etiam, Domini *Manscelini*, ejusdem Ecclesiæ Præpositi & Archidiaconi, petitione, altare de *Caldarico* eidem matri nostræ Ecclesiæ, liberum ab omni persona; sed annuatim persolvat quæ ceteræ ejusdem Archidiaconatûs capitales Ecclesiæ; tali tamen conditione, ut ter in anno fratres ipsi in Refectorio conveniant, quintâ scilicet feriâ Absolutionis, & in festivitate S. GAUGERICI, quæ est in Augusto, & in sui obitûs anniversario.

Dat etiam idem MANSCELINUS eidem Ecclesiæ alodium, quod apud *Maronis Waldum* habet, servos etiam & ancillas, concedentibus & assentientibus fratribus suis *Waltero*, *& Tietwino*, sicut jure possidet hereditario; servi tamen & ancillæ sub lege sint eleëmosynæ. GERARDUS quoque *Cordella* alodium suum, quod apud eumdem *Maronis Waldum* & circa *Teneram*, jure hereditario possidet eidem confert Ecclesiæ.

Horum igitur petitione, canonicâ fretus auctoritate, tam in ea præscripta, quàm sua huic confirmo Ecclesiæ chartâ & anathemate .... Ut autem ratum & inconvulsum hoc maneat, corroboro sigilli mei impressione, & subtus signatorum attestatione.

Signum mei ipsius GERARDI Episcopi.
S. ejusdem MANSCELINI Præpositi & Archidiaconi.
S. Desiderii Archidiaconi.
S. Gerardi Archidiaconi.
S. Frederici Archidiaconi.
S. Alardi Præpositi & Archidiaconi.
S. Aufridi Archidiaconi.
S. Hugonis Decani.
S. Wuerneboldi Scholastici.
S. Griodonis Cantoris.

Signa Casatorum.

Anselli de Ribodimonte, Fulconis Vicedomini.
Walteri Tonitrui. Amultrici.
Arnulfi, Walteri.
Wenchelonis, Walteri Coleti.

Actum Cameraci anno ab Incarnatione Domini MLXXXIX, Præsulatûs mei XIV Indictione XII. 1089.

Quatenus feudum id a Canonicis pretio emptum est, & suum fecêre a *Raginaldo Boccardo* anno 1474.

Hic pagus immunis est a vectigalibus, teloniis, impositionibus, aliisque similibus oneribus.

In sacris Ecclesia inscripta est Virgini Deiparæ *Mariæ*, ejus Patronatum gerit Capitulum præfatum Cameracense, ita ut in sacris, & profanis hîc loci Canonici præfati Capituli principentur, ad quos etiam spectat potior & pinguior pars decimarum hujus pagi, cum plurimis agri possessionibus, reliqua earum pars sita ad orientem Parochi portio est.

In hoc pago, non procul à Parochiali est Sacellum D. Virgini sacrum, vulgo *Ter Cluysen*, quod a febricitantibus multum invisitur.

AYGHEM. secundo lapide ab Alosto, sub Dominio de *Rotselaer* in

Comitatu Aloſtano; antiquitus *Aynghem* & *Ayga* uti *Lipſius* in ſuo Lovanio pag. 40. conſtituit cum Vlackem unum tribunal.

Eccleſia tutelarem colit *S. S. Nicolaum* Epiſc. & *Leonardum* Mart. Ejus Patronatus ſpectat ad Abbatem Aquicinctinum Ord. S. Bened. ad Scarpam fluvium propè Duacum, ad quam Abbatiam ſpectavit una pars tertiæ partis decimarum, quam illic habuit cum Parocho, hanc partem nuper ceſſit Parocho; ita ut hodie Parochus habeat tertiam partem decimarum, reliquæ duæ trientes ſpectant ad varios ſeculares. Præfata Abbatia hic loci & in ejus vicinia non paucas poſſidet agri poſſeſſiones.

Exſtat in hoc pago medio quadrante horæ inſignis Capella titulo Viſitationis Deiparæ Virginis *Mariæ*, vulgo *O. L. Vrauwe van Halen*: Ibid. Capellania ſub eodem titulo gravata tribus ſacris ſingulis duabus Septimanis.

Item Capella *S. Appolloniæ* Virg. & Mart. ſacra, in qua interdum celebratur & in eâ maguus accurſus vicinorum pro dolore dentium.

BARDEGEM, primo lapide cum dimidio ab Aloſto viâ quâ itur Mechliniam. Præfecturæ Aſcanæ Dominium ad cujus Marchionem ſpectat. Hic pagus continet ferè 400. terræ bonaria.

Eccleſia Patronam veneratur *S. Margaretam* Virg. & Mart. Speciali cultu ibidem colitur *S. Joſeph* ſponſus Deiparæ. Hujus Eccleſiæ Patronatum gerit Abbas Affligemienſis, in cujus juribus ſucceſſit Archiepiſcopus hujus Dioeceſis. Ad præfatam Abbatiam ſpectant duæ trientes decimarum; reliqua triens portio Parochi eſt, cui hæc Abbatia in redemptionem decimarum, a quibus villæ præfatæ Abbatiæ ſunt immunes, in hoc pago ſolvit annuè 85. florenos. Capellania *S. Margaretæ* in hac Parochiali habet parvum diſtrictum decimarum, item menſa S. Spiritus.

BOLLEBEKE. pagus Præfecturæ Aſcanæ ſpectans ad ejus Marchionem, una ejus pars eaque exiguæ extenſionis eſt ſub præfecturâ Grimbergenſi ad Naſſovios pertinens.

Item ibidem eſt Dominium dictum *Bollebeke Bougaert*, ſpectans hodie ad Bavonem de Waſſenbergh, in quo ſuum habet tribunal & plenam juriſdictionem.

Eccleſia dicata eſt *S. Antonio*. Patronatus ejus ſpectat ad Abbatiſſam de *Foreſto* Ord. S. Bened. Deſervitur cura Paſtoralis per Paſtorem de Cobbegem a quo ferè diſtat medio milliari.

Univerſa pagi decima ſpectat ad præfatam Abbatiam de Foreſto cum plurimis agri & ſylvarum poſſeſſionibus. Paſtori deſervienti ſolvitur a præfatâ Abbatia annuè competentia.

BRUSSEGEM, altero lapide a Bruxellâ, Præfecturæ Grimbergenſis, ad Naſſovios pertinens, mortuo *Guilielmo III.* Magnæ Britanniæ Rege anno 1702. lite contenditur inter Naſſovios ad quem hoc Dominium devolutum ſit.

Conſtituit cum Oſſele unum tribunal. Hic pagus in eminentiori loco ſitus eſt, unde quaquaverſum patet aſpectus amœnus; diſtat uno milliari ab Aſcâ.

Eccleſia tutelarem colit *S. Stephanum* Proto-Martyrem, ejus Patronatum gerit Archiepiſcopus hujus Dioeceſis jure Abbatialis Affligemienſis. De-

ci-

cima ſpectat ad hanc Abbatiam, Parochum, Eccleſiam hujus Parochialis, & Capellaniam S. Annæ in eâ fundatæ.

BUGGENHOUT, olim *Bucholt* & *Buckenholt*, ita non uno loco apud *A. Miræum* in Diplomatibus legitur, altero fere lapide a Teneræmundâ. Præfecturæ Grimberganæ Dominium, duobus Dominis jam olim dominatur, unde duo ibidem ſunt tribunalia, unum Ducis *Bournonvillæ*, qui ſe Buggenhouti Dominum inſcribit, quod a Naſſoviis pridem obtinuit, & in cujus clientelâ id poſſidet, alterum eſt Principis Grimbergenſis, gentis Bergenſis, habentque juriſdictionem, locis & perſonis diſtinctam.

Philippus Comes Vianenſis, ejuſque uxor *Maria Perveſii* & *Grimbergæ*, & *Mariæ* filius *Godefridus* dant cognato ſuo *Henrico Grimbergo* in feudum Villam de Buggenhout, item XX. bonaria ſylvæ in meliorationem prædicti feudi Anno 1261. & 1271. Utrumque Diploma refert *A. Miræus* in Not. Eccl. Belg. Cap. CCI. novæ edit.

Caſtellum quod inibi videre eſt, quod vulgo dicitur *Maiſon de la Chaſſe*, quondam Ducis Bipontini fuit, nunc Ducis *Bournonvillæ*, cujus ſchema exhibetur in Caſtellis Nobilium Brabantiæ Baronis *le Roy*. Erectum eſt hoc Dominium præfati Ducis in Principatum ſub nomine *De Bournonville* in gratiam *Alexandri De Bournonville* Comitis de *Hennin* a *Philippo IV.* Hiſp. Rege, Diplomate dato Madriti die 12. Julii anno 1658. in quâ illuſtri ſtirpe perſeverat, qui hodie *Philippus Alexander* Dux & *Princeps de Bournonville* &c. *Erectum in Principatum.*

In ſacris Eccleſia dicata eſt *S. Nicolao* Epiſc. cujus Patronatum gerit Archiepiſcopus hujus Diœceſis jure Abbatialis Affligemienſis. Decima eſt tripartita, cujus duæ trientes ſpectant ad hanc Abbatiam, tertia triens ad Parochum.

Decimas, & plurima rura quæ hic loci poſſidet præfata Abbatia dono acquiſivit anno 1125. ab *Arnulpho* Comite Arſcotano cum *Joannem* filium ſuum in hoc Monaſterio collocaſſet, ut patet ex hoc Diplomate apud *A. Miræum* in Donat. Belg. Lib. I. cap. XLIV. novæ edit.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Godefridus, Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, & Marchio, omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum. Quoniam auctore Deo, Haffligemenſem Eccleſiam tam à me quàm à Fratre meo Comite Henrico fundatam ſcio, paci & quieti in ipſa Eccleſia Deo famulantium modis omnibus providere debeo.

Unde notum eſſe volo tam futuris quàm præſentibus, qualiter Arnulfus Comes de Aderschot, cum duobus filiis ſuis, Godefrido & Arnulfo, in Curia mea Lovaniæ venit, & ad id, quod acturus erat, magnam hominum meorum multitudinem, liberorum, ſervorum convocavit.

Præfatus igitur Comes Arnulfus quidquid apud Bukenhoult habebat in terris, ſilvis, aquis & paſcuis, cum omni decima & utilitate, quod ipſe tenuerat, ad opus Haffligemenſis Eccleſiæ, in qua Joannem filium ſuum jam Monachum fecerat, adſentientibus & ſimul dantibus filiis, mihi liberaliter in manu dedit, coram hominibus & Baronibus meis, qui præſentes erant....

Hæc omnia Comes Arnulfus cùm legitimè feciſſet, per me patriæ Dominum, & Eccleſiæ Advocatum .... Teſtes

Arnulfus de Grembergis,
Gerardus Frater ejus,
Filii Comitis Arnulfi, Godefridus & Arnulfus,
Worwinus de Heverle, & Reinerus filius ejus,
Sigerus de Wavera,
Henricus de Bierbais,
Henricus Loppoum,

Henricus de Aſca,
Euſtathius de Tieſch,
Arnulfus Dapifer,
Arnulfus de Fitorch,
Franco Caſtellanus,
Franco de Scluſa,
Alardus de Balterzem.

1125. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo viceſimo quinto, Indictione tertiâ, Epactâ XIV, regnante Lothario Romanorum Imperatore.

Hanc donationem eodem anno confirmavit *Godefridus Barbatus* Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, ſuo Diplomate, quod videre eſt in Suppl. Dipl. *Miræi* part. I. cap. XIX. ut ſequitur.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Ego GODEFRIDUS Dei gratiâ Dux & Marchio Lotharingiæ, omnibus Chriſti Fidelibus in perpetuum. Quoniam auctore Deo Haffligenienſem Eccleſiam tam à me quàm à Fratre meo Comite HENRICO fundatam ſcio, paci & quieti in ipſa Eccleſia Domino famulantium, modis omnibus providere debeo.

Unde notum eſſe volo tam futuris quàm præſentibus, qualiter ARNULFUS Comes de Aderſcoth, cum duobus Filiis ſuis, Godefrido & Arnulfo, in Curia mea Lovaniæ venit, & ad id, quod acturus erat, magnam hominum meorum multitudinem, liberorum & ſervorum convocavit.

Præfatus igitur Comes Arnulfus quicquid apud Buckenholt habebat in terris ſylvis, aquis & paſcuis, cum omni decima & utilitate, quâ ipſe tenuerat, ad opus Haffligenienſis Eccleſiæ, in qua JOANNEM Filium ſuum jam Monachum fecerat, aſſentientibus & ſimul dantibus Filiis, mihi liberaliter in manu dedit, coram hominibus & Baronibus Filiis, mihi liberaliter in manu dedit, coram hominibus & Baronibus meis, qui præſentes erant, worpivit proprio & totius Curiæ meæ judicio, nihil ſibi juris in his qua donaverat reliquit;

Vulgò Maldere & Steenhuffel. Inſuper quod apud *Malren* & *Stenoſle* Eccleſia poſſidet, addidit. Summa autem omnium quæ dedit hæc eſt; medietas ſylvæ, quæ Buckenholt vocatur, quicquid terræ cultæ & incultæ in ipſa Villa Buckenholt habuit, liberaliter dedit; medietas ſylvæ quæ *Emelo* dicitur & manſus terræ qui ſylvæ adjacet.

Sylvam quæ *Schriek* appellatur ex integro dedit, quia liberum Allodium ſuum eſſe cognovit, ruſticis & colonis Eccleſiæ ſive pauperes eſſent, ſive divites, jus illud quod *Sach* appellatur in ſylva de Buckenholt conceſſit, vechtinam autem de porcis hominum ſuorum Eccleſia habebit;

Hæc omnia Comes Arnulfus cum legitimè feciſſet, per me Patriæ Dominum, & Eccleſiæ Advocatum confirmari poſtulavit.

Igitur ut ammonitus fueram, legitimam donationem præfatæ Eccleſiæ legitimè & liberaliter contuli; poſteris meis tam in his quàm in omnibus tuendam Eccleſiam reliqui; contra Eccleſiam quicquam fieri ſub diſtricta gladii animadverſione prohibui,

Quæ ut rata & inconvulſa permaneant, Scripto mandari, Sigilli mei impreſſione & Teſtium aſtipulatione placuit roborari. Teſtes

Arnulfus,
Arnulfus de Grentbergis.
Gerardus Fratèr ejus,
Filii Comitis Arnulfi, Godefridus & Arnulfus,
Goſwinus de Heverle &
Reinerus Filius ejus,
Sigerus de Wavera,
Henricus de Birbais,
Henricus de Lepporum,
Henricus de Aſca,
Euſtachius de Thielth,
Arnulfus Dapifer,
Arnulfus de Filorh,
Franco Caſtellanus,

Fran-

Franco de Scluſa,
Alardus de Balterſem.
Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXV. Indictione III. Epactâ XIV. regnante Lothario Romanorum Imperatore. 1125.

Item has Donationes confirmavit Anno 1202. *Henricus I.* Brabantiæ Dux ſuo Diplomate quod profertur in Supplem. Dipl. Miræi part. I. cap. LXIII.

Hic loci antiquitus fuit Cœnobitica manſio ſeu Cella (ut veteri verbo utar) Ord. S. Bened. Affligemienſi Abbati ſubjecta; ſed quo ſeculo cœperit vel deſierit aſſequi hactenus non potuimus.

Capellania *S. Nicolai* fundata in hac Parochiali, & ſatis largiter dotata, unita eſt anno 1680. Paſtoratui pro ſuſtentatione Vicepaſtoris.

Nuperis annis in medio Silvæ Buggenhoutanæ erectum eſt a fundamentis inſigne Sacellum D. Virgini ſacrum incolarum & piorum eleemoſynis, in quo diebus Sabbatinis Divina celebrantur, & ſolemnis inſtituta eſt, & peragitur Novena annua, Dominica tertia poſt Paſcha.

COBBEGEM, ſecundo ferè lapide a Bruxellâ, pagus Præfecturæ Merchtemenſis. Ejus Dominium ſpectat ad Ducem Brabantiæ; conſtituit cum Zellick & Berchem unum tribunal ſub uno Meyero. Marchio de Aſca inibi habet ſuam juriſdictionem ac tribunal, ac ſe inſcribit Dominum de Cobbegem &c.

Eccleſia tutelarem colit *S. Mariam Magdalenam*, & *S. Gaugericum* Epiſc. Camerac. Patronatus ejus ſpectat ad Epiſcopum Gandavenſem jure Abbatis Bavoniani.

Decimarum participes ſunt Præfatus Epiſcopus, Parochus &c.

DENDER LEEUWE, pagus primo lapide ab Aloſto ad Teneram fluvium in Comitatu Aloſtano. Ejus Dominium ſpectat ad Comitem de Bouſſu ex gente Alſatiâ, qui hodiè *Carolus Joſephus Alſatius* Princeps Chimacenſis Comes de Bouſſu, Baro de Liedekercke &c.

Eccleſia præter Virginem Deiparam *S. Amandum* Epiſc. ut Patronum veneratur. Cura Paſtoralis dependet ab Abbatiâ Diligemenſi Ord. Præmonſtr. quæ per ejuſdem Abbatiæ Canonicos Religioſos adminiſtratur cum Vicario.

Decima eſt tripartita, quarum duæ trientes ſpectant ad Dynaſtam, reliqua triens portio Parochi eſt, qui habet inſuper plures agri poſſeſſiones.

In hac Eccleſiâ plures illuſtres Reguli Liedekercani olim conditi ſunt, in Annalibus Diligemenſibus ſub titulo *de Gavera* nominatiſſimi; ſed Sepulchralia eorum monumenta vetuſtate, & priſtinis bellorum motibus interierunt.

Circa annum 1302. *Raſo de Gavera* Dominus Liedekercanus contulit præfatæ Abbatiæ Diligemenſi Capellaniam ſive Præbendam ſimplicem in hac Parochiali fundatam, hanc donationem confirmavit *Guido* Epiſc. Camerac.

EEREGEM, ſive *Yddergem & Idergem*, & in Diplomatibus apud *A. Miræum* non uno loco legitur *Ydrichem*. Pagus eſt inter Aloſtum & Ninhoviam.

Devenit hoc Dominium circa finem ſeculi præcedentis viâ emptionis cum

pago de Welle a gentilibus de *Grutere* ad *Franciſcum Ignatium Vilain* Quæſtorem Comitatus Aloſtani; pretium fuit 3000. flor.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Amando* Tungrenſi Epiſc., ejus Patronatum gerit Abbas *S. Adriani* in Gerardimonte Ord. S. Bened. cui Abbatiæ *Manaſſes* Epiſc. Camerac. anno 1696. contulit inter alia altare hujus loci, prout legitur apud *A. Miræum* in Dipl. Belg. lib. I. Cap. XLII. novæ edit.

Univerſa pagi Decima ſpectat ad hanc Abbatiam ex quibus ſolebat annuè ſolvere Parocho integram portionem congruam. Hodie univerſa pagi Decima, etiam illa quæ ſpectavit ad hanc Abbatiam Parocho pro portione congruâ relicta eſt.

Hic pagus olim in ſacris appendix fuit pagi de Denderhauthem, ut videre eſt in præfato Diplomate, quod ſuo loco exhibebimus.

EKELGEM, primo milliari ab Aloſto ad limitem Flandricum, Præfecturæ Aſcanæ, & ad ejus Marchionem ſpectans Dominium in vicinià Abbatiæ Affligemienſis, intra cujus limites hæc illuſtris Abbatia pro parte ſita eſt.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Michaeli* Archangelo Angelorum Principi, Patronatus ejus ſpectat ad Archiepiſcopum hujus Diœceſis jure Abbatialis Affligemienſis.

Decima eſt tripartita cujus una triens ſpectat ad Parochum, reliquæ duæ trientes ad præfatam Abbatiam, ad quam præterea omnia ferè rura, & agri hujus pagi ſpectant.

EREMBODEGHEM, in Diplomatibus apud *A. Miræum* non uno loco *Herenbaldegem* legitur, medio milliari ab Aloſto, quem Tenera fluvius interſecat; protendit ſe pinguior hujus pagi pars ad alteram hujus fluminis partem ad limitem Brabantinum. Antiquitus *Vice-Comitatum* fuiſſe legitur apud *Eſpinoium* in ſuis de Nobilitate Flandricâ Commentariis Gallicis. Hodiè ejus Dominium ſpectat ad *Joannem Baptiſtam Blondel* Equitem, jure nuptiali, cum pago *Ter Alphene*, conſtituentes ſimul unum tribunal.

Eccleſia Inſcripta eſt Virgini Deiparæ *Mariæ*. *S. Rochus* ibidem cultu ſpeciali colitur & viſitatur, cui exſtat in Eccleſia ara dicata. Hujus Parochialis Patronatum gerit Archiepiſcopus hujus Diœceſis jure Abbatialis Affligemienſis.

Decimarum participes ſunt, præfata Abbatia de *Groenenbriele* Monialium Ord. *S. Auguſtini* in Urbe Gandavenſi, & Parochus, quiſque habens ſuum diſtrictum decimarum, & parvum diſtrictum in decimis habet Paſtor in Welle.

Anno 1125. *Balduinus Craſſus* Comes Aloſtanus, ejuſque frater *Iwanus* reddunt Abbatiæ Affligemienſi Eccleſiam de *Herenbaldeghem*, item varia bona quæ mater eorum pridem præfatæ Abbatiæ contulerat; ut patet ex hoc Diplomate apud *A. Miræum* in Cod. Piar. Donat. Cap. LXXIX. novæ edit.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego BALDUINUS DE ALOST ac frater meus IWANUS, notum fieri volumus omnibus in Chriſto fidelibus, quod divinâ ut credimus compuncti inſpiratione de peccatis noſtris, & conſiderantes quàm breves ſunt dies hominum, reddidimus Eccleſiam de HERENBALDEGHEM in manum Epiſcopi, ad opus Eccleſiæ HAFFLIGEMIENSIS, pro redemptione animarum noſtrarum, & patris noſtri, parentumque noſtrorum.

Dedimus etiam eidem Eccleſiæ Haffligemienſi duo curtilia in Herenbaldeghem, jux-

juxta molendina jacentia, ac duos manſos terræ, qui jacent ante portam ipſius: qui manſi quoniam feodum erat LOTHEWINI de Herenbaldeghem filii Livini, mutuavimus unà cum curtilibus erga illum cum libero alodio culturæ noſtræ.

Reddidimus præterea molendina de Herenbaldeghem, quæ mater noſtra pro anima patris noſtri ſæpefatæ Eccleſiæ contulerat, pro ſalute videlicet animarum noſtrarum ac parentum noſtrorum. Inſuper alodium noſtrum in TESTREPA, quod necdum alicui in feodum aſſignaveramus, eidem Eccleſiæ contulimus in omni jure libertatis & dominii, quo illud tenebamus, à teloneo ac vectigali, in omni loco dominationis noſtræ, ipſam Eccleſiam liberam facientes; ut participes efficeremur orationum Fratrum, tam vivi quàm mortui, & ut defunctis nobis facerent, quidquid uni ipſorum defuncto fieri ſolet.

Ut autem hæc noſtra traditio rata & inconvulſa perpetualiter permaneat, hanc Chartam inde conſcriptam ſigilli noſtri impreſſione fecimus confirmari, ſubſcriptis etiam ac notatis teſtibus, quorum hæc ſunt nomina.

Willelmus de Vorſelar.
Goſelinus de Ordengem.
Folcardus de Aſca.
Albertus de Herenbaldenghem.
Arnulfus Kerkeſcem.
Rudolfus de Nielle, filius Fromini.
Anſelinus de Blaresfelde.
Aſcelinus Amman de Bruxella, & filius ſuus Henricus.
Arnulfus ac Ingelbertus de Breda.
Henricus Vulpes.
Willelmus de Aloſt, Dapifer.
Oldeius & frater ſuus Luardus, Gandenſes.

Acta ſunt hæc anno Domini MCXXV. 1125.

Cæterum hæc Parochialis Matrix fuit Eccleſiarum de *Ter Alphene & de Welle:* ſed a non pauco tempore ab eâ ſeparatæ ſunt & proprios ſuos accepêre Parochos.

ERPE pagus medio milliari ab Aloſto, viâ nuper publicâ, quâ tendebatur Gandavum; aſt hodiè cum via nova lapidibus ſtrata eſt anno 1704, ab eâ diſtat ferè horæ quadrante.

Independens eſt ejus loci Toparchia, ac liberum ut vocant Allodium neque in clientelâ vel fide tenetur ullius, niſi Dei & Solis. Habet altam, mediam imamque juſtitiam, omnesque juſtitiæ adminiſtros Toparcha conſtituit.

Dominium hujus pagi longo temporis tractu poſſeſſum fuit per gentem cognominem de *Erpe*, in Hiſtoriis & Diplomatibus notiſſimam; de quâ *Eſpinoius* in ſuis de Nobilitate Flandricâ Commentariis Gallicis agit, pag. 266. Inde initio ſeculi XV. jure nuptiali *Balduini de Schoutete*, cum *Catharinâ de Erpe*, *Philippi Erpæ*, *Erondegem* & *Ottergem* Domini filiæ & ejus ex aſſe hæredis tranſiit ad gentiles de *Schoutete* alias van *Zuylen*, cujus gentis Originem & proſapiam profert *D. Lindanus* in ſuâ Teneræmundâ Lib. III. Cap. III. N. 288. & ſeq.

Permanſit hoc Dominium in hac ſtirpe uſque ad annum 1713. quo emptione publicâ devenit ad *Joannem de Wapenaert*, Scabinum Capitalem ditionis. Teneræmundanæ, poſt cujus mortem anno 1724. jure Succeſſionis, devenit ad natum ejus primogenitum *Carolum Philippum Waepenaert* Conſiliarium Magni Senatus Belgici.

Erectum eſt hoc Dominium in Baronatum anno 16 . . . a *Philippo IV.* Hiſp. Rege in gratiam *Caroli van Zuylen*. *Erectum in Baronatum.*

Olim hic Caſtellum exſtitit Dynaſtarum; at injuria bellorum, & tem-

porum iniquitate, totaliter deſtructum eſt, & interiit; locus tamen & vallum ejus hodiè monſtratur.

In Choro Eccleſiæ Parochialis de *Laerne* ad Scaldim fluvium exſtat parieti inſertum Monumentum Sepulchrale, cujus hæc eſt inſcriptio.

Cy giſt le Cœur de Noble & Puiſſant Sr. Meſſire François van Zuyle *dict d'Erpe, Chevalier, Sr. du dict Erpe, Erondegem, Ottergem tenu en francq Alleu de Dieu & de Soleil Sr. de Laerne, d'Eſtombes, Coutere, Caple & de Woeſtyne, Haulmoeſchre, & Moeſchre Ambacht &c. Fils de Meſſ.* Pierne, *& de Madame* Iſabeau vander Gracht, *qui mourut* 1599.

Cy giſt Noble & Puiſſante Dame Madame Anne de Montmorency, *Fille de Meſſ. Bauduin Chlr. Sr. de Croiſelles, Houplines, Walencourt, Amogies, Ruſſignies &c. & de Madame* Anne de Rubempré, *que fut Femme a Meſſ.* François *de deſſus. La quelle mourut le XV. de Novembre* 1575.

Priez Dieu pour leurs Ames.
Leur Corps giſt à Lille.

Quarteria viſuntur

Van Zuyle, Liedekercke, Vander Gracht, Woeſtine.
Montmorency, Lannoy, Rubempré, Bouſyes.

In Parochiali hujus pagi de Erpe exſtat Monumentum Sepulchrale ultimorum Dynaſtarum hujus Dominii cum hiſce inſcriptionibus.

D. O. M.

Icy repoſe le Noble & Illuſtriſſime puiſſant Seigneur Meſſire Charles van Zuylen, *Francq & Libere Seigneur, Baron d'Erpe, Sr. d'Hubermont, Moſſcher, & Moſſcher Ambacht, & de Dame* Anne Michelle de Gavre *Dame Baronne du dict lieu fille de Meſſire* Charles de Gavre, *Comte de Freſin, Baron d'Inchy, mourut le* 17. *Septembre* 1667.

Et le Noble Illuſtre Seigr. Meſſire Philippe van Zuylen *ſon fils unicq. Baron & Seigr. de ſuſdits lieux procréé de Dame* Emilie Juliane Pieck *de Wolfswert, fille de Meſſire* Walraven Pieck *Sr. de Wolfswert. & lequel mourut le* 15. *May* 1701.

Eccleſia Patronum veneratur *S. Martinum* Turonenſem Epiſcopum. Patronatum ejus poſſidet Abbatiſſa Premiacenſis Ord. *S. Auguſtini* olim extra, nunc in Urbe Cameracenſi.

Decima ſpectat ad præfatam Abbatiam, item Truncinienſem Ord. Præmonſtr. propè Gandavum, Parochum, & varios ſeculares.

ESCHENE, Altero lapide, ab Aloſto. Pagus Præfecturæ Aſcanæ, ad cujus Marchionem hoc ſpectat Dominium.

Ec-

Ecclesia Patronam veneratur Virginem Deiparam *Mariam*. Ejus Patronatum gerit Archiepiscopus hujus Diœcesis jure Abbatialis Affligemiensis, ad quam Abbatiam spectat universa hujus pagi Decima, quæ insuper hic loci possidet agros plurimos & vivaria piscibus alendis percommoda. Ex hujus pagi decima solvitur annuè a præfata Abbatia portio congrua 400. floren.

In hac Parochiali est Capellania *B. Mariæ* cum onere duarum missarum hebdommadatim.

GHYSEGEM, Antiquitus *Ghisenghem* uti legitur apud *A. Du Chesne* in probationibus familiæ Gandavensis pag. 222. distat æquali fere itineris spatio ab Alosto & Teneræmundâ ad Teneram fluvium.

Initio seculi XVI. invenio hoc Dominium fuisse penes gentem de *Leeuwerghem*; dein non pauco temporis spatio fuit gentilium *van Royen*; inde initio seculi XVII, via emptionis devenit in familiam de *Goubau* potentem ac divitem Antverpiæ, quæ hujus Dominii castellum collapsum plurimum restauravit ac mirificè exornavit, cum multâ serie arborum, quæ loci amœnitatem mirabiliter auxit, & de longe sese spectandam præbet, in qua stirpe hodie perseverat, quæ hodie *Maria Goubau*.

Ecclesiæ (quæ *S. Martino* sacra est) Patronatus spectat ad Personam Personatus hujus Ecclesiæ.

Decima est tripartita, cujus una triens spectat ad Parochum, altera ad Monasterium Virginale *S. Birgittæ* Teneræmundæ, & restans ad Toparcham.

Hic pagus est ex illis XXII. quos Proprium Principis vocant, vulgo *s'Graven-Propre*.

In Ecclesiâ Collegiatâ B. M. Teneræmundæ exstat lapis Sepulchralis marmoreus cum hac inscriptione.

Hier leyt begraven Mer. Philips van Royen, Riddere / Heere van Ghysseghem / die starf int Jaer 1552.

Ende Vrauwe Magdalena Schats, syn Huysvrauwe / sterf anno 1539. den 28. Augoust.

HAELTERT, sive *Aeltert*, latinè *Haltera*, primo lapide ad Alosto, sub Dominio Ditionis de *Rotselaer* in Comitatu Alostano, spectans ad gentiles *Happart Dieghem* cùm suis.

Olim solebant Flandriæ Comites hunc pagum cum Præfecturâ de Ninhove & Herlinchove dare in elocationem certis Personis pro annis pluribus, prout apud nos latet Diploma lingua Gallicâ, quo *Philippus Bonus* Burgundiæ, Lotharingiæ & Brabantiæ, Comes Flandriæ &c. pro annis XII. elocavit Præfecturam de Ninhove, Haeltert & Herlinchove *Joanni Cabillau*. Anno 1453. pro summa duarum millium librarum Parisiensium annue.

Ecclesia tutelarem colit *S. Gaugericum* Camerac. Episc. in eâque etiam singulari cultu veneratur *S. Laurentius* Mart.

Anno 1046. fundatum est in hac Ecclesiâ XII. Canonicorum Collegium. sub titulo *S. Gaugerici* ab *Ingelberto d'Oisy*, quod primitus fuit Monaste-

rium Monachorum verosimiliter Benedictinorum, quia isto ævo alia vix erant in Belgio Monasteria. Hoc Collegium Canonicorum inde anno 1495. consensu *Henrici de Berghes* Camerac. Episc. & *Philippi* Austriæ Burgundiæ & Brabantiæ Ducis, Comitis Flandriæ &c. Alostum Flandriæ Imperialis oppidum translatum est. Diploma fundationis hujus Capituli exhibui supra in Alosto.

Hoc Capitulum possidet universam hujus pagi Decimam, Patronatum hujus Parochialis, ac multas agri possessiones & census. Parocho pro suâ portione congrua Canonicalis præbenda attributa est, quæ unita & incorporata est Pastoratui anno 1610. & insuper aliquot granorum mensuræ annuè ei penduntur a Capitulo.

Intra limites hujus pagi est Capella *D. V. Mariæ* sacra, vulgo *De Capelle van Landegem*, in qua diebus Sabbatinis divina celebrantur.

HARDERSEM, Antiquitus *Herdinghem & Hardingheſem* uti legitur apud *A. Du Cheſne* in probationibus familiæ Gandavensis pag. 229. pagus Comitatus Alostani primo lapide ab Alosto, quâ itur Teneræmundam ad Teneram fluvium.

Multo temporis tractu peculium fuit familiæ *Wter-Zwane*, deinper nuptias transiit in gentem de *Coutereau*, vendiditque illud *Carolus de Coutereau* Præfecto cuidam Urbis Teneræmundanæ, & hic brevi post *Antonio de Taxis* Equiti, Domino de Riviere, a quo anno 1619. die 4. Augusti pervenit hoc Dominium ad *Gasparum de Baldes* Arcis Gandavensis Præfectum ob cujus virtutis merita anno 1620. Serenissimus Belgarum Princeps *Albertus* erexit in Baronatum, in quâ Stirpe hactenus permansit.

Erectum in Baronatum.

In Sacello *S. Macarii* Ecclesiæ Arcis Gandavensis exstat cavea subterranea Sepulchralis Monumenti præfati *Gasparis de Baldes*, cui supernè in præfato Sacello inserta est inscriptio Hispanico idiomate expressa, ut sequitur.

A Qui Yaze.
El Maestre de Campo
Gaspar de Valdes *Cavallero*
Del avito de San Tiago Baron de
Herdersem, del Consejo supremo de
Guerra de su Magestad: a quien
Servio 59. Años, Aviendo sido
Castellano del Castillo de San Iian
Y Gouvernador de Melilla
Maiestre de Campo de la Gente de Guerra
De las Fuercas y Castillos, de Alarache,
Alcayde de Ellas, Gouvernador y Justicia
Maior de la villa: y ultimamente Castellano
De este Castello, Gouverno por espacio
De 24. años y 8. Messes, Murio en el Señor,
Quien siempre vivio, y a quien siempre
Siervio: con General Sentimiento de todos

A los diez y seis de Desiembre de Mil seis Sientos y trenta y nueve: Años de Edead de 78. Requiescat in pace.

Nuper ultimo masculinæ stirpis de *Baldes* defuncto Baronatus de Harderſem devenit jure uxorio in familiam de *Happart*. De jure Dynastiæ hujus lite contenditur hodie inter hæredes in Senatu Flandriæ.

Hic loci pridem Castellum fuit Dynastarum de Harderſem ad Teneram fluvium, cujus Schema nobis exhibet *A. Sanderus* in Flandria Illustrata tom. II. pag. 512.; sed hoc Castellum nostrâ ætate periit, & ita destructum est ut nulla ejus vestigia hodie supersint, funditus enim eversum est, ac saxa & rudera alibi delata.

Ecclesia Patronam veneratur Virginem Deiparam *Mariam*, colitur in eâ *S. Antonius* ritu festivo & Solemni.

Patronatus Ecclesiæ spectat ad Archiepiscopum hujus Diœcesis jure Abbatialis Affligemiensis. Decima est quadripartita, quarum tres partes spectant ad hanc Abbatiam, & quarta earum pars ad Parochum.

In hoc pago est Capella insignis & ampla, Dicata *B. V. Mariæ*, vocaturque vulgo *O. L. Vrouwe ter Linden*, quæ multum a populo frequentatur & invisitur, inque eâ non raro divina celebrantur.

HELDERGEM, pagus secundo lapide ab Alosto, & uno cum dimidio a Ninhoviâ, sub Dominio Ditionis de *Rotselaer*, spectans ad gentiles *Happart-Dieghem* cum suis.

Ecclesia inscripta est *S. Amando* Tungrensium Episc. Patronatum ejus gerit Abbas *S. Adriani* in Gerardimonte Ord. S. Bened. dono *Manasses* Episc. Camerac. uti legitur apud *A. Miræum* in Dipl. Belg. Lib. I. Cap. XLII. novæ edit.

Decima olim fuit tripartita, quarum una triens spectabat ad præfatam Abbatiam, altera ad Abbatiam *S. S. Cornelii* & *Cypriani* Ninhovienſem, & tertia ad Parochum; sed hæc Abbatia a non pauco tempore præfatæ Abbatiæ *S. Adriani* cessit suas quas inibi percipiebat decimas pro XXX. saccis siliginis annuè, quos hodiedum annis singulis percipit: Parocho vero pro suâ parte decimarum annuè solvitur competentia 400. flor. a præfatâ Abbatiâ *S. Adriani* præter reparationes annuas domus Pastoralis.

Hic pagus olim appendix fuit in sacris pagi de Denderhauthem, uti non uno loco legitur apud *A. Miræum* in Diplomatibus, & jam ante diximus.

HOFSTADE, medio milliari ab Alosto ad Teneram fluvium, viâ regiâ quâ itur Teneræmundam. Ejus Dominium dudum spectavit ad gentem cognominem de *Hofstade* in Diplomatibus & Annalibus nostris celebrem, hodie gentilium *Bette*, quod modo potitur *Joannes Franciscus Nicolaus Bette* Eques Aurei Velleris, Marchio de *Lede* &c.

In hoc pago varii dominantur habentes hic loci Dominia, suamque jurisdictionem & tribunalia locis & Personis distinctam. Inter ea eminet Dominium de *Wachene* instructum spectabili & insigni castello, quod pridem fuit *Alberti van Asche* Thesaurarii Statuum Brabantiæ, a quo per nuptias *Jac-*

quelinæ Iſabellæ van Aſche ejus filiæ tranſiit ad *Joannem Comitem vander Steghem* Droſſardum Brabantiæ in quâ ſtirpe perſeverat.

Eccleſia ſacra eſt Virgini Deiparæ *Mariæ*, ſpeciali cultu in eâ celebratur feſtum *S. S. Crucis* ſacrum; cujus ibidem inſignis viſitur Capella.

Sub Dominio de Wachene exſtat illuſtris Capella *S. S. Trinitati* ſacra, in quâ non raro divina celebrantur.

Patronatus hujus Parochialis ſpectat ad Perſonatum hujus Eccleſiæ, cujus Collatio competit Archiepiſcopo hujus Diœceſis.

Decima eſt tripartita, cujus ex æquo participes ſunt perſona hujus Eccleſiæ cum Parocho pro una triente, Abbatia de Foreſto Ord. S. Bened. prope Bruxellas pro altera, reliqua triens ſpectat ad fabricam Eccleſiæ *S. S. Michaelis & Gudulæ* Bruxellis.

KERCKXKEN, ſive *Haelter Kercxken*, primo lapide cum dimidio ab Aloſto ſub Dominio Ditionis de *Rotſelaer*, ſpectans ad gentiles *Happart-Dieghem* cum ſuis. Conſtituit cum *Haeltert* unum tribunal, cui olim tam in ſecularibus quam ſacris unitus fuit, quo autem anno ſeparatio hæc in ſacris facta ſit hactenus indagare non potuimus.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Michaeli Archangelo*. Patronatus ejus ſpectat ad Capitulum Aloſtanum.

Decima eſt tripartita, quorum duæ trientes ſpectant ad præfatum Capitulum, reliqua triens ad Parochum, cui inſuper in Supplementum competentiæ a præfato Capitulo dantur annuè 100. flor.

LEDE, Marchionatus titulo Illuſtre Dominium, primo lapide ab Aloſto. Spectavit longo temporis tractu ad familiam antiquam & nobilem cognominem de *Lede* in Diplomatibus & in Hiſtoriis notiſſimam, inde devenit ad gentiles de *Grutere*, a quibus anno 1549. per nuptias *Jacobi Bette* cum *Eliſabethâ de Grutere* hærede hujus Dominii, tranſiit in gentem *Bette* in quâ hactenus permanſit.

Erectum in Baronatum, dein in Marchionatum.

Erectum eſt hoc Dominium in Baronatum Anno 1607. in gratiam *Joannis Bette* a Sereniſſimo Belgarum Principibus *Alberto & Iſabellâ*, & in Marchionatum a *Philippo IV.* Hiſp. Rege, Diplomate dato Madriti 3. Auguſti anno 1633. in favorem *Guilielmi Bette*, Magni Baillivi Gandavenſis & Præfecti urbis Moſæ Trajectenſis, deinde portus & Civitatis Dunckerkanæ anno 1646.; in cujus urbis obſidio, anno 1658. vulnere ſaucius vita exceſſit.

Hunc Marchionatum nuper poſſedit *Joannes Franciſcus Nicolaus Bette*, Marchio de Lede, Equis aurei Velleris, Magnas Hiſpaniæ, Militiæ Hiſpanicæ terra marique Præfectus, qui fatis conceſſit Madriti 11. Januarii anno 1725. ætatis ſuæ 57.

Condidêre hic olim Dynaſtæ inſigne Prætorium, cujus prototypon nobis exhibet *A. Sanderus* in Flandriâ Illuſtratâ tom. II. pag. 512. illud plurimum nuper reſtauravit & decoravit, & decorare hodiedum pergit præfatus Marchio.

Hoc Dominium eſt magnæ & vaſtæ extenſionis, continet enim 900. terræ bonaria, ſitus eſt in eminentiori loco, unde aſpectus ab omni parte amœnus. Ibidem eſt Dominium de *Ronckenburgh* ſpectans ad gentiles *De Smet*.

In hoc loco Baſilica eſt ampliſſima, cujus vetus Patronus eſt *S. Martinus* Turonenſis Epiſc. ſed dein Deiparæ Virginis Doloroſæ cultu & Miraculis

lis ab aliquot seculis longe notissima, qui in hoc loco incepit anno 1414. quando huc allata est quædam Deiparæ Virginis Imago Colonia Agrippinâ per Nobilem virum *Arnoldum van Neste*, quæ statim Miraculis cœpit claréscere.

Anno 1582. Alosto occupato a fidei hostibus, & Regi rebellibus, templum Ledense ab eis in cineres redactum est, & totus pagus direptus cum hac imagine Deiparæ. Triennio post nova Matris Dolorosæ imago secundum pristinam formam in eâdem Basilica substituta fuit, quæ ob antiqua miracula nihilo segnius maximo populi confluxu honorari & frequentari cœpta est.

Colitur solemni ritu hæc imago Virginis Dolorosæ Dominica prima post Pentecostem ac per Novenam; siquidem omnes circumjacentes accolæ & etiam haud parum dissiti ex Brabantiâ, Flandriâ, Hannoniâ aliisque locis huc se voti & religionis causâ conferunt, ob miracula & beneficia, quibus divina bonitas hunc locum etiamnum honorare dignatur. Ita ferè *A. Raissius* in suo Auctuario ad Natales S.S. Belgii *J. Molani* Dominica prima post Pentecostem, verum errat cum ponit annum 1501. direptionis & exustionis hujus Ecclesiæ cum sit annus supra expressus.

Patronatus hujus Parochialis solebat spectare ad Personatum hujus Ecclesiæ, qui cum unitus est Pastoratui, eo jure utitur Archiepiscopus hujus Diœcesis.

Decima hujus loci divisa est in portiones inæquales; potiorem partem possidet Parochus, notabilem earum partem Abbatia de *Bodelo* Ord. Cisterc. in Urbe Gandavensi, minores earum partes potitur Decanus & Pastor Alostanus ratione Capellaniæ *S. Joannis* in hac Ecclesiâ fundatæ, item Ecclesia hujus Parochialis, Dynasta, Pastor in Hofstade, Impe &c.

Anno 1231. *Joannes* dictus *De Lede* cum *Isabellâ* uxore sua contulerunt præfatæ Abbatiæ de Bodelo totam decimam quam habebant apud Ledam; confirmavit hanc donationem Nobilis Vir *Gillebertus de Sottinghem*, a quo hæc decima tenebatur in feudum.

LIEDEKERCKE, primo lapide cum dimidio ab Alosto versus limitem Brabantinum in Comitatu Alostano. Illustre titulo veteris Baronatus Dominium; peculium nobilissimæ Familiæ de Alsatiâ de *Bousu* in quo Princeps Chimacensis, Comes de Bousu &c. illud possidet titulo Baronis. *Vetus Baronatus.*

Vetustam habet Arcem ad Teneræ ripam, in pago vicino de Denderleeuw sitam, in clientelâ Comitis Alostani, cujus schema exhibet *A. Sanderus* in Auctuario II. Flandriæ Illustratæ pag. 21. At plurimum de suo splendore deperdidit, cum pristinis bellorum motibus pluries infesta fuerit militari præsidio, & nunc ab his, nunc ab illis intercepta.

Hoc Dominium cum in ejus nominis familiâ multo temporis tractu hæsisset, per nuptias transiit in gentem de *Gavere*, inde ad *Rassingemios*, cum *Gerardus de Rassenghem* duxit *Aliciam de Gavere*, filiam *Philippi* Domini de Liedekercke & *Bredæ* quæ ei apportavit *Liedekercke* &c. circa annum 1320. Tandem aliis nuptiis iterum rediit ad familiam de *Gavere*, in qua *Margareta de Gavera Arnoldi de Gavere* & *Margaretæ de Bautersem* filia cum Dominio de Rassengien & aliis in dotem attulit eam *Joanni Villano a Gandavo Dom. S. Joannis ad Lapidem* &c. circa annum 1481, & ita tandem rediit ad Rassingemios familiæ Gandavensis a quibus pridem recesserat. *Adrianus Villanus a Gandavo* Dominus de Leeuw, Basserode *S. A-*

mandi &c. ſummus Prætor Gandavenſis Anno 1485. duxit *Joſinam de Romerswaele*, quæ obiit poſt ipſum anno 1528. filios ſuſtulit *Engelbertum* qui mortuus ſine liberis, & *Margaretam Villanam* hæredem de Liedekercke &c. Quæ hæc Dominia attulit *Joanni Hannart* Equiti *S. Jacobi* Vice-Comiti Bruxellenſi. *Maria Hannart* filia hæreditaria *Caroli Hannart* Burgravii Bruxellenſis &c. *Joannis* ſupra nominati neptis nupſit *Jacobo de Hennin* Domino de Auſſi anno 1579. filio Juniori *Caroli de Hennin* Comitis de Bouſſu, *Jacobi* filius *Maximilianus de Bouſſu* & Baro de Liedekercke ſuſtulit *Petrum*, quo ſine liberis defuncto, ſucceſſit *Maximiliani Jacobi* filius Eques Aurei Velleris, qui in Comitatu de Bouſſu ſanguine proximus ſucceſſit; duxit *Mariam Alexandrinam-Franciſcam de Gavere* filiam Comitis de Freſin; obiit Anno 1624. Suſtulit *Albertum*, *Eugenium* & alias proles utriuſque ſexus. *Albertus Maximilianus* Comes de Bouſſu, duxit *Honorinam* filiam *Godefridi* Comitis Grimbergenſis, cæſus anno 1640. ad Atrebatum, qui mortuus ſine liberis, ſucceſſit ejus frater *Eugenius* Eques Aurei Velleris &c. qui duxit *Iſabellam Arembergicam* filiam Principis Chimacenſis, mortuus anno 1656. Ex qua ſecutus inter varias proles utriuſque ſexus primogenitus *Philippus Ludovicus* Comes de Bouſſu, Eques Aurei Velleris, qui mortuo *Erneſto Dominico* Principe Chimacenſi Prorege Navarræ &c. Anno 1686. ejus cognato germano abſque liberis, inſtitutus eſt ab eo teſtamenti tabulis in Principatu Chimacenſi & cæteris bonis; obiit Ao. 1688. Suſtulit inter cæteras proles utriuſque ſexus *Carolum Joſephum Albertum Alſatium*, Principem Chimacenſem, Comitem de Bouſſu, Baronem de Liedekercke &c. Aurei Velleris Equitem hodie in vivis. Vide ſtemmata Dynaſtarum de Liedekercke apud *A. Miræum* in Chronico Belgico pag. 412. & 434. item in Annalibus Hannoniæ Vinchant & Ruteau pag. 246. Porro ſtemma Comitum ac Principum Chimacenſium invenies in Diplom. Belg. *A. Miræi* Lib. I. Cap. CXII. novæ edit. pag. 233.

Ante turbas Belgicas ſeculi XVI. exſtabant ſequentia Dynaſtarum Monumenta Sepulchralia in Choro hujus Parochialis inque eis imagines eorum, priſco habitu, effigie armatâ cum ſuis uxoribus & hiſce inſcriptionibus.

Cy giſt Meſſire Philippes *Sire de Liedekercke & de Breda, qui treſpaſſa l'an* 1322.

Et icy giſt Dame Adeliſſe de Raſſeghien *de Leyſſe, de Liedekercke & de Breda, qui treſpaſſa l'an* 1343.

Et icy giſt Dame Marie *Dudit* Philippes, *qui treſpaſſa* 1373.

Et auſſi giſt Jehenne *Dame de Raſſenghien & Leyſſe par ſon pere & de par ſa mere Dame de Liedekercke & de Breda qui treſpaſſa l'an . . .*

Cy giſt Collaert Villain *Chlr. Sr. de Liedekercke, Vicomte de Lombecq, Heatable, Collateur d'Aſſenede qui treſpaſſa l'an* 1457.

Cy giſt Marguerite *fille de* Guy de Ghiſtelle, *qui treſpaſſa au meſme an.*

Ita

Ita excepimus ex antiquo libro Epitaphiorum Flandriæ, conſcripto ante turbas Belgicas.

Damus hic inſcriptiones Sepulchrales Dynaſtarum de Liedekercke qui alibi conditi ſunt.

In Eccleſia de Nevele in Flandriâ viſitur ſequens Epitaphium in laminâ cuprea cælatum.

Hic jacet ſepultus Dominus *Joannes de Montmorency* miles, quondam Dominus temporalis de Nivelle & Liedekercke, Conſiliarius & Camerarius Ducis Burgundiæ, qui obiit anno incarnationis Domini M. CCCC. LXXII. menſis die XVI. Junii. Orate pro anima ejus.

Mechliniæ in Eccleſiâ Parochiali *D. Petri* in Capella B. M. V. in grandi lapide inſerto parieti legitur ſequens Epitaphium.

Icy giſt Noble & honorable Dame Jooſine de Rymerſwale *compaigne de feu Meſſire* Adrian Villain, *Seigneur de Liedekercke, van s'Borgraven, Lombeke &c. mourut le XXIII. jour de Septembre M. D. XXVIII.*

In Eccleſiâ Parochiali de Bouſſu exſtat ſequens inſcriptio Sepulchralis.

Icy giſt haut & puiſſant Seigneur Meſſire Maximiliain, *Comte de Bouſſu, Marquis de la Vere, Baron de Liedekercke & de Dender-Leeuw, Vicomte de Lombeque, Seigneur de Blangies, Beuvry, Chocque, Foſſé, Sally, Bourſe &c. Chevalier de la Toiſon d'or, Maiſtre d'hotel des Sereneſſ. Archiducs, Gouverneur de la Ville & Chaſteau de Bethune, Colonel d'un Regiment d'Infanterie Walonne, Chef & Capitaine de quarante hommes d'Armes au ſervice de ſa Majeſté &c. lequel treſpaſſa au Chaſteau de Liedekercke le 8. d'Octobre 1625.*

Et haute & puiſſante Dame Marie Alexandrine-Françoiſe de Gavre, *fille aînée de Meſſire* Charles de Gavre, *Comte de Freſin &c. ſon Epouſe la quelle mourut . . . .*

Priez Dieu pour leurs Ames.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Nicolao* Epiſc. Cura Paſtoralis dependet ab Abbatiâ *S. S. Cornelii & Cypriani* Ninhovienſis Ord. Præmonſt., quæ ſacrum miniſtrum ibidem e ſuis Canonicis Religioſis conſtituit, & in ejus adjutorium Vicarium. Decima eſt tripartita cujus duæ trientes ſpectant ad Dynaſtam, altera triens ad Parochum.

A. Wichmans in ſuâ Brabantiâ Marianâ Lib. III. Cap. XXXVIII. refert quomodo *Ywanus* Comes Aloſtenſis & Dominus Liedekerkenſis, poſt mortem *Waltelmi* primi Abbatis Diligemenſis, Eccleſiam Liedekerkenſem, Decimas, & ligna Silvæ Liedekerkenſis, cum appendiciis ſuis *Lombeke & Strithem*

them (quæ hactenus eidem *Waltelmo* subfuerant) ad usum Canonicorum Præmonstratensium Ninhovienſium transtulerit anno 1140. auctoritate *Nicolai* Episc. Camerac., unde non parva difficultas inter utrumque Cœnobium Diligemense & Ninhovienſe postea exorta est super hac donatione *Twani*, quam *S. Bernardus* Abbas Claræ-vallensis demum composuit, de quâ extant litteræ apud eosdem ipsius *S. Bernardi* manu, ut fertur, exaratæ, insigniis ejusdem, vel, ut suspicio est, Monasterii Claræ-vallensis infra dependentibus, quarum una pars apud Ninhovienses, altera apud Diligemenses adservatur: utraque vero sibi conjuncta, integram Epistolam conficit.

Rem parum aliter narrat Chronicon *Balduini* Ninivensis M. S. his verbis.

„ Cum autem circa idem tempus (scilicet M. CXXXVII.) Dominus „ *Woltelmus* Vir opinatissimus esset defunctus, qui *Jetthensis & Liede-* „ *kerkensis* Ecclesiæ Abbas fuerat, Dominus *Twanus de Aloſt*, qui apud „ *Lidekerckam* tunc temporis dominium obtinebat, defuncto Domi- „ no *Woltelmo*, qui Abbas *Jetthensis & Lidekerckensis* Ecclesiæ fuerat „ (nam & hæc, sicut illa, libera *Jetthensi* Ecclesiæ nonquam fuerat sub- „ jecta) accersito Domino *Gilleberto* Abbate nostro in eleemosynam con- „ tradidit, & Episcopali auctoritate donum suum confirmari obtinuit. Sed „ illis de *Jeth* (sic ævo ista vocabatur Diligem) postmodum reclamantibus „ nos tamquam sui juris invasores constanter impetentibus, tandem post „ longas & varias concertationes, consilio & auctoritate Domni *Bernardi* „ Claræ-vallensis Abbatis Apostolicæ sedis Legati, factâ inter illos compo- „ sitione, omnis hæc decisa est querela, & auctoritate Cameracensis Epis- „ copi, & totius Ordinis, utrique Ecclesiæ indictum est silentium." Hactenus Chronicon Ninivense M. S.

Intra limites hujus Dominii in Sylvâ Liedekerckanâ fundatus est initio seculi XV. Conventus in honorem Virginis *Mariæ* Fratrum B. M. V. *de Monte Carmelo*, cujus tale fuit initium.

„ *Henricus de Flandria*, & *Robertus de Namurco* aliique Milites ac „ scutiferi Societatis de *Mula* Anno Domini 1349. Oratorium erigebant „ in honorem Virginis Matris in sylva *Liedekerkanâ*, uti de his latè patet „ ex litteris *Joannis de Teneremunda* Abbatis Monasterii *S. S. Cornelii* & „ *Cypriani* datis ad tertiam Maii ejusdem anni, Patroni in spiritualibus il- „ lius loci, volentes ut aliquot Capellani ibi divina celebrarent canerentque „ quotidie septem horas Canonicas. Hanc Capellaniam Generosus ac po- „ tens vir *Arnoldus de Gavera* Dominus de *Raſſenghem*, *Lens* & *Liede-* „ *kercke* vertit in Monasterium Ordinis Carmelitarum, quo autem precisè an- „ no non constat, satis id colligere licet id factum circa annum 1411. ex „ litteris P. Generalis *Joannis Groſſi* eo anno 14. Decembris datis Brugis, „ quibus ut antea Gandavi in Capitulo concluſum erat, designat ex termino „ Gandensi & Bruxellensi Parœcias aliquot pro hoc Conventu (ut litteræ „ sonant) sito & noviter recepto propè Castrum & oppidum Domini de „ Liedekercke vocato vulgariter nostræ Dominæ ad *Mulum*.

„ Cum autem præfatus *Arnoldus de Gavera* uti spoponderat P. Generali „ Carmelitarum se provisurum ulterius de mediis pro XIV. Fratribus ne- „ cessariis, morte præventus, integrè non impleviſſet, amici ejus nepotes „ & neptes suppleverunt per donationem duorum cum dimidio bonariorum „ terræ in Sylvâ Liedekerkanâ anno 1445. uti patet ex his litteris nobis „ gratiosè communicatis ex Monasterio Carmelitarum Aloſtensium ex Flan- „ drico a nobis in Latinum translatis. Nos

Nos Guilielmus de Gavere, Archidiaconus Campiniæ in Ecclesia Leodiensi, Præpositus Trajectensis, Dominus de Rassenghien & Liedekercke. *Cornelius de Gavere* Dominus de Lens, & Herchyes. *Adrianus Villanus* Dominus de St. Jans steene Advocatus Tamisiæ. *Joannes Villanus* Dominus Ædium de Pamele & Leetberghe. Hector Villanus Dominus de Santvoorde. Philippus Villanus Dominus de Mourbeke. Florentius de Saemslacht tam pro se, quam prout tutor suorum Fratrum ac Sororum. *Joannes de Patielles* causa Dominarum de Saemslacht ejus legitimæ conthoralis, & Dominæ *Elisabethæ de Nuewe*. *Guido de Ghystele*, & *Petrus Roubais* pro & nomine Dominæ de *Ghystele* legitimæ ejus conthoralis. *Adrianus*, *Philippus*, & *Joannes de Remerswaele* Domini de Lodick fratres. Domina *Margareta de Remerswaele* uxor legitima *Guilielmi de Cattendyck* auctorizata a suo marito ad sequentem causam faciendam. Et *Antonius Quiret* pro & nomine Dominæ *Joannæ* ejus uxoris, & ut habens facultatem & commissionem a Domino *Philippo de Hynchy* & Dominæ Antoniæ ejus sororis, quos in hac causa comprehendit. Notum facimus omnibus has præsentes litteras visuris & audituris, quod cum probè informati simus, & nobis clarè constet, quod præteritis temporibus, Nobilis, Honorabilis, & Potens Dominus *Arnoldus de Gavere* noster genitor ac progenitor Dominus de Rassenghien, de Lens, & de Liedekercke tempore vitæ suæ fundaverit, & exstrui fecerit Monasterium Nostræ Dominæ ad Mulum in Sylva Liedekerckanâ ad honorem Gloriosæ Virginis Mariæ, & voluerit ut ibidem essent & residerent XIV. Personæ Fratres Ordinis Nostræ Dominæ, dicti de Monte Carmelo, qui ibidem observarent septem horas Canonicas in perpetuum, & quod prædictus genitor noster & progenitor spoponderit Generali Ordinis prædictorum Nostræ Dominæ Fratrum tum temporis existenti, qui antequam consensum præbere vellet, ut prædictum Monasterium ad usum dicti Ordinis consecraretur, voluit ut idem Monasterium dotaret, & talibus censibus provideret, ut iidem XIV. Fratres inde ali possent, cum nulla essent dona, ut exindè prædicti Fratres viverent, & Monasterium constitueretur in saltu silvestri extra & procul ab omnibus hominibus, quæ dotatio & promissio necdum impleta est ut oporteret, hinc metuentes ne anima ipsius desuper gravata foret, & ad eam a prædicta pollicitatione exonerandam, & muneri nostro hac in re satisfaciendum, ac etiam causâ aliarum certarum promissionum, quibus se Prior qui modo vocatus est *Fr. Ghysbertus Strobbe*, & Communis Conventus Fratres infra nominati scilicet *Fr. Guilielmus Rampelberghe*; *Fr. Guilielmus Bontwerckere*, *Fr. Walterus Keersmaeckere*, *Fr. Claudius de Coninck*, *Fr. Joannes de Smet*, *Fr. Henricus Knoop* nobis se obligarunt pro se & successoribus eorum, quod singulis annis in perpetuum pro unaquaque stirpe supra nominatâ jubebunt fieri Anniversarium novem lectionum, & sequenti die Commendationes, & Missam de Requiem cum Diacono & Subdiacono, & pleno Choro, ac quamdiu supra scriptæ stirpes erunt in vivis, celebrabitur annuè pro unaquaque stirpè in vivis una Missa de spiritu Sancto, & vesperi habebuntur vigiliæ ut supra, sicut hoc in Missali ejusdem Monasterii descriptum habebitur, ut omnes id intueantur, & neutiquam permittere possint annihilari, sed in perpetuum duret, & permaneat usque ad diem quo Monasterium exstabit. Ideo nos omnes, & singuli in particulari pro nobis, Successoribus, & hæredibus nostris prænominato Monasterio ad honorem Dei, B. Mariæ Matris ejus Benedictæ ad sacrum officium septem horarum Canonicarum, Anniversaria, Missarum & vigiliarum abundanter satisfaciendum, addidimus, & donavimus, addimus, & donamus angulum quemdam nostræ sylvæ Liedekerckanæ, situm ante idem Monasterium, cujus limes connectitur anteriori angulo agri Monasterii versus occidentem, cujus fundum olim *Henricus Tolvin*, & Domina *Joanna Straters* ejus legitima uxor eidem Monasterio donabant, sic ultra procedendo ab eo angulo ad locum Elsbroucke Monasterii de Afflighem, & angulum certi Elsbrouck, quem dabat quondam *Ægidius de Kempenaere* eidem Monasterio nostræ Dominæ ad Mulum, & sic ulterius procedendo ad torrentem Hoelbeke. Cujus donationis magnitudo tota conficere potest circa duo bonaria cum dimidio paulo minus vel plus. Mediante quo dono & aliis constitutionibus Nos Prior & Conventus supranominatus, quoad nos & Successores nostros, nos habemus contentos & solutos de promissis in toto, quæ prænominatus quondam Dominus *Arnoldus de Gavere* prædecessor noster potuisset promisisse, & exoneramus ejus animam, in quantum in nobis est, coram Deo regni cælestis nunc & in perpetuum, & promittimus supra nominatis hæredibus litteras sigillatas a nostro Generali, quod ipsi in suprascriptis satisfactum

erit, & litteras ejus per has transfigentur in ſignum conſenſus & confirmationis illius quod ſupra ſcriptum eſt. Et quia nos, omnes ſupranominati Domini & Dominæ volumus, & expetimus quoad nos, noſtros hæredes & ſucceſſores, ut hæc præſcripta donatio, & ordinatio valida, firma, ſtabilis, & benè obſervata maneat in perpetuum abſque ulla fraude, & ſine aliquâ revocatione, ideo præſentes litteras noſtris ſigillis uniuscujusque proprio appendente munimus. Et nos Prior & Conventus ſupradictus ſimiliter has litteras ordinario noſtro firmavimus ſigillo. In Notitiam veri-
1445. tatis. Datum Anno Domini M. CCCC. XLV. die XVI. Januarii.

In hoc loco Fratrum Carmelitarum habitatio fuit uſque ad annum 1497. quo die 23. Januarii Auctoritate *Philippi Auſtriæ* Ducis Brabantiæ & Comitis Flandriæ &c. & *Henrici de Berghes* Epiſc. Camerac. migrarunt in Aloſtum, uti ante diximus.

Hic locus & Conventus *De Muylen* per centum & quinquaginta annos derelictus, iterum circa medium præcedentis ſeculi inhabitari cœpit per eoſdem Fratres B. M. de Monte Carmelo, & cum tempore magis, magiſque excrevit & floreſcere cœpit exſtructis novis ædificiis; ita ut hodiè vocetur *Conventus B. Mariæ de Muylem.*

MAZENZEELE, vulgo per Syncopen *Maſeele* nuncupatur, altero lapide ab Aloſto. Præfecturæ Aſcanæ pagus, ad cujus Marchionem ejus Dominium ſpectat, continet ferè 200. terræ bonaria cum agris & ſylvis.

In ſacris Eccleſiæ tutelaris eſt *S. Petrus* Apoſtolorum Princeps, titulo ad vincula. Ejus Patronatum gerit Archiepiſcopus hujus Diœceſis jure Abbatialis Affligemienſis. Potior pars decimarum ſpectat ad Parochum, etiam illa quæ nuper fuit præfatæ Abbatiæ, quam ei ceſſerunt. Menſa S. Spiritus, & Matricularius in iis notabilem aliquam partem habent.

MELDERT, primo milliari cum quadrante ab Aloſto. Præfecturæ Aſcanæ pagus ſpectans ad ejus Marchionem.

Eccleſia ſacra eſt *S. Walburgi* Virg. & Mart. Patronatus ejus ſpectat ad Archiepiſcopum hujus Diœceſis jure Abbatialis Affligemienſis. Decima eſt tripartita cujus duæ trientes ſpectant ad hanc Abbatiam, altera triens ad Parochum, cui præfata Abbatia in ſupplementum annuè ſolvit 125. flor. Eccleſia certam partem habet decimarum minorum tertiæ partis.

Hic loci eſt Sacellum *S. Petronillæ* Virg. & Mart. quod frequenter a populo vicino viſitatur & frequentatur, maximè die 31. Maii.

In hac Parochiali olim ſepulturæ locum habuit teſte *A. Sandero* in Affligemio *Henricus de Aſca* Abbas XXI. Affligemienſis.

Intra limites hujus pagi ſita eſt pro magnâ ſuâ parte Illuſtris Abbatia Affligemienſis.

Abbatia Affligemienſis. Hæc Abbatia initium ſumpſit Anno M. LXXXIII. De anno fundationis legi olim ſolebant apud Affligemienſes hi verſiculi.

Annus Millenus Octogenus quoque ternus
Dum fertur, Locus hic Principium reperit. . .

Hæc Abbatia primaria eſt totius Brabantiæ, Ord. S. Bened. cujus Abbas primus Prælatus eſt Ducatus Brabantiæ; ſita eſt ſub Præfecturâ Aſcanâ, a quo loco diſtat primo lapide ferè cum dimidio, ab Aloſto primo, a Bruxella quarto, cujus tale fuit initium.

We-

Wetherico Monacho *S. Petri* Gandavi longe latèque contra ſeculi vitia acriter concionante, ſex viri Nobiles, (quos ævo iſto milites vocabant), ſacris ipſius concionibus ad pœnitentiam ſunt converſi, quorum nomina *Gerardus Niger*, *Emelinus*, *Hargerus*, *Wibodo*, *Geldulphus*, & *Tibaldus*. Hi factâ prius humili peccatorum confeſſione *S. Annoni* Colonienſi Archiepiſcopo, ad quem a *Weterico* miſſi pro pœnitentiâ fuerant, Anno 1083. in Vigiliâ Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, locum quemdam deſertum, ac Sylvis horridum *Affligen* dictum, hodie *Affligem* (qui prius fuerat ſpelunca latronum) petierunt, & incolere cœperunt, ubi melioris vitæ initia poſuêre, qui omnibus abjectis, ita nudi ad ædificandum clauſtrum convenerunt (verba ſunt *Sigeberti* in Chronico) ut nihil ſecum præter panes tres, dimidium caſeum & pauca ferramenta detulerunt. Mox acceſſêre duo Milites *Gerardus Albus* & *Heurardus* crudelitate & ſceleribus famoſi, dein pœnitentiâ celebriores.

Tum a *Gerardo II.* Cameracenſium Epiſcopo habitum Monaſticum & magiſtros a quibus Monachicum Ordinem diſcerent expetunt. Hos ab *Alardo* Abbate Aquicinctino obtinuerunt, nempe *Titubaldum* Priorem & *Rodulphum*, qui paulo poſt revocati ſunt. Vix tribus annis exactis ab eodem *Gerardo* in honore S. S. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* Eccleſiam dedicari faciunt, Comitiſſa *Adela* cum duobus filiis ſuis *Henrico* & *Godefrido* ad ædificandum inibi Cœnobium eundem locum libertate donarunt, eoque tempore Affligemium venerunt *Fulgentius* & *Herimannus* Monachi *S. Agerici* Cœnobii Virdunenſis.

Hic *Fulgentius* (qui ex Gallo-Brabantiâ oriundus erat) electus eſt primus Abbas Anno 1088. in feſtivitate *S. Martini*, annoque ſequenti Benedictionem Cameraci a præfato *Gerardo* Epiſc. in feſtivitate *S. Gregorii* accepit, varioſque Nobiles, & opibus potentes ad pœnitentiam & habitum admiſit.

Fundata ac dotata eſt hæc Abbatia ab *Henrico III.* Comite Lovanienſe & Brachbantenſe anno 1086. Diploma refert *A. Miræus* pluribus locis ut ſequitur.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego HENRICUS, divinâ propitiante clementiâ, BRACBATENSIS PATRIÆ COMES & ADVOCATUS, omnibus tam præſentibus quàm futuris fidelibus, omne datum optimum & omne donum perfectum, deſcendens à Patre luminum.

Notum vobis facimus qualiter miles quidam meus, GERARDUS nomine, cum aliis quibuſdam, quos æquè divina gratia & prævenit & ſubſecuta eſt, balteo militari depoſito, ut meliorem invenirent hereditatem, militiam Jeſu Chriſti profeſſi ſunt, & in Comitatu meo, loco ab Antiquis HAFFLINGEM vocato, modo autem *novo Monaſterio* appellato, habitationem ſaltuoſam adhuc & deſertam elegerunt, ut quanto amplius remoti à ſecularibus, tanto ſub regula beati Benedicti Deo ſervirent familiariùs.

Erexerunt autem Eccleſiam in honore beati Petri Apoſtolorum Principis, ut ubi antea erat ſpelunca latronum: habitatio inciperet tandem rectè viventium, & qui erat locus rapinæ & homicidii, mutaretur in poſſeſſionem pacis & fructûs eleëmoſynarum.

Quoniam vero locus ipſe ad Comitatum noſtrum hereditario jure videbatur pertinere, * Ego fraterque meus GODEFRIDUS, ab eiſdem exorati fratribus, de allodio noſtro, quod ibi juxta in villa, quæ dicitur Aſca, tenuimus, XX manſos uſui noſtro ſubtraximus & pro remedio animarum noſtrarum, omniumque anteceſſorum noſtrorum, legitimè & ex toto liberè ad altare ipſius Eccleſiæ tradidimus: præterea, quoniam ſæpiſſime probata valde nobis placuerit militaris eorum induſtria, tam pro ſeculari eorum amicitia, quàm pro remuneratione divina, de eodem alodio adja-

* *Scilicet Henricus.*

cente, & ad servitium nostrum remanente, in silvis & pratis, in campis & pascuis, in piscationibus & venationibus, omnem eis usum habere nobiscum.

* *Aliàs Wavria.*

Ut autem per amplius beneficium, majus ad Dei servitium creseeret eis desiderium, Capellam nostram liberam in * *Wavera* subterius sitam, cum tota decimatione superioris Ecclesiæ, cum debita instituendi Presbyteri subjectione, cum terris insuper aliquibus nostræ culturæ subsistentibus, cum teloneo & † maceria, cum molendinis, & curtibus ad nos in eadem villa pertinentibus, huic traditioni legitimè addidimus.

† *Aliàs madharia.*

Quod si, ut verè de misericordia Dei præsumimus, ad meritum eorum accesserit, & numeris Abbatem eligere, baculumque super altare positum ipsi committere, nullo Principe, nullo Episcopo contradicente, in eorum regulam eligatur, qui eligendus est, & per ostium Jesu Christi ingrediatur, qui ordinandus est, remotâ omni alienâ contradictione, & suspectâ occasione. Nos verò de aliqua sibi illata injuria, si appellare voluerint, quasi pro animabus nostris, pro eis nos exponemus, nec quidquam aliud de loco illo nisi orationes fratrum & Dei retributionem recipere volumus.

Et ut hæc nostra traditio vel condictio omnibus retro seculis rata & inconvulsa permaneat, chartâ & atramento rem, uti est, notamus & roboramus. Ante omnia Dominum Omnipotentem & Sanctos ejus citamus, & fideles nostros, qui huic traditioni interfuerunt, idoneos testes subterstignamus.

Steppo Brussellensis, & frater ejus Walterus.
Balduinus de Alost. Gerardus de (*a*) Cumberfaca.
Adalbertus (*b*) Snakart. Theodericus de Budenghem.
Anselmus de Erpe. Sigerus frater ejus.
Herebrand de (*c*) Hordingoschen.
Folcardus & Godescalcus filii ejus.
Ingelbertus (*d*) Kalvarstert. Sigerus (*e*) Anderlechtensis.
Onulfus de (*f*) Milverschem. Gillebertus de Laca.
Arnulfus & Otbertus de Ordengehem.
Henricus Cameracensis Ecclesiæ Canonicus.
Adelardus Canonicus, & Godeso & Meinerus, Clerici de Lovania.
Joannes Canonicus de Petingehem.
Gerardus de Leneca. Godefridus de Lathem.
Franco. Amandus. Hugo de Brussele.
Amulricus de Bekensele. Sigerus de Alost.
Walterus de Ascha. Walterus de Hamme.

(*a*) *Aliàs Cimberlaca*
(*b*) *Aliàs Makart.*
(*c*) *Aliàs Haingelthem.*
(*d*) *Aliàs Kalvartertus.*
(*e*) *Handertensis.*
(*f*) *Aliàs Vultmerhem.*

1086. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo octogesimo sexto, regni verò *Henrici* Regis triceſimo quinto, Præsulatûs *Gerardi* Episcopi decimo.

Anno 1096. *Ida* Comitissa Bolonienſis (filiis ſuis *Godefrido Bullonio, Eustathio & Balduino* consentientibus) Ecclesiam & Decimas Genapiæ dat Monasterio Affligemiensi hoc Diplomate.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

Ego IDA Bolonienſis Comitissa, humilis Christi ancilla, cunctis in fide manentibus gaudia promereri promissa fidelibus.

Notum fieri cupio, tam præsentibus, quàm futuris, signum meæ dilectionis, erga Dominos meos & fratres, videlicet Monachos Cœnobii NOVI MONASTERII, cui vocabulum HAFFLINGEM inditum erat ab antiquis. Quoniam quidem mihi multisque eorum complacuit conversatio, & religionis affectus, dignum duxi me commendare talium orationibus, nec in incerto divitiarum sperare, sed has potiùs cum eis participare.

Igitur in alodio meo & villa, quæ vocatur GENAPIA, pro salute animæ meæ, patris quoque mei Ducis GODEFRIDI, & Comitis EUSTATHII Domini mei, Ecclesiam cum decimis & universis ejus reditibus, firmiter perpetuoque jure tenendam dedi supradictis fratribus, in idipsum filiis meis GODEFRIDO, EUSTATHIO & BALDUINO, mihi cooperantibus.

Filius quoque meus Dux GODEFRIDUS in eadem villa *Genapia* quinque mansos terræ donavit iisdem fratribus, ad quos ego postea in augmentum concessi quasdam par-

partes circumjacentes planè sextum mansum continentes, ab omni comitatu, & censu tributario liberas & expertes.

Insuper autem quidquid sibi vendicabant, quippe quod à prioris doni tempore possederant, & usibus suis assignaverant, sive in silvis, sivè in pascuis, sive in satis, eis concessi eâdem libertate, quâ tenui, sed & omne participium in silva, & reliquo usurario communi, in hoc nihilominus filiis meis consentientibus mihi.

Factum est autem hoc apud *Trajectum*, in Ecclesia S. SERVATII Confessoris, *Maestricht.* præsentibns etiam Reliquiis S. GERTRUDIS Virginis, pro simili negotio illuc tunc allatis. Ut autem hæc traditio omnibus retrò sæculis rata & inconvulsa permaneat, omnem rem, uti gesta est, litterarum memoriæ commendamus, & sigillis nostris Ego & GODEFRIDUS filius meus roboramus, & testes idoneos, qui huic rei interfuerunt, subterscignavimus.

Signum Lamberti nostri Capellani.
S. Roberti Capellani.
S. Gerardi Comitis de Gelre, & fratris ejus Henrici.
S. Godescalci de * Jacen.
S. Henrici de Cuck. S. Arnulphi de Rode.
S. Cononis de † Montaut.
S. Theoderici de Bemel.
S. Henrici de Birbaica.
S. Balduini de Osteruic.
S. Walteri de Grimberges.
S. Reineri Advocati Leodicensis.

* *Fortè Jacea.*

† *Fortè Monte-acuto.*

Denique de scriptis testibus & illud notum facimus, quod Comes HENRICUS, qui eamdem villam in beneficium à nobis tenuit, duobus annis, antequam hæc donatio confirmaretur, nobis reddiderit, ad opus fratrum, quod ad eum pertinuit.

Factum est autem hoc Incarnationis Domini anno millesimo nonagesimo sexto, 1096. Indictione quartâ, regnante Domino nostro Jesu Christo *, anno etiam profectionis Christianorum contra Paganos Jerusalem.

* *Hic mendum, vel aliquid omissum.*

In Ecclesia Affligemiensi conditi sunt *Godefridus Barbatus*, Dux Inferioris Lotharingiæ, Comes Lovaniensis &c. præfati *Henrici* sine filiis defuncti frater ejusque successor, primarius hujus Monasterii benefactor, qui illud multis prædiis auxit, ac recensetur velut alter fundator. Obiit 1140. *Henricus* Comes Lovanienſis præfati *Godefridi* filius, qui in hoc Monasterio Monachus effectus, cito a Deo ex hac vitâ vocatus, obiit 1141. *Aleydis* præfati *Godefridi* filia nupta *Henrico I.* Anglorum Regi. *Maria Philippi* Francorum Regis filia, uxor *Henrici I.* Brabantiæ, quæ obiit 1238. & multi alii nobiles, qui hanc Abbatiam plurimum dotarunt.

In hac Abbatia vivendi finem fecit *D. Antonius Sanderus* scriptis editis clarissimus & notissimus, quæ pleraque Bibliotheca Belgica *Valerii Andreæ* recenset. Vir de Antiquitate Belgicâ præsertim Ecclesiasticâ præclarè meritus, conditus hîc ante aram *S. Mauri* in anteriori Ecclesiâ, ubi vivus sibi Sepulchralem posuerat lapidem, inscripto hoc sibi Epitaphio, ab eo dum viveret composito.

D. O. M.
Antonius Sanderus
Presbyter hic positus,
Piis fidelium precibus
Me Commendo,
Et a misericordia Christi expecto
Donec veniat immutatio mea.
Amen.

Poſt ejus ex hac vita diſceſſum, annus obitus ejus apponi neglectus fuit, qui fuit annus 1664. uti notatum vidimus in *A. Ciaconio* De Vitis Romanorum Pontificum & S. R. E. Cardinalium Tom. IV. editionis Romanæ 1677. pag. 718.

Vifebatur olim in hoc Monaſterio B. Virginis *Mariæ* ſtatua, quam cum *S. Bernardus* Abbas Claræ-vallenſis, cum hic moraretur, de more ſalutaſſet, dicens AVE MARIA, illam protinus reſpondiſſe AVE BERNARDE, idque contigiſſe fertur ſub *Godeſcalco V.* Abbate, teſte Chronico Gemblacenſe. Hæc imago dein Affligemii fuit apud omnes in ſummâ veneratione. Ea in Ulnis *Chriſtum* geſtabat, ſculpta ex candido & molliori lapide, aut ſanè huic ſimillimo, arenâ nigrâ nonnihil inſperſo (quem Brabanti *Lavenderſteen* nuncupant) longitudine hominis mediocris, hoc eſt, quinque & amplius pedum, velo ex capite dependente in humeros. Locus autem quo primitus conſtituta permanſit, & honorata fuit centenis aliquot annis, eſt in clauſtro ſive ambitu Monaſterii juxta oſtium, quo ex illo in dormitorium aſcenditur. Ubi & ejuſdem baſis ipſa modo viſitur, eminens ex parte parietis antiquioris Eccleſiæ, ubi etiam alia modo conſtituta eſt Deiparæ Virginis ſtatua cum hac ſubſcriptione.

Virginis hancce piæ ſtatuam venerare Mariæ,
Præterienſque cave, ne taceatur Ave.

Præfata hæc Deiparæ Statua circa annum 1580. durante in Belgio fanatico Geuſiorum tumultu, a protervo nebulone ex baſi ſua projecta, & confracta fuit, putans ligneam eſſe, ut inde ignem ſtrueret, ex cujus dein confractis partibus duæ ſculptæ ſunt, quarum una Affligemii adſervatur, altera Patribus Societatis *Jeſu* Bruxellæ a Priore donata, quam in Collegium ſuum Bruxellenſe inferentes ibidem privato domeſticorum cultu expoſuerunt. Quæ tamen aliquot annis poſt Affligemienſibus reddita eſt, & *Waveræ* collocata, ibidem impenſius colitur.

Monumenta Affligemienſia tradunt, quum idem *Bernardus* anno circiter 1148. Affligemienſium Sanctam vitam oculis uſurpaſſet, ita pronuntiaſſe fertur: *Ubique inveni homines; hic vero Angelos* Deinde quod ibidem duas habuerit conciones ad Monachos Affligemienſes, quibus eos fruſtrâ ad Ciſtercienſe ſuum inſtitutum pertrahere conatus eſt.

Hinc vero diſcedens in amoris ſui ſymbolum, partem baculi ſui Paſtoralis ibidem reliquit. Fuit hæc Pedi ejus Abbatialis pars ſuperior, quæ ut plurimum illuſtrior & ornatior, fuſa eſt ex cupro ſive ære rubro inaurato, nullo tamen ſumptu aut ſplendore elaborata, quæ ibidem in hodiernum diem religioſè adſervatur.

In Choro hujus Monaſterii viſitur artificioſè conſtructa ara marmorea, & in eâ tabula e pereleganti manu & penicillo *Petri Pauli Rubenii*, quæ Chriſtum bajulantem crucem ad montem Calvariæ repræſentat, quæ omnes in ſui admirationem rapit, cujus prætium æſtimatur ultra decem florenorum millia. Sedilia Religioſorum in Choro ſummâ arte & artificio elaborata ſunt; ita ut Belgium vix ſimilia videat.

In Refectorio viſiter inſignis tabula depicta a *Gaſpare de Crayer* pictore celeberrimo, quam intuens præfatus *P. P. Rubenius* ejus quondam magiſter. magnis laudibus extuliſſe fertur. Repreſentat Hiſtoriam quo modo *Totila* Gothorum Rex exploraturus an *S. Benedictus* haberet ſpiritum Propheticum, Spatarium ſuum ornatu regio ad eum mittit qui ſe Regem ſimularet.

Ad

Ad laudem hujus Abbatiæ accedere potest, quod & generosa fuerit, atque fecunda aliorum quorumdam Religiosè servientium locorum mater. Scilicet Abbatiæ *S. Andreæ* juxta Brugas *Vlierbacensis* propè Lovanium, *Bornhemii* (quondam etiam Abbatia) nunc Prioratus, & *Wavriæ* celebris etiamnum in Gallo-Brabantiâ Prioratus, sicut & de *Fraxinea* (vulgo *Fresne*) quæ similem titulum habuit.

Ad non minorem etiam ejus laudem facit, quod ex Affligemiensi Monasterio plures ad alias Ecclesias assumpti fuêre Abbates, inter quos V. primi Abbates Vlierbacenses, qui omnes fuêre ex hoc Monasterio, dein *Joannes Hantaert* item Abbas Vlierbacensis anno 1567. *Petrus Coels* dictus *Glymes* Abbas Vlierbacensis anno 1571. *Ghiselbertus V.* Abbas Eenamensis dein anno 1132. Electus Abbas *S. Petri* in Monte Blandinio juxta Gandavum. Obiit ibidem anno 1138. *Snellardus VI.* Abbas Eenamensis. *Arnulphus VIII.* Abbas Eenamensis. *Gislebertus* Abbas IX. Eenamensis. *Sigerus* Abbas XIII. Eenamensis. *Gerardus III.* Abbas Eenamensis XXVIII. *Otho ab Hasten* XXIX. Abbas Eenamensis. *Guilielmus de Mechlinia* Prior in Wavriâ, electus Abbas ad S. Trudonensem qui obiit 1297. *Joannes de Hessen* Abbas Lobiensis anno 1483. *Cornelius Wampach* Bruxellensis Abbas XXV. Munsterensis prope Luxemburgum anno 1549. *Martinus Masius* ex pago Meerbeck Abbas LX. Epternacensis Anno 1569. & *Henricus Zypæus* Mechlinensis ex Præposito Affligemiensi, Abbas *S. Andreæ* juxta Brugas anno 1616.

Affligemii olim fuit illustris & instructissima Bibliotheca de quâ *L. Guicciardinus* in suâ descriptione Belgicâ ita loquitur. „ Est in hoc Cœnobio ce„ leberrima Bibliotheca, variis omne genus libris instructa; adeo quidem ut „ quod ad libros antiquos habeatur pro locupletissima & laudatissima uni„ versi istius tractus. " Non parva eorum pars, Codices erant M. S. e quibus a viris eruditis plures citantur & laudantur. *F. Haræus* in suis Annalibus Brabantiæ passim *Auctuarii Affligemiensis*, non semel integros periodos inseruit : quod ipsum *Auctuarium A. Miræus Sigeberto* Gemblacensi subjecit, ex *Lipsiano* M. S. ut ait codice, & publici illud juris fecit Anno 1608. Qui tamen M. S. Codices prô dolor! jam evanuerunt, & alienas Bibliothecas exornant.

Anno 1643. Librorum Manuscriptorum restantium Indiculum Bibliothecæ Affligemiensis, collegit *Odo Cambier* Bibliothecarius & Monachus Affligemiensis, quem typis evulgavit *Antonius Sanderus* in suâ Bibliothecâ Manuscriptâ parte II. anno 1644. Insulis typis Toussani de Clercq. in 4. Ubi inter alios M. S. codices in hoc Indiculo refert pag. 148. Monasterii Affligemiensis Chronicon ab anno 1083. usque ad annum 1637. studio V. D. *Huberti Valesii* Supprioris ejusdem Monasterii, qui obiit anno 1638.

Nos cum anno 1717. Bibliothecam hujus Monasterii lustravimus, nullos M. S. Codices in eâ vidimus, vel nobis ostendi potuêre, neque quod avidè desiderabamus præfati *H. Phalesii* Chronicon Affligemiense. Dolendum tamen tantum thesaurum Antiquitatis Manuscriptorum Codicum, quem majores eorum incomparabili labore & sumptu non modico acquisierunt, tam brevi temporis spatio ipsis ereptum.

Porro in Spicilegio Antiquitatum Domni *Lucæ d'Achery* exstat Tom. X. Historiæ Affligemiensis Liber unus incerto auctore, ex quo etiam plura hausimus.

Vidimus tamen anno 1723. quo hæc scribimus in Affligemio aliud M. S. Chronicon ejusdem Abbatiæ præfati *Odonis Cambier*, amplum & accura-

tum quod anno 1651. morte præventus & typis paratum hactenus ineditum est, cui annexa erat censura *J. Mantelii* Augustiniani S.T.D. anni 1650; quod utinam aliquando publicam lucem aspiciat.

Anno 1627. Viri Venerabiles *Benedictus Haeftenus* Præpositus hujus Monasterii, *Hubertus Phalesina* Bornhemiensis & *Michael a Porta Wavriensis* Priores, cum novem sociis reformatum sive primitivum Benedictinæ Regulæ institutum juxta ritum Congregationis *S. S. Vitoni* & *Hidulphi* apud Lotharingios, patrum memoria excitatæ, sunt amplexi, & expleto anno unius tyrocinio solemnem professionem die festo *S. Lucæ* fecerunt, Illustrissimo ac Reverendissimo *Jacobo Boonen* Archiep. Mechl. præsidente, & duobus Abbatibus *S. Dionysii* propè montes Hannoniæ & *S. Adriani* apud Gerardimontenses ibidem præsentibus ac laudantibus.

Hinc erecta fuit nova Congregatio *S. Placidi*, seu Monasteriorum *S. Benedicti* Reformatorum in Belgio, quæ sunt numero quinque, *S. Huberti* in Ardennâ, Affligemiense in Brabantiâ, Gerardimontense in Flandriâ, Gislenopolitanum & San-Dionysianum in Hannoniâ.

Hæc Abbatia regitur per Præpositum ibidem constitutum, quorum seriem hic infra damus.

ABBATES AFFLIGEMIENSES.

I. Fulgentius, ex Gallo Brabantiâ oriundus, Monachus *S. Agerici* propè Virdunum, electus est primus Abbas anno 1088. Suscepit anno 1099. Cellam *Fraxineam* regendam, Anno 1120. Cellam *S. Andreæ* prope Brugas, Anno 1096. *Forestum* prope Bruxellam; *E. Dinterus* refert anno 1105. Anno 1120. Cellam in *Bornhem*, Abbate ejus & Canonicis Monachis factis; hodie est Prioratus ab Affligemio dependens. Notandum quod Benedictini olim suos Prioratus & minora Monasteria Cellas vocarent. Vivere desiit 1122. post mortem Miraculis clarus.

II. Franco, Variorum librorum Scriptor doctissimus, multa per eum constructa sunt. Anno 1125. *Fliderbacum* Cœnobium juxta Lovanium suscepit regendum a *Godefrido Barbato* Brabantiæ Duce. Item anno 1132. Majorem Bigardiam. Obiit die 13. Septembris 1135.

III. Albertus. Oneri ac dignitati mox cessit. Dein Mortuus 28. Septemb. 1144.

IV. Petrus. cessit eodem anno quo electus 1146. Mortuus 30. Novemb. 1147.

V. Godescalcus. Hujus tempore *S. Bernardus* Abbatiam Affligemiensem invisit & laudavit. Item sub eo *Fliederbacenses* ab omni subjectionis jure quo Affligemiensibus erant obnoxii, anno 1159. sunt absoluti, concessumque e suo corpore Abbates assumerent. Cessit anno 1164.

VI. Arnulphus. ex Priore, ab Eenamensibus Abbas electus, abdicante *Godescalco* anno 1168. ab Affligemiensibus in Abbatem est repetitus mortuus anno 1177. *Arnulpho* mortuo *Godescalcus* iterum Abbas electus est, sub eo anno 1187. Prioratus *S. Andreæ* juxta Brugas, agente *Willelmo* Archiepiscopo Remensi, & *Philippo Alsatio* Flandriæ Comite proprium Abbatem accepit. Obiit anno 1194. vel sequenti.

VII. Sigerus de Craynhem. Nobili ortus Prosapia. Obiit anno 1198.

VIII. Wilhelmus I. abdicavit dignitatem. Anno 1203.

IX. Robertus. Obiit 20. Aprilis anno 1224.

X. Wil-

X. Wilhelmus II. Obiit 10. Aprilis 1242.

XI. Joannes I. hic adfuit e vitâ migranti *S. Lutgardi* Virg. in *Aquiria* Abbatiâ Ord. S. Bened. in Gallo-Brabantiâ anno 1246. Obiit 16. Aprilis Ao. 1261.

XII. Henricus I. Obiit 22. Februarii 1264.

XIII. Henricus II. Obiit 10. Januarii 1301.

XIV. Wilhelmus Loefius. Vixit anno 1311.

XV. Joannes II. Obiit 1. Januarii anno 1314.

XVI. Thomas, ſub quo Anno 1333. Flandri cum Brabantos peterent, Affligemium combuſſerunt cum pluribus pagis vicinis. Vitâ abiit Anno 1334.

XVII. Joannes III. ejus anni obitus ignoratur.

XVIII. Joannes Wolmeroy, dignitate volens & liberè ſe exuit anno 1370.

XIX. Almericus Tayus, a *Gregorio XI.* ſibi & ſucceſſoribus Mitræ, Annuli & Pontificalium uſum obtinuit. Obiit 28. Auguſti Anno 1398.

XX. Henricus de S. Gaugerico, natus Bruxellæ familia Patriciâ. Obiit 9. Maii anno 1413.

XXI. Joannes Alphius, abdicavit onus & dignitatem Anno 1425. & obiit anno 1429.

XXII. Henricus de Asca, Nobili ſtirpe ortus, abdicavit, & ceſſit. Mortuus die 16. Januarii 1474. ſepultus in Meldert.

XXIII. Goswinus Herdincx. Obiit 1493. poſt cujus mortem electus eſt Abbas *Giſelbertus Marſelarius*, qui palam inidoneitatem ſuam prædicans reſignavit, Prioratu Waverenſi contentus.

XXIV. Guilielmus Michaelis, ex Priore Fraxinenſi, & reſignante prædeceſſore electus Abbas. Romam profectus, oblatam a *Julio Papa II.* Cardinalitiam dignitatem recuſaſſe memoratur. Romæ exiſtens impetravit exemptionem Monaſterii ſui ab omni juriſdictione Epiſcopali, 1512. reſignavit anno 1516.

XXV. Guilielmus de Croy, ex Illuſtri Croyorum genere ortus, ex præſcripto Julii II. Papæ emiſit prius Profeſſionem, mox fuit Coadjutor *Guilielmi* ſui prædeceſſoris, cui anno 1516. dignitatem reſignavit. Anno 1517. creatus S. R. E. Cardinalis & Archipiſcopus Toletanus. Obiit præmaturâ morte in Comitiis Wormatiæ, anno 1521. die 5. Januarii, ætatis ſuæ XXIII.

XXVI. Carolus de Croy, *Guilielmi* Frater, itidem hic profeſſus ante completum tyrocinii annum diſpenſante ſummo Pontifice, dein anno 1524. Epiſcopus Tornacenſis, & anno 1528. Abbas *S. Giſleni*, & Altimontenſis rexit ad annum 1564. quo mortuus, apud *S. Giſlenum*, Ord. S. Bened. Abbatiam, in ſplendido monumento quod ſibi vivus paraverat, tumulatus.

Electus eſt inde Abbas *Arnoldus Motmannus* Præpoſitus Affligemienſis, & litteris *Philippi II.* Hiſp. Regis confirmatus, dignitatem iniit anno 1565. menſe Majo. Verum cum interea in erectione novorum per Belgium Epiſcopatuum, *Pius IV. Affligemium* Archiepiſcopatui Mechlinienſi incorporaſſet, coactus eſt cedere, ac Waveræ Prior ſimulque Fraxinæ conſtitutus inſigni virtute claruit. Mortuus ibidem anno 1597. die 14. Junii.

Diploma Incorporationis hujus Abbatiæ Archiepiſcopatui Mechlinienſi profertur in Supplem. Diplom. *A. Miræi* Parte II. Cap. CLIX. ut ſequitur.

Ex MS. Archivis Archiepiſcopatûs.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, cui, ex ſuſcepti Officii debito, Eccleſiarum & Monaſteriorum omnium cura imminet generalis, ipſarum Eccleſiarum, & præſertim Metropolitanarum, eiſque præſidentium Perſonarum, quas in partem ſollicitudinis Altiſſimus evocavit, neceſſitatibus, ne illas debitâ ſuſtentationis ope deſtitutas in temporalibus plura pati incommoda contingat, per opportunæ ſubventionis præſidia providenter occurrit, & de Monaſteriis ejuſdem interdum, etiam antequam vacent, diſponit, prout locorum & temporum qualitate penſatâ, conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Cum itaque, aliàs felicis recordationis PAULUS Papa IV. Prædeceſſor noſter conſiderans, eam partem inferioris Germaniæ, quæ chariſſimo in Chriſto Filio noſtro PHILIPPO Hiſpaniarum Regi Catholico etiam tunc hereditario jure ſubjecta erat, paucos habere Epiſcopos, nullumque Metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo, ac longè lateque diffitorum Caſtrorum & Pagorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma, & vitæ inſtitutum, aſſiduæque hæreticorum, à quibus illa undique ferè cincta atque obſeſſa erat, inſidiæ expoſtulabant: his & aliis gravibus cauſis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis fidei ſuccurrere, pioque deſiderio dicti Philippi Regis ſatisfacere, Mechliniam, olim Oppidum Cameracenſis Diœceſis à ſua Diœceſi & Provincia diviſeret & exemerit, illudque in Civitatem; ac S. Rumoldi illius Eccleſiam in Metropolitanam Eccleſiam pro uno Archiepiſcopo, cum Menſa Archiepiſcopali, & aliis Metropolitanæ Eccleſiæ inſigniis erexerit, & inſtituerit,

Ac dictæ Menſæ pro ejus dote annuum redditum quinque millium ducatorum auri de Camera ex certis decimis & bonis, ac fructibus, redditibus, & proventibus Eccleſiaſticis per Nuntium ſuum poſtmodum ab eo illuc mittendum ſpecificandis, & repartiendis, ex tunc prout ex ea die, & è contra, poſtquam ſpecificati & repartiti forent, etiam perpetuò applicaverit & appropriaverit, per quaſdam ſub plumbo, & deinde per alias in forma Brevis Literas ſuas dotem ipſam à certis Monaſteriis & Præpoſituris diſmembrari mandaverit, prout in ſingulis Literis prædictis pleniùs continetur.

Nos cupientes Menſæ prædictæ de congrua dote providere, piumque & laudabile inſtitutum Prædeceſſoris hujuſmodi proſequi, atque confovere, animadvertenteſque quod per diſmembrationes hujuſmodi, inveteratus cultus Monaſticus læderetur; per unionem verò alicujus ex ipſis Monaſteriis eidem Menſæ, loco diſmembrationum hujuſmodi, ſi fieret, Archiepiſcopus præfatus Monaſterii ſic uniti curam ſeduliùs gereret, & in illud devotionis vel quietis cauſâ interdum ſecedere poſſet, Monaſterium Sanctorum Petri & Pauli Affligemienſe Ordinis S. Benedicti, olim Cameracenſis, nunc verò Mechlinienſis Diœceſis hujuſmodi, cujus Abbas pro tempore exiſtens, primus Prælatus in Ducatu Brabantiæ habetur,

Præeminentia Abbatiæ Affligemienſis.

Cum primùm illud per ceſſum vel deceſſum dilecti Filii moderni illius Abbatis, etiam apud Sedem Apoſtolicam, aut aliàs quovis modo & ex cujuſcumque perſona vacare contigerit, vel etiam ſi nunc, ut præfertur, vacet, & tanto tempore vacaverit, quod ejus proviſio juxta Lateranenſis Statuta Concilii aut alias Canonicas Sanctiones ad Sedem eandem legitimè devoluta exiſtat, & illa ex quavis cauſa ad Sedem eamdem ſpecialiter & generaliter pertineat; ac ſuper dicti Monaſterii regimine & adminiſtratione inter aliquos lis, aut ſuper illorum poſſeſſorio, vel quaſi, moleſtia, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa;

Cum omnibus juribus, juriſdictionibus, & pertinentiis ſuis, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, Menſæ prædictæ, ita quod ex tunc deinceps dilecti Filii Conventûs dicti Monaſterii, & ſingulares illius perſonæ Archiepiſcopo Mechlinienſi pro tempore exiſtenti ſicuti Abbati in omnibus & per omnia ſubſint, eique promittant & præſtent obedientiam, prout olim ipſi Abbati præſtare tenebantur; liceatque eidem Archiepiſcopo per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem, ſeu quaſi, regiminis & adminiſtrationis, ac bonorum ejuſdem Monaſterii propriâ Auctoritate liberè apprehendere,

&

& perpetuò retinere, illiusque fructus, redditus, & proventus in suos, ac Mensæ, & Monasterii prædictorum usus & utilitatem convertere;

Nec non omnia & singula Prioratus, Præpositus, Dignitates, Personatus, Administrationes, & Officia, cæteraque Beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem, & quamvis aliam dispositionem pro tempore existentis Abbatis dicti Monasterii, communiter vel divisim quomodolibet spectantia, illorum pro tempore occurrente vacatione, personis idoneis conferre, & de illis etiam providere, ac similes personas ad illa præsentare, & eligere, præsentatasque, & electas in illis instituere, & confirmare, ac aliàs de illis liberè disponere, Monasteriumque & Conventum hujusmodi sub Præposito Reformato in Reformatione facta in Capitulo Generali Bursfeldensi nuncupato dicti Ordinis ab annis ferè quadraginta in ipso Monasterio recepta dirigere;

Ac his quæ ad honestum vitæ usum, & ejusdem Monasterii eleëmosynas, ac Divini Cultûs in eo, & Conventûs ipsius conservationem & sustentationem solitas & consuetas ac debitas pertinent, prospicere, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ, de Fratrum nostrorum consilio Apostolicâ Authoritate tenore præsentium perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus, curam dicti Monasterii, ac hujusmodi Regimen, & Administrationem eidem Archiepiscopo in spiritualibus, & temporalibus plenariè committendo, bonaque, nec non fructus, redditus & proventus Monasterii hujusmodi dictæ Mensæ pro illius dote constituendo & assignando. Non obstantibus Lateranensis Concilii noviſſimè celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus à Jure permissis, fieri prohibentis; nec non felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis Constitutionibus, ac Monasterii & Ordinis prædictorum juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prædictas Divinus Cultus, & solitus Monachorum & Ministrorum numerus in dicto Monasterio nullatenùs minuatur, sed ejus, & Conventûs eorumdem congruè supportentur onera consueta.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc Paginam nostræ unionis, annexionis, incorporationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. D. LX, sexto Idus Martii, Pontificatûs nostri anno secundo. 1560.

Erat Signatum: CÆS. GLORIERIUS.
Et in plica: A. DE ALEXIIS.
Sub plica vero: FED. CARDINALIS CÆSIUS.

PRÆPOSITI AFFLIGEMIENSES
a tempore quo Abbatia hæc Archiepiscopatui fuit unita.

I. HUBERTUS DU BRAY, Præpositus creatus est Anno 1602, qui in eâ dignitate obiit Anno 1605.

II. JUDOCUS COBBARTIUS, præcedenti successit cum titulo Prioris, non Præpositi Anno 1605. qui Anno 1612. Prioris officio se abdicare jussus, Duacum ad studia Theologica mittitur ab Archiepiscopo, inde non multo post Bornhemium revocatus, tædio præsentium, an vitæ perfectioris desiderio ad Franciscanos, quos Recollectos vocant transiit, & piè apud eosdem vitam exegit.

III. HENRICUS VANDEN ZYPEN, ampliore potestate & Præpositi titulo Cobbartio suffectus est anno 1612, qui anno 1616. ab *Alberto* Belgarum Principe Abbas Monasterii S. Andreæ juxta Brugas Flandrorum constituitur.

Primi tres hùc acciti, & incorporati ex Monasterio S. Joannis Ipras translati.

IV. Benedictus Haeftenus, præcedenti ſucceſſit Anno 1616. qui eam dignitatem per 32. annos laudabiliter gerens, in eâ mortuus eſt, multâ eruditione & ſcriptis editis clarus. Obiit Anno 1648.

V. Robertus Estrix, ei ſuccedit in Præpoſiturâ die 19. Novembris Anno 1648., fuitque mitratus die 28. Junii Anno 1662. Præpoſituræ dignitate ſe abdicavit Anno 1664. Obiit Prior Bornhemienſis anno 1675.

VI. Æmilianus van Hoyvorst, ei in Præpoſiturâ ſuccedit, anno 1664. qui in eâ dignitate obdormivit in Domino anno 1682.

VII. Rupertus Beydaels, in eadem dignitate præcedenti ſucceſſit anno 1682. Obiitque in eâ dignitate anno 1685.

VIII. Vedastus van Nuffel, in eâdem dignitate Ruperto ſucceſſit anno 1690. Sponte ſe abdicavit. Obiit Prior in Bornhem anno 1707.

IX. Romanus Spruyt, ſuccedit Vedaſto van Nuffel in dignitate Præpoſituræ anno 1690. die 29. Decembris, qui anno 1696. die 8. Auguſti a Præpoſiturâ remotus eſt. Mortuus Affligemii 14. Februarii anno 1718.

X. Odo de Craeker, ei ſuccedit anno 1696. die 8. Auguſti, qui hactenus laudabiliter præeſt.

Erectum in Baronatum.

MERA, vernaculè *Meere* primo lapide ab Aloſto, ejus Comitatus pagus. Decoratus eſt titulo Baronatus à *Philippo IV.* Hiſp. Rege anno 1658. Diplomate dato Madriti die 28. Aprilis in gratiam *Jacobi Du Boſch* Domini de Maeſdam, Meere, Erembodegem, Ter Alphene &c.

Devenit nuperis annis hoc Dominium jure nuptiali ad *Joannem Baptiſtam Bernardum de Blondel* Equitem &c. qui hodie hunc Baronatum poſſidet cum ſupra nominatis Dominiis.

Hic pagus anno 1719. die 28. Aprilis igne fortuito conflagravit, domibus pluribus & turri Eccleſiæ igne conſumptis.

Eccleſia tutelarem colit *S. Bavonem* Gandavenſium Patronum. Patronatus ejus eſt Archiepiſcopi hujus Diœceſis jure Ordinarii.

Decima in tres diviſa eſt manipulos, cujus duos percipit Cartuſia Gandavenſis, & tertium Parochus.

Ibidem eſt Capella *B. V. Mariæ* ſacra.

MERCHTHEM, Municipium, & Præfecturæ iſtius nominis Caput inter Teneræmundam & Bruxellam, a quâ diſtat tertio lapide, inter Nobiliora Brabantiæ Municipia recenſitum ante annos 500. & ſigillo vetus Caſtrum præferente diplomata muniviſſe ait *J. B. Gramayus* in Bruxella edit. novæ pag. 14.

Forum habet hebdommadarium diebus Mercurii, continet XVIc. terræ bonaria. Fuit & eſt diverſorum Nobilium peculium, Supremæ autem juriſdictionis honorem a Rege obtinuit anno 1563. *Petrus Pipenpoy*, ab iis emit Ao. 1599. *Emanuel de Lalaing* Marchio de Renthy, inde ad Principem rediit.

Anno 1626. manſit oppignoratum *Theodoro vander Laen* Urbis Mechlinienſis Conſuli. Dein devenit anno 1639. ad *Alexandrum vander Laen* cum ſuis, a quibus Anno 1687. emptione publicâ acquiſivit *Joannes van Eelen* & *Anna van Eelen* poſt quorum mortem patruo ſuo prædicto *Joanni van Eelen* ſucceſſit ejuſque inveſtituram adiit Anno 1714. *Michael Joſephus Peeters*

ters dictus van *Eelen* hodiernus hujus Municipii Dynasta. Ita excepimus ex Codice Curiæ Feudalis Ducatus Brabantiæ.

Fuit hic olim Dynastarum insigne Castellum in vicinia Ecclesiæ Parochialis, quod bellorum motibus, & injuriâ temporum interiit; locus & Vallum solum supereſt.

In hoc Municipio possidet insignem Curiam Censualem (vernaculè *Laet-Hof*) Marchio de *Spinola*, cum pluribus agri possessionibus & prærogativis annexis, vulgo *Het Hof ten Houte*. Item Curiam Censualem possidet Abbatia Affligemiensis, item *D. Pirreman* & *D. vander Veken*.

In sacris Ecclesia tutelarem colit *S. Petrum* Apostolorum Principem. Patronatum ejus gerit Archiepiscopus hujus Diœcesis, jure Abbatialis Affligemiensis, quæ Abbatia ibidem gaudet potiori parte Decimarum cum Parocho, unicuique est suus Decimarum districtus.

Viget in hac Parochiali cultus *S. Antonii*, cui ara erecta & dicata est, & in eâ tabula istius Divi penicillo *Gasparis de Crayere* pictoris celeberrimi.

Non longe ab Ecclesiâ Parochiali est Sacellum Virginis Deiparæ *Mariæ*, vulgo *Spelt* dictum, & in eâ Capellania cum obligatione trium missarum in eo hebdommadatim.

In hoc Municipio olim fundatum fuit Hospitale, cujus parietinæ, ruderâ & Cœmiterium adhuc hodiè conspiciuntur. Bona illius hospitalis consensu *Matthiæ Hovii* Archiep. Mechl. accesserunt initio seculi XVII. mensæ pauperum hujus loci.

MESPELAER, primo lapide a Teneræmundâ ad Teneram fluvium, contiguum Auwengenio; Pagus Comitatus Alostani.

Dominium hujus loci initio seculi XVI. fuit gentilium van *Royen*, inde seculo sequenti viâ emptionis devenit ad *Joannem Goubau*, in quâ stirpe hactenus perseverat.

In hoc pago anno 1607. Mense Aprili *Carolus vander Hoeve* homo rusticus, fodiendo in suo horto reperit mille quingenta amplius aurea vetustâ numismata, & varios pretiosos lapillos & rutilantes Pyropos maximi pretii, insignem sanè thesaurum & qualis nec in mediâ fortè Italiâ simul uspiam erutus, omnes nummi aurei valoris erant isto ævo octo circiter florenorum. De eo agunt fusius *A. Miræus* in Chronico Belgico ad hunc annum, & *D. Lindanus* in suâ Teneramundâ Lib. III. Cap. VI. N. 53.

Porro in gratiam curiosorum nummum aureum ex isto thesauro in æs incidi curavimus, qui apud nos servatur, quemque progenitores nostri ab ipso rustico inventore pretio nacti sunt.

Ecclesia tutelarem veneratur *S. Aldegundim* Virg. ad quam Divam hic toto anni tempore durat peregrinatio a vicinis & multum dissitis populis, & plurimum in hac Ecclesiâ viget ejus cultus Reliquiarum, præcipuè Domini-

cà post Nativitatem Deiparæ & per Novenam, & ipso Divæ *Aldegundis* festo 30. Januarii.

Anno 1634. *Joannes Goubau* Toparcha de Ghysegem & Mespelaer procuravit huic Ecclesiæ ejusdem Divæ Reliquias, quas obtinuit ab Illustri Dominâ *Mariá de Noyelles* Canonicâ Malbodiensi, dein istius Illustris Capituli Abbatissa, quæ anno præfato in præsentiâ Illustrissimi *D. Henrici Franciſci vander Burchii* Archiep. Camerac. & *Antonii de Winge* Abbatis Lætiensis suas desuper testimoniales dedit, quæ Venerandæ Reliquiæ ab Illustrissimo *D. Jacobo Boonen* Archiep. Mechl. approbatæ sunt, & auctoritate ejusdem instituta est anno 1643. in hac Ecclesiâ ejusdem D. Confraternitas multis decorata privilegiis & gratiis; adeo ut exinde hæc Ecclesia multum celebris evaserit.

MOLLEM, olim *Molhem*, partim Præfecturæ Ascanæ, spectans ad ejus Marchionem, partim Grimbergensis ad Nassovios pertinens. Ibidem adhuc varia sunt parvi nominis Dominia, inter quæ eminet *Steenberghe* spectans ad *N.* de *Lindick*.

Ecclesia inscripta est *S. Stephano* Proto-Martyri, Patronatus est Archiepiscopi hujus Diœcesis jure Abbatis Affligemiensis.

Decima ferè est bipartita, quarum una pars ad præfatam Abbatiam, altera ad Parochum spectat, unusquisque decimam habens in suo districtu.

MOORSELE, olim *Mortsella*, partim ditionis Alostanæ pro unâ triente & pro duabus alteris trientibus Ditionis Teneræmundanæ, quod ibidem Canonici Teneræmundani veterum præbendarum, ut vocant, possident, dono Dynastarum de Teneræmunda *Ringoti* & *Adelwidis*. Complectitur autem pagi duos trientes, habentque ibidem Majorem & septem Scabinos: quorum tres ex Wiesa deliguntur, cæteri hinc. Ita ferè *D. Lindanus* in sua Teneræmundâ pag. 228. Incolæ ditionis istarum duarum trientium, & quatenus Canonicorum subditi, immunes sunt a vectigalibus, impositionibus aliisque hujusmodi oneribus, non autem reliquum quod Comitatui Alostano subcensetur, quodque ex illis XXII. est quod Comitis proprium vocant, vulgo *'s Graven-propre*.

Erectum in Baronatum.

Acquisivit hoc Dominium, in quantum subest ditioni Alostanæ, præcedenti seculo a *Cornelio Boyteux* viro Consulari Urbis Alostanæ, *Lucas Cayro* Vir armis & bellica virtute clarissimus. Erexit hoc Dominium in gratiam præfati *Lucæ Cayro* filii *Ludovici* in Baronatum *Philippus IV.* Hisp. Rex Anno 1661. die 13. Septembris, inde per nuptias transiit ad *N. Alvelda* filium Præfecti Urbis Teneræmundanæ, in quâ stirpe aliquot annis permansit, a qua anno 1698. emptionis tabulis devenit ad *Albertum de Coxie* Sanctioris Senatus Præsidem cum Castello quod per eundem plurimum restauratum & decoratum est. Hoc Castellum exstruxit seculo XVI. *Carolus de Croy*, Tornacensis Episcopus, Abbas Affligemiensis &c. Liberum est allodium sub consuetudine Teneræmundanâ, in quâ stirpe de *Coxie* hactenus perseverat.

In Choro hujus Parochialis humi exstant Monumenta Sepulchralia *Joannis le Boyteux* & præfati *Lucæ de Cayro* Dynastarum de Moorsele cum hisce inscriptionibus.

Hier licht begraven Jonck-Heere Jan le Boyteux, **in syn leven Heere van Moorsel / Lancacker etc. die sterft den** 31. **Januarii** 1631. **Ende Vrauwe** Anna de Langhe, **Vrauwe van Beaulieu / Wolfshaegen etc. syne Huysvrauwe / die sterf den . . . Bidt voor de Zielen.**

D. O. M.

Et æternæ memoriæ *Lucæ Cayro* Mediolanensi Toparchæ de Moorsele, Lingæ, Oldensaliæ &c. olim Gubernatori, qui postquam potentissimis Hisp. inde *Philippo II. III. IV.* Regibus, nec non *Alberto* & *Isabellæ Claræ Eugeniæ* Archiducibus Austriæ Belgii Principibus per continuos LXIV. annos rarissimo desperatis illis temporibus exemplo, fidam & strenuam operam navasset, vel Aviamisala transmisso, obnitentibus frustra & freudentibus inimicis occupasset, in diversis conflictibus XIV. sub se desideratis equis, plurimis acceptis vulneribus victor evasisset, tandem per omnes militiæ gradus ad Promagistri equitum dignitatem virtute ascendit. Concessit fatis VIII. Kalendas Majas anno salutis CIↃ. DC. XLII. ætatis suæ LXXXV. Et *D. Claræ Lemens* Conjugi ei charissimæ IV. Martii An. M. DC. LII. ætatis suæ LXXVIII. hinc ereptæ *D. Ludovicus Cayro* Commissarius generalis equitum suæ Majestatis, Baro de Moorssel, Toparcha de Popenrode &c. filiali ac perenni debitæ pietatis affectu patri atque matri natus hoc defert libens.

R. I. P.

Præfatus *Albertus de Coxie* erexit sibi vivus in Choro Ecclesiæ P. P. Prædicatorum Bruxellis magnificum Mausolæum marmoreum ad dexteram summi Altaris parieti insertum, cum hac inscriptione.

D. O. M.

Hic mortalitatis suæ exuvias deponi voluerunt ALBERTUS DE COXIE, Baro de Moorsele, Toparcha de Bousval, Laloux &c. Regi a Consiliis Status, & Sanctioris Senatus Præses supremus. Et CLARA THERESIA STALINS, Conjuges, qui quotidianum sacrificium cum Psalmo & Collectâ, ac Anniversarium solemne cum pridianis Vigiliis in perpetuum sibi, posterisque in hoc Choro fundari curarunt. Obiit ille 13. Novembris 1709. Hæc vero . . . . .

Hic loci vel ante decem secula Fanum fuisse *S. Salvatori* sacrum ex *D. Gudulæ* vitâ constat, & quod ejus Divæ corpus in *Ham* paternæ ejus hæreditatis peculium non sepultum sed depositum, mox ad alia loca devectum, non unum monumentum sortiri meruit. Hic locus de *Ham* non procul Vilvordiâ situs est, ut vult *A. Miræus* ad diem 15. Januarii, & ad diem 10. Julii in Fastis; sed non procul Alosto ad Teneram fluvium vicus est; Quo modo enim virgo *Gudula* ex vico de *Ham* propè Vilvordiam Sacellum *S. Salvatoris in Morsella* die ac nocte frequentare soleret, quod ab eo quinque ad minus distat milliaribus. In hoc ergo vico de *Ham* propè Alostum erant ejus paternæ ædes, hunc vicum dein *S. Ablebertus* Episc. Camerac. & hujus Virginis frater donavit Ecclesiæ Cameracensi, qui *Ablebertus* ibidem defunctus & sepultus est, post Malbodium translatus, ibi nunc quiescit. Ita *Baldricus* in Chronico Cameracensi; insuper hoc etiam indicat platea dicta Vernaculè *S. Goudele-straet*, quæ ex Vico & Castro de *Ham* propè Teneram Moorsellam ducit. Hoc Castrum de *Ham* injuria temporum destructum est & nostrâ ætate evanuit.

Translationes Reliquiarum *S. Gudulæ* factæ sunt complures, nam ex vico de *Ham* & paternis ædibus, ubi primitus deposita fuerat, *Morsellam Caroli Magni* ævo deportatæ sunt, inde vastatâ a Normannis *Morsella*, *Capræmontem* vulgo *Chivremont* (oppidum fuit in Diœcesi Leodiensi) huc post liminio revectæ, Bruxellæ a *Carolo* Duce, *Ludovici* transmarini Francorum Regis filio, Brabantiæ Principe translatæ sunt, atque in *S. Gaugerici* sacra æde collocatæ, non ea quæ hodie Parochialis, quæ augustior priori, & ædificata a *Lamberto II.* Lovaniensi Comite *Caroli* genero (ut tradit *A. Miræus* in Chronico Belgico ad annum 948) in Sennæ fluminis insulâ, in quâ & palatium suum habebat præfatus *Carolus*: ac tandem anno M. XLVII. a *Lamberto Baldrico* Duce in *S. Michaelis* Ecclesia, quæ nunc communiter *S. Gudulæ* dicitur, honorificè reconditæ sunt, & magnâ cum veneratione asservatæ; & fuerunt eæ quidem sex fermè seculis isthic religiosè custoditæ; sed ultimâ Belgicarum dissensione & turbis belgicis dispersæ fuerunt, & ab aliquot fidedignis pro parte repertas, in summo Odæi Altari venerationi expositæ hodie videntur.

Vixit *S. Gudula* ad annum ut vult *A. Miræus* in Chronico Belgico, D. CC. XII.

Cæterum *Carolus Magnus*, miraculorum numero ad *D. Gudulæ Morsellæ* quiescentis illectus, huc properavit, & religiosis oblatis Deo precibus ad tumulum consanguineæ suæ Divæ (erat enim nata *S. Amelberga Pipini* Regis filia) Cœnobium hic condi jussit, ubi ad ejus Virginis memoriam, Virgines Deo viverent; quibus ad alimoniam, & sarta tecta memoratur tribuisse pagos de *Ham* & *Morsele*: stetitque illud donec communi Regionum & gentium clade a Danis eversum est, & a *Wennemaro* ejus loci Dynastâ ablatæ hujus Cœnobii facultates sunt.

C. Baronius ad annum 978. his verbis ea complectitur. „ Eo tempore (inquit) *Carolus* Dux *Lotharingiæ* frater *Lotharii* Regis pugnans adversus „ *Hermenfredum* filium *Wennemari*, occupatorem Rerum Ecclesiastica„ rum, accepit ab eo corpus *S. Gudulæ* Virginis & Bruxellas intulit, inva„ sores autem possessionum illius & descendentes hæredes divina vindi„ cta jugiter est prosecuta, ut omnes miserando vitæ finirent interitu." Ita „ ille.

Ne autem omnino *D. Gudulæ* hic loci aboliretur memoria, constructum dein est Sacellum huic Divæ sacrum, quod etiamnum exstat, Ecclesiæque

Pa-

Parochiali ferè contiguum est, in quo ad ejus honorem crebrius hic divina celebrantur, & Capellania inibi fundata est, quæ anno 1701. Pastoratui unita est pro sustentatione Vicepastoris.

Ecclesia Parochialis tutelarem colit *S. Martinum* Turonensem Episc. ejus Patronatus est Archiepiscopi hujus Diœcesis, in quantum successit in juribus & prærogativis Abbatis Affligemiensis.

Decimarum participes sunt per portiones inæquales Capitulum Teneræmundanum, Parochus, Capellania præfata *D. Gudulæ* & *Carolus Borluut* Dominus de Schoonberghe.

Chorus hujus Parochialis destructo veteri, novus exstructus est multa luce illustratus anno 1663. prout saxum indicat exterius parieti insertum in parte boreali, & anno sequenti Capella transversa *S. Stephani* elevata est.

In sacris huic Parochiali subcensetur Vicus de *Ghevergem*, quod allodium est Moorsele contiguum; in quod ex *Ringoti* Teneræmundæ Domini & *Adelwidis* ejus uxoris dono, soli Canonici Capituli Teneræmundani jus habent. Insigne ibidem & amplum Sacellum *D. Stephano* sacrum, in quo singulis duabus septimanis celebratur. In spiritualibus huic Parochiali subjectus est vicus permagnæ extensionis pagi de *Meldert*, Præfecturæ Ascanæ, vulgo dictus *Cleer-Haegè*, continetque circiter 100. terræ bonaria.

NIEUKERCKE, vulgo *Nieuwerkercke* quasi nova dicta Ecclesia, subest jurisdictioni, seu Scabinatui (ut loquuntur) Civitatis Alostanæ.

Ecclesia dicata est *S. Leonardo* Mart. Patronatus olim spectavit ad Thesaurarium Capituli Metropolitanæ Cameracensis, quæ dignitas cum anno 1603. exstincta est & bona applicata Fabricæ præfatæ Metropolitanæ, jus Patronatus devolutum est ad Archiepiscopum hujus Diœcesis.

Decimarum participes sunt pro potiori parte Abbatiæ Affligemiensis & Forestensis Ord. S. Bened. prope Bruxellam, item Parochus.

Anno 1709. Pastori assignata fuit in Concilio Flandriæ competentia annua 450. flor. a Decimatoribus præstanda, detractis decimis & terris Pastoralibus. Olim hæc Parochialis suberat Ecclesiæ Urbanæ Alostanæ, ratione cujus Parochus Alostanus hodiè inibi percipit mediam partem decimarum lini, caulium vulgo *Sloorsaet*, & Luteæ, vernaculè *Wouwe*.

In hoc pago exstat Capella *S. Rochi*, ejus Reliquiis celebris, in quo sæpius divina paraguntur, & visitatio plurima.

OPWYCK, pagus ditionis Teneræmundanæ, & ad ejus Dynastam, qui est Comes Flandriæ, hodie & ab antiquo spectans Dominium, a quâ Civitate distat primo lapide cum dimidio, duobus ab Alosto, & tribus cum dimidio a Bruxella.

Hic pagus est permagnæ extensionis, porrigit se ad limitem Brabantinum, continet enim centum & tredecim terræ bonaria, & constituit decimam partem, & parum ultra Ditionis Teneræmundanæ, complectitur sub se Vicos, vulgo *gehuchten*, numero VII. scilicet *Wayenbergh*, *Mansteen*, *Droeshout*, *Neyverseele*, *het Eycxke*, *de Claye* &c.

Ecclesia Patronum veneratur *S. Paulum* gentium Apostolum, hæc Ecclesia pulchritudine suâ, splendidis ornamentis, campanis bene sonantibus, & elegantibus tabulis sese reddit spectabilem. Patronatus ejus spectat ad Capitulum Teneræmundanum dono *Odardi* sive *Odonis* Camerac. Episc. anno 1108, ut patet ex hoc Diplomate.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, amen. ODARDUS, per gratiam Dei Epiſcopus Cameracenſis, pro ſalute animæ meæ, meorumque prædeceſſorum, pro magna Eccleſiæ devotione, Dominæ ADELWIDIS, venerabilis uxoris REMIGII TENERÆMONDANI, & omnimoda ſupplicatione Canonicorum Teneræmondenſium, eos ab omni perſona, omnique laica vexatione, auctoritate Dei & noſtrâ emancipamus, & Canonicis ejus Eccleſiæ canonicam libertatem aſſignamus, concedentes ut Decanus, qui Canonicorum ibidem Deo famulantium curam habuerit, in Eccleſiæ malefactores excommunicandi poteſtatem habeat. Sic tamen ut eadem Eccleſia, pro libertatis memoria, tres Teneræmondenſis monetæ ſolidos Decano Bruxellenſi ad uſus noſtros ſingulis annis perſolvat.

Duo Eccleſiæ altaria de *Opwyck* & *Lebbeke* Eccleſiæ Teneræmondenſis, ſanctæ ſcilicet *Trinitatis* & *S. Chriſtianæ*, ſolummodo ad ædificia ſive ornamenta Eccleſiæ retinenda, libera canonicè tradidi: in quibus, ſalvis noſtris reditibus Pontificalibus, Presbyteri per Decanum & Canonicos ſtatuantur, & ipſi nobis vel miniſtris noſtris ad curam ſuſcipiendam præſententur.

Præfatæ quoque Eccleſiæ alodia de *Winſia* in campis, in ſilvis, in pratis, de *Morſele* in campis, in ſilvis, in pratis, de *Gheverghem* in campis, in ſilvis, in pratis, cum omni juſtitia terræ & ſilvæ, liberè & integrè confirmamus: ſolis Canonicis uſibus profutura.

Præterea quæcumque, à quibuſcumque, in terris, in ſilvis, in pratis, ſeu in aliis poſſeſſionibus præfatæ Eccleſiæ oblata ſunt, vel in poſterum offerri contigerit, modis omnibus ad Canonicorum uſus permanere ac conſervari decernimus. Quæ bona ne tradantur oblivioni, noſtri ſigilli imaginatione ſignamus: & ne ab aliquo violentur, auctoritate Dei & noſtrâ, ſub anathemate prohibemus. Hujus confirmationis teſtes ſunt.

Signum Rodolphi Archidiaconi.
S. Anſelmi Archidiaconi.
S. Everardi Archidiaconi.
S. Sigardi Decani.
S. Lamberti Subdecani.
S. Lamberti, Sanctæ Mariæ Canonici.
S. Gerardi Canonici.
S. Marcellini Canonici.

1108. Peractum eſt hoc, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo octavo, Indictione primâ, prædicti Epiſcopi anno tertio. Salus & gloria omnibus Chriſtianis.

Decima ferè eſt tripartita, quarum una triens ad Parochum, reliquæ duæ trientes ad præfatum ſpectant Capitulum.

Abbatia *Suivecana* Ord. Ciſterc. in Civitate Teneræmundanâ ibidem habet certum diſtrictum decimarum. *D. Lindanus* in ſuâ Teneræmundâ refert Lib. II. Cap. VI. pag. 124. Quomodo *Margareta* Domicella de Tenremonde cælebs legavit præfatæ Abbatiæ Anno 1232. omnia quæ habuit in *Opwyck* tam in decimis, quam in terris. Sunt & plures aliæ minutæ decimæ, ſcilicet Capellaniæ *B. Mariæ* & *S. Pauli* habentes parvum diſtrictum.

TENERÆ-BELLA, vernaculè *Dender-Belle* ad Teneram fluvium, ad diſcrimen alterius Bellæ quæ eſt ad Scaldim, eâque ratione vulgo vocatur *Schelle-Belle* quaſi *Scelde Bella*. Pagus eſt Ditionis Teneræmundanæ, a qua civitate diſtat medio milliari. Dominium Ducis *Bournonvillæ*, quod olim ſpectavit ad *Maſminios*, dein fuit gentis *Vyter-Zwaenen*, & tandem *Tedegemii* &c.

Viſuntur hic parietinæ antiquæ Arcis ad fluminis ripam, quam incolæ affirmant multis ætatibus demolitam in ruinis jacuiſſe.

Eccleſia inſcripta *S. Martino* Turon. Epiſc. ſtructuræ eſt valde antiquæ, cujus Chorus reſtitutus, aut de novo exſtructus eſt anno 1539. ut ſaxum indi-

dicat, quod exterius parieti inſertum eſt. Patronatus ejus ſpectat ad Archiepiſcopum hujus ſedis jure Abbatialis Affligemienſis.

Decimarum varii ſunt participes. Majores Decimæ dividuntur in tres partes, quarum unam ubique percipit Parochus, altera pars ſubdividitur in tres partes æquales, quarum unam habet Abbatia *Suivecana*, & vocatur magna Decima, alteram Matricularius Eccleſiæ Collegiatæ Teneræmundanæ & tertia pars eſt ſecularis. Minores decimas percipit Abbatia Affligemienſis, Eccleſia hujus pagi, & præfatum Capitulum Teneræmundanum.

Abbatia *Suivecana* obtinuit has decimas dono *Margaretæ de Tenremonde* anno 1232. teſte *Lindano* in ſuâ Teneræmundâ Lib. II. Cap. VI. pag. 124.

WELLE, ſive *Welle-Ydergem* pagus Comitatus Aloſtani à quâ Civitate diſtat uno milliari, viâ qua itur Ninhoviam, ejus Dominium cum pagi de *Eeregem* nuper acquiſivit a Gentilibus de *Grutere* emptionis tabulis *Franciſcus Ignatius de Vilain* Quæſtor Comitatus Aloſtani; pretium fuit 3000. floren.

In Choro hujus Parochialis exſtat humi lapis Sepulchralis ex candido marmore cum hac inſcriptione.

D. O. M.

Hic in pulvere requieſcunt, exſpectantes beatam reſurrectionem, ac ſperantes rurſus in carne videre Deum, Prænobilis Dominus, Dominus *Franciſcus Ignatius Vilain*, Toparcha de Welle, Idderghem &c. Et Nobilis Domina *Iſabella Joſepha vander Meere*, uxor ejus, nec non proles illorum nimis cito obiit ille . . . . . Illa vero . . . . . .

XIIII.

Oſtium Monumenti Familiæ Prænobilis Domini Vilain.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Petro* Apoſt. Ejus Patronatus ſpectat ad Archiepiſcopum hujus Diœceſis jure Abbatialis Affligemienſis. Decimarum participes ſunt præfata Abbatia Affligemienſis, item Abbatia Monialium de *Groenenbriele*, Parochus & hæredes *'t Kint*, at parvum diſtrictum decimarum habet Paſtor de Erembodeghem.

WIESE, in antiquis Diplomatibus *Wienſe* & *Winſia* appellatur. Situs eſt inter Aloſtum & Teneræmundam, æquali ferè diſtans ſpatio, continet fere 400. terræ bonaria, eſt autem partim Allodium, quod dono *Ringoti* & *Adelwidis* Dynaſtarum Teneræmundæ ab illius oppidi Canonicis poſſidetur, continetque circiter mediam totius pagi partem, eſtque hæc pars a vectigalibus, impoſitionibus, aliiſque hujuſmodi oneribus immunis; ad militares tamen expenſas præſidii Teneræmundani cum hoc oppido contribuit, uti & *Moorſele* & *Ghevergem*: Reliquum feudum eſt, quod a Comitatu Aloſtano tenetur.

In quantum ſubeſt Ditioni vel Comitatui Aloſtano, inter illos XXII. pagos cenſetur qui *Proprium Comitis* nuncupantur, (ubi quotieſcumque naſci contigit, ſervi conditionis ſunt, dicunturque *Manus mortuæ*). Ab illâ ſervitute ſingulari quadam gratiâ in perpetuum immunitatem huic ſuo Dominio

comparavit *Jacobus van Tedeghem* Eques Wiesæ & Embiesæ Dominus, a *Philippo II.* Hisp. Rege Diplomate dato Bruxellis die 5. Julii 1564.

Hoc Dominium longo temporis tractu fuit Nobilis familiæ de *Wiese*, dein per nuptias filiæ *Joannis de Wiese*, devenit ad gentiles de *Tedegem*, de quibus plura in pago de *Tedegem* in ditione Gerardimontanâ; a qua gente de *Tedegem* devenit emptionis tabulis nostrâ ætate ad N. de *Clercq* alias *Booninge*, eoque nuper anno 1719. mortuo devenit ad ejus filium qui hodie hoc Dominium possidet.

Hic loci olim fuit insigne Dynastarum castellum; sed destructum & combustum est in turbis Belgicis, cujus rudera & parietinæ adhuc hodiè supersunt.

Hujus pagi templum *Deo Servatori* dedicatum est, situm sub Comitatu Alostano; quod primo combustum in turbis Belgicis anno 1578. & rursum casu fortuito anno 1666. Ejus pars extremæ est antiquitatis: reliquum autem ante sacra seculi XVI. tempestatis bella a *Jacobo van Tedeghem* Equite, superiore hujus loci Toparcha, accuratâ Symmetriâ structum, ubi columnarum capitibus, ad rei memoriam incisa sunt nomina superiorum *Wiesæ* Dominorum, eorumque Conjugum, cum armis gentilitiis, quæ cum ultimâ combustione & reparatione pro maximâ parte destructa sunt.

Jus Patronatus ad Abbatem spectat Affligemiensem, eoque jure utitur Archiepiscopus hujus sedis, item Sacelli collatio. Ita fere *D. Lindanus* in suâ Teneræmunda pag. 228. sed hallucinatur dum refert, quod Sacelli collatio spectet ad Toparcham. Ibidem est Capellania D. Virginis *Mariæ*, fundata anno 1368. die 20. Aprilis a *Roberto van Tedegem* Wiesæ Domino.

Decimas sub Ditione Alostanâ percipit Abbatia Affligemiensis & Parochus; unicuique est suus decimarum districtus, sub Ditione Teneræmundana, seu ut vulgo dicitur, Capituli. Pastor percipit trientem, reliquæ duæ trientes, percipiuntur passim a præfato Capitulo, partim ab Ecclesiâ hujus Parochialis; unicuique est suus decimarum districtus. Novales Decimæ ubivis spectant ad Parochum.

FINIS DECANATUS ALOSTANI.

HISTO-

HISTORIA
SACRA ET PROFANA
ARCHIEPISCOPATUS
MECHLINIENSIS.

DECANATUS GERARDIMONTENSIS.

GERARDIMONTIUM, Altera Flandriæ Imperialis Metropolis, Caput hujus Decanatus, vulgo *Gheerdsberga*, oppidum ad Teneram fluvium, qui urbem præterlabitur. *Balduinus Montensis* Flandriæ & Hannoniæ Comes circa annum 1068. *Geraldimontem* in oppidi formam redegit, legibus firmavit, & Privilegiis dotavit: quæ postea Anno 1190. *Philippus Alsatius*, & *Balduinus* Flandriæ & Hannoniæ Comes, post Imp. Constantinopolitanus circa annum 1200. confirmarunt. Nomen a *Gerardo* seu *Geraldo* quodam Viro nobili loci domino, sed incognitæ hactenus prosopiæ retinuit, qui præfato *Balduino VI.* Flandriæ & Hannoniæ Comiti vendidit. A venditoris nomine & monte, cui incumbit, placuit denominari *Geraldimons*, Gallis *Grandmont*, pro *Gerardmont*. In Diplomatibus modo *Geraldimons* nuncupatur. Monumenta hujus oppidi tradunt, quod Dynasta Boulariensis, post diuturnas cum præfato *Gerardo* rixas, auctis tandem pertinacibus odiis, *Gerardum* fortè obvium trucidaverit, iis Suburbiis, quæ Ninhoviam itinere pedestri ducunt; ubi tantæ cædis indicium esse narrant vastam illam crucem, quæ ex vivo constructo lapide etiamnum ibi conspicitur. *Balduinus* Comes intellecto postea *Gerardum* tantæ auctoritatis virum stratum esse, in expiationem hujus cædis *Gerardi* indignabundus duriores Boularienſi, ejusque posteris imposuit leges, quarum hæ præ cæteris, quod latas a Consulibus in reos criminales sententias exequi minimè teneatur, at eos ad Senatoriæ domus gradus deductos, Boulariæ Præfecto in manus tradunt, quem ipse porro sumptibus Domini Boularienſis constituto supplicio mox plecti curat. Agit pluribus de eo *J. van Waesberghe* in suo Gerardimontio pag. 12.

Inter ædes sacras hujus oppidi non injuriâ principem locum damus Abbatiæ *S. Adriani* Mart. Ord. *S. Bened.* olim *D. Petro* sacrum, ex Declivinio, vulgo *Dickelvenne*, Comitatus Alostani pago ad Scaldim inter Gandavum & Aldenardam anno 1081. propter loci angustias auctoritate *Gerardi II.* Cameracensis Episcopi huc translatum ac dotatum, ut hoc Diplomate constat. *Abbatia S. Adriani.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Ego GERARDUS secundus humilis Cameracensium Episcopus, cunctis fidelibus utriusque vitæ Officii nostri dictatione, & Prædecessorum nostrorum monemur Auctoritate, Ecclesiarum incrementis Pastorali curâ invigilare.

Eapropter Abbatiæ de DECLIVINIO, in Geroldimontem translatæ, propter indigentiam loci, Altare de *Huneghem* cum appenditiis suis, eodem scilicet Geroldimonte & Boulario, liberum sine persona & obsoniis, petitionibus ROBERTI junioris, Comitis Flandriæ, & STEPHANI de Boular acquiescentes tradidimus: ita sanè ut Abbatia in præfato Geroldimonte sita omnimodam libertatem cuilibet Abbatiæ congruentem habeat, ibique quidquid juris Parochialis est, tam in sepultura quàm in baptisterio & reconciliationibus, à Parochiali Sacerdote celebretur.

Ut hæc autem nostra Donatio inconvulsa & rata in perpetuum permaneat, Sigilli nostri impressione, anathematis percussione, & fidelium attestatione confirmamus;

Gualteri Bracbatensis Archidiaconi,
Theodorici Archidiaconi,
Derleboldi Præpositi,
Gualteri,
Adam, Abbatum,
Roberti Comitis,
Balduini,
Gerbodi,
Stephani de Boular.

1081. Actum in eodem Opido, anno Verbi Incarnati millesimo octogesimo primo, Indictione quartâ, Præsulatûs verò nostri anno tertio.

Quæ transpositio instante *Roberto* juniore sic Hierosolymitano Flandriæ Comite, fuit confirmata per *Manassem Gerardi II.* Successorem Anno 1096. consentiente *Manasse* Archiepiscopo Remense ejusque Coepiscopis, per hoc Diploma.

Ego MANASSES, Divinâ miseratione humilis Cameracensis Episcopus, considerans illud, quod in veteri Testamento scriptum est, *ædificavit Moyses Altare Domino Deo, super quod offerent Sacerdotes Sacrificia* (sub hujus verè specie ædificationis ordo & mysterium subsequentis Ecclesiæ designatur.)

Ad laudem Salvatoris nostri Jesu Christi, sanctæque ipsius Crucis victoriosissimæ, in honore quidem beatissimi Petri Apostolorum Principis, in loco qui GERALDIMONS nuncupatur, Ecclesiam dedicavi, ibique consilio & assensu Domini ac Patris nostri Manassæ, venerabilis Remorum Archiepiscopi, ejusdemque Coepiscoporum Ecclesiæ, precibusque ac petitione Roberti Junioris Catholici Comitis Flandriæ, Dominique STEPHANI DE BOULARIO, Winniboldique ejusdem loci Castellani, ceterorumque plurium, Abbatiam Monachorum, propter augustias ac loci indigentiam, à *Declivio* translatam, liberè & principaliter stabilivi.

Ita quidem, ut Abbas à Fratribus regulariter electus, pastoralem baculum à manu Pontificis solummodo suscipiat, quorum usibus Fratrum, in Cœnobio suo sub beati regula Benedicti Deo militantium ad salutem animæ meæ meorumque Antecessorum, Comitisque præfati, Altare de *Huneghem* cum omnibus appenditiis, in eodem videlicet Geraldimonte & Boulario, sine persona & obsoniis, omnino liberum tradidi.

Ad cujus exaggerationem beneficii, idem Comes Robertus de alodio suo totam terram, quæ circa Ecclesiam in atria benedicta est & divisa liberè & legitimè eidem Ecclesiæ tradidit, quatuorque jugera terræ arabilis, duosque mansos dominicos supra fluvium aquæ: quæ Tenera nuncupatur.

Præterea Sapientum suprascriptorum & divitum rationabili consilio, omnia beneficia, quæ primitus, dum ibi caput Abbatiæ positum fuerat, declivio appendebant, similiter Abbatiæ apud Geraldimontem translatæ, statuo, sicut prælibatum est, & innovatè consignata & adscripta sunt.

Altare videlicet de *Hauthem* cum appenditiis suis, *Heldrughem*, & *Idrighem* sine

Per-

Persona, sed cum debitis obsoniis, Altare de *Okinghem*, Altare quoque de *Touricourt*.

Ut hæc verò Charta indissolubilis persisteret, sigilli nostri imaginatione firmata est. Hoc autem factum est anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo sexto. 1096.

Hoc Monasterium famosum ac celebre reddunt *S. Adriani* Mart. Nicomedienses Reliquiæ, eo translatæ & ibidem repositæ tempore *Senelardi* primi Abbatis, anno 1110. ex *Raulicuriâ* Hannoniæ pago, tantoque hominum piè peregrinantium accursu frequentatur, ut hoc Monasterium & Oppidum ipsum, etiam apud Brabantos & alibi *S. Adriani* nomine ferè innotescat.

J. Meyerus accuratus Flandriæ Annalium scriptor, refert ad annum 1110. Corpus *S. Adriani* Martyris ardente templo Raulicuriæ in Hannoniâ incendio ab *Eubaldo* Sacerdote substractum, deportatum Gerardimontem in Cœnobio, & hinc hæc Abbatia Sanctum *Petrum* Patronum Divo *Adriano* permutavit. Vide ulterius plurima alia ad hæc spectantia apud *J. Molanum* ad Natales S. S. Belgii ad 8. Sept. & J. van Waesberghe in suo Gerardimontio pag. 151.

Anno 1627. die 22. Februarii primæva *S. Benedicti* Regula in hoc Monasterio est introducta sub *Martino le Brun* XXXII. Abbate, quod exemplum plura alia Monasteria Benedictinorum sunt secuti. Religiosi hujus Monasterii, juventutem huc undique confluentem Christianis moribus & litteris humanioribus optimè informant.

Abbas hujus Monasterii est Pastor primitivus dicti oppidi Gerardimontensis, possidet decimas ibidem omnium fructuum & carnium & medietatem candelarum in exequiis, in omni Ecclesiâ hujus oppidi, & ferè omnium beneficiorum est Patronus ac plurimis aliis gaudet.

Damus hic perfectam & exactam seriem Abbatum, prout a Priore hujus Abbatiæ Anno 1717. ad nos missa est, quæ apud *J. van Waesberghe* in suo Gerardimontio mutila & vitiosa est.

ABBATES GERARDIMONTENSES.

I. Senelardus vel *Sevelardus* & *Snellardus*, inscribit se promiscuè vel Gerardimontensem, vel Declivinensem Abbatem, fortè quod in his duobus locis præfuisset. Obiit Anno 1111.

II. Eskelardus. Signat litteras Anno 1112. Abbatiæ Affligemiensis apud *A. du Chesne* in prob. familiæ Gandav. pag. 66. Incertum quo anno obierit.

III. Gillardus. Obiit anno 1142.

IV. Gerbodius. Obiit anno 1149.

V. Fulpoldus. Obiit anno 1175.

VI. Gerardus. sub quo Abbatia, quæ prius *S. Petri* vocata fuit ob Reliquiarum *S. Adriani* præsentiam, & Miracula, ab ejus nomine vocari cœpit. Obiit anno 1180.

VII. Godefridus. Obiit anno 1182.

VIII. Gerardus de Ninive. Obiit anno 1192.

IX. Robertus. mortuus anno 1199.

X. Walscherus. Obiit anno 1207.

XI. Simeon. Obiit anno 1218.

XII. Gillardus. Obiit anno 1227.

XIII. Theodoricus Abbatiæ *S. Petri* Blandinienſis juxta Gandavum, dein poſtulatus a ſuâ Abbatiâ in Abbatem anno 1230.

XIV. Walterus. Obiit anno 1237.

XV. Gerardus II. Obiit anno 1246.

XVI. Parvinus. Obiit Anno 1258.

XVII. Guilielmus. Obiit anno 1262.

XVIII. Paschasius. Obiit anno 1266.

XIX. Sigerus. Obiit anno 1285.

XX. Thomas. Obiit anno 1302.

XXI. Henricus. Obiit anno 1328.

XXII. Joannes. Obiit anno 1332.

XXIII. Guilielmus Pape. Cujus tempore Monaſterium igne fortuito conflagravit. Obiit anno 1343.

XXIV. Guilielmus a S. Gaugerico, Natus Bruxellæ Familiâ Patriciâ. Obiit 1368.

XXV. Ægidius Meersch. Obiit anno 1376.

XXVI. Adrianus Vleisch. Obiit anno 1379.

XXVII. Livinus Vranx. Obiit anno 1399.

XXVIII. Ægidius vanden Eechoute ſive de *Grimberghe* ex Nobili hujus oppidi familiâ patriciâ. Obiit anno 1417.

XXIX. Guilielmus a Voordis *Gentis Tedegemiæ*, ſenio confectus reſignavit anno 1439. Obiitque anno ſequenti 1440.

XXX. Adrianus Kimpe Conſiliarius *Philippi Boni* Ducis Burgundiæ, Obiit poſtquam Abbatiam reſignaverat ſuo ſucceſſori anno 1457.

XXXI. Nicasius de Frasne. Obiit anno 1461.

XXII. Raso vander Schueren Conſiliarius *Philippi Boni* DucisBurgundiæ.

XXXIII. Gisbertus van Ouwegem. Reſignavit Abbatiam ſuo ſucceſſori, obiitque Ao. 1506.

XXXIV. Joannes Coppenollius, ſive de Cruce, Domum Abbatialem & ædificia areæ inferioris ſtruxit. Univit Monaſterio Capellanias *S. Catharinæ*, *S. Mariæ* in *Hunnegem* & Parochiam *S. Bartholomæi* anno 1515. Obiit anno 1525.

XXXV. Hieronymus Rufault. Denominatus a *Carolo V.* Interfuit anno 1550. Synodo Cameracenſi, poſtea electus Abbas *S. Vedaſti* Atrebatenſis anno 1560. reſignavit Abbatiam in ſucceſſorem.

XXXVI. Simon de Warlusel. Nobili proſapia apud Atrebatenſes natus, *Alexandro* Parmæ Duci Belgarum Præfecto ab Eleemoſynis, electus Abbas Eenhamenſis reſignavit in Succeſſorem Anno 1583.

XXXVII. Jacobus van Schoorisse. Antea Prior, electus & deſignatus Abbas. Obiit ante inaugurationem anno 1584.

XXXVIII. Benedictus Sejournet, Monaſterii Lætienſis Religioſus, qui ob debita quibus hæc Abbatia gravata erat, denominationi & Electioni ſuæ cedens ad propriam Abbatiam ſe recepit anno 1587.

XXXIX. Hieronymus de Monceaux e Monaſterio *S. Vedaſti*, Præpoſitus de Haſpre &c. Obiit anno 1606.

XL. Henricus de Busignies Prior *S. Dionyſii* in Brocqueroya Vir Nobili ſtirpe natus, obtinuit ſibi & Succeſſoribus Mitram; hinc Anno 1612. ad præfatam Abbatiam *S. Dionyſii* aſſumptus.

XLI. Gaspar Vincke, Tornacenſis, Prior hujus Monaſterii, hinc electus Abbas exinde Ao. 1624. Abbas *S. Dionyſii*.

XLII.

XLII. Martinus le Brun. S. T. L. antea Canonicus Capituli *S. S. Michaelis & Gudulæ* Bruxellis, dein hic Religiosus, Raulicuriæ in Hannonia Rector. Mortuus anno 1656.

XLIII. Hubertus Meurant: hic virtutum fulgore accrevit vivens: annis, non meritis decrevit moriens. Obiit 1677.

XLIV. Victor Warnant. Genere nobilis, pietate nobilior, Gandæ Abbatiæ suæ agens negotia, dum e vehiculo prosiliens mortem effugere laborat, luxatâ tibiâ mortem invenit. Obiit anno 1686.

XLV. Longinus Foucquier. Nobili genere natus luctuosa belli tempora gemens, ut turtur simpliciter vixit, confidenter obiit Ao. 1703.

XLVI. Gislenus Coucke. natione Flander, qui labanti huic domui atlas fuit obiit anno 1713.

XLVII. Adrianus Roelants. Gerardimonte natus post varia, ut Thesaurarii, Subregentis, Prioris, & Pastoris *S. Bartholomæi* munia, renovatis structisque funditus ædificiis, huic Abbatiæ, novum indies fulgorem addit. Inauguratus est die 2. Februarii anno 1714. hodiè cum laude præest.

Quoad reliqua oppidi Monasteria & loca sacra, templum de *Hunnegem B. Mariæ* Patrocinio nobile, etsi olim loci dignitatem obtinuit, tamen simul atque coaluit oppidum exstructo Cœnobio, Curiale *D. Lucæ* proximum, Parochiale jus occupasse videtur. Ad civium vero commoditatem jus cum baptismali fonte (qui hodiè duobus hisce locis unicum est) translatum, communicatumque *Bartholomæano*, quod forum respicit, unitum Abbatiæ per *Leonem X.* Pont. Max. Anno 1515.

Templum Curiale *D. Bartholomæo* sacrum, traditur *Maximiliani* Cæsaris ævo initium accepisse, & nomen a sacris *S. Bartholomæi* reliquiis, quas anno 1515. die 6. Julii a *Michaele* Priore Cartusiæ *Ten Boesche* in *Lierda S. Martini* accepit.

Gaudet hoc templum *S. Bartholomæi* Collegio olim XII, nunc minore numero Sacerdotum titulo *D. Virginis* Deiparæ, quod horarias ejus preces cum Pastore Præside suo exsolvit ad Dei, Virginisque gloriam, sanctique Bartholomæi.

In oppido inferiore templum *S. Catharinæ* antiquitate totius oppidi primum a *S. Luca*, illud anno 1622. *Gaspar de Vincke* Abbas XLI. Fratribus, *S. Francisci de Paula* Minimis a *Philippa de Coulx* Wedergratæ Domina dotatis, consentiente Magistratu sub certis legibus tradidit. Anno 1640. constructre novam Ecclesiam quæ consecrata est a *Francisco Henrico vander Burchio* Archiepiscopo Cameracensi die 4. Augusti anno 1641.

Templum Hunneghemiense de quo mox egimus consensu Abbatis & Magistratus anno 1625. die 9. Decembris assignatum fuit Monialibus Regulæ Reformatæ *S. Benedicti* strictioris observantiæ sub certis conditionibus, quas recenset *J. van Waesberge* in suo *Gerardimontio* pag. 192. Duxit eas Geraldimontem *D. Anna Escudamour* Angla ex oppido Atrebatensi. Hinc evocatæ sunt, quæ anno 1655. Monasterium Benedictinarum Teneræmundæ formarent.

Cœnobium Carmelitarium Virile; titulo Vallis *Josaphat*, eo quod in valle seu pede montis situm sit. Hoc fundatricem agnoscit *Mariam vander Grachtiam* viduam *Rogerii d'Escornaix* Equitis, Hoorenbecæ Domini, quæ testamen-

menti tabulis, præter alia prædia, domum ſuam (dictam *Het Caſteel ter Gracht*) & dominium mero imperio, aliiſque clarum prærogativis, reliquit Fratribus B. Virginis de Monte Carmelo menſis Octobris die ſeptimo Anno 1481, quæ tandem piam animam reddidit proximè ſubſecuto menſe Decembri, condita in medio Chori ſub humili Sarcophago, quæ habet talem inſcriptionem, quæ etiamnum legitur in novâ exſtructâ Eccleſiâ Anno 1717.

Hier licht Edele ende Weerde Vr^e. Marie van der Gracht, **Vr^e. van Hoornebeke / Fondatreſſe van deſe Kercke ende Clooſter / W^e. van W^er.** Rogier van Gavre, **Heere van Hoornebeke / die in de Abdye van** S. Adriaen **licht.** Obiit hæc Anno 1481. 3. Decemb.

Noſocomium ante quinque ſecula a Flandriæ Comitibus fundatum eſt, inſtitutis ſex ſororibus ad ægrotorum curam, quem numerum poſtea vetuit augeri *Margareta* Flandriæ Comitiſſa anno 1266. ne quod ad ægrorum curam fundatum eſt, Sorores validæ ampliore numero conſumerent.

De Griſearum ſororum Monaſterii origine, quæ anno 1656. tertiam *S. Franciſci* Regulam Pœnitentium amplexæ ſunt, nihil ad nos certi pervenit.

Beginaſium quod ad Teneram fluvium in Oppido inferiore viſitur, quis inſtituerit, omnino ambiguum & incertum eſt. Beginæ paſſim tradunt *Margaretam* Conſtantinopolitanam Flandriæ Comitiſſam ipſarum fundatricem eſſe, ita ſe a majoribus accepiſſe, quum ea præcipuè pia fuerit, & omnia penè Flandriæ Beginaſia cum *Joannâ* Sorore condiderit.

In Gerardimonte olim fuit Domus Fratrum vitæ communis titulo *S. Gregorii*, qui ex ſuo inſtituto humaniores litteras docebant. Domus hæc vulgo *S. Joannis* domus dicebatur, ſita erat ad Teneram fluvium, ejuſque ludus litterarius a *Jacobo Marchantio Ninhovia* in deſcriptione Flandriæ plurimum laudatur. Deficiente Fratrum numero, poſſeſſiones hujus domus Seminario Gandavenſi acceſſerunt.

Plura qui volet de Oppido Gerardimontenſi, adeat *J. van Waesberghe* in ſuo Gerardimontio edito Bruxellis Ao. 1627. typis J. Meerbecii in 4.

NINHOVIA, antiquis *Nieneve*, hodie *Ninove & Ninhoven*, latinè etiam *Ninive Flandrorum*, exiguum oppidum ad Teneram fluvium. Etymologia nominis incerta, circa annum 490. initium ſumpſit, a Gothis, congeſtâ glebâ & ceſpite in propugnaculum contra Wandalos, interiorem Flandriam, & in eâ Gandam occupantes.

Pulcherrimam inſidet & ſaluberrimi aëris planitiem; inde quâ Tenera ſerpit fluvius, virentibus ſemper pratis, & paſcuis, inde omni frugum genere luxuriantibus campis conſpicuam, quam etiam cingunt montes, Sylvis, arviſque diſtincti, conſpectu amæniſſimo.

Hoc oppidum muro, valliſque cingi cœpit anno 1194. priſtinis bellorum motibus, ac ultimis inter Hiſpanos & Gallos multum attritum, ac munimentis ſuis nudatum eſt, & ab exercitibus, qui pluries in ejus viciniâ ſtetêre gra-

graviſſimas calamitates incolæ & vicini perpeſſi ſunt. Anno 1339. aliarum urbium jus adepta eſt, olim ſeparata a Comitatu Flandriæ fuit, ab eoque independens, nec ullius, inſtar civitatis liberæ dominio ſubjecta; hinc cum ſuo territorio, ſeparatam ab aliis ditionem conſtituens; eâque ratione proprium habet jus municipale ſive conſuetudines, & propriis legibus utitur.

Circa medium ſeculi XII. primum ejus Dominum ſeu Dynaſtam invenio *Amelricum* Flandriæ Conſtabularium, *Gerardi* Conſtabularii, & Fundatoris Abbatiæ Ninhovienſis avum. Subſequentium Dynaſtarum ſeriem reperies in *A. Sanderi* Flandriâ Illuſtratâ Tom. II. pag. 530. Hodie a morte *Caroli Henrici a Lotharingia* Principis Vaudemontani ſubeſt ab Anno 1723. *Beatrici a Lotharingia* Abbatiſſæ Remiramontanæ.

Abbatia Ninhovienſis inibi poſſidet infimam juriſdictionem (*La Seigneurie Fonciere*) quam per Prætorem, Graphiarium, & ſeptem pedarios (vulgo *Laeten* vocant) per notabilem oppidi partem exercet, in eâque jus inhæredandi & exhæredandi: itemque jus habet venandi & piſcandi cum Dynaſtâ per totum diſtrictum, & a pago Santberge uſque ad Liedekercke. Item varii ei competunt cenſus affectati ſuper diverſas domus & fundos.

Hoc oppidum nullum habet territorium, in quo aliquam juriſdictionem exerceat, præter agrum ſuburbanum, in quo aliquot villæ, domuſque ruſticanæ ſunt conſtitutæ titulo fiduciario, & ſubſidiario Ninive accenſetur *Ridders-hoven*. Curiam Equeſtrem appellat Gramajus, eſtque intra limites Toparchiæ Velſicanæ, Comitatus Aloſtani pagi; de qua acturi ſumus in Decanatu Oordegemienſi. Eodem titulo accenſetur *Tempel-Mars*, ſeu templum Martis in tractu Inſulenſi, inter Seclinium & Inſulas, cui titulo fiduciario accenſetur *Vendovilla*, ſeu Vindorum villa, in eodem tractu inſulenſi.

Quoad rem ſacram unicam habet Parochialem Eccleſiam D. Virgini ſacram, quam curat e vicino Ordinis Præmonſtratenſis Cœnobio aſſumptus Parochus. In illâ pro divino officio celebrando ſeptem ſunt præbendæ, quas quotidianias vocant, quod iis proviſi, quotidie teneantur frequentare Chorum. Horum primus & quaſi Præpoſitus eſt Paſtor, & eo ipſo quo fit Paſtor, de illâ quotidianâ proviſus. Sex reliquas alternativè conferunt nunc Abbas, nunc Magiſtratus. Inſtitutio, & introductio ad illa beneficia ſoli competit Abbati, uti & conſtitutio Matricularii ſeu Cuſtodis, & collatio Scholaſteriæ. *Ex Archivis Abbatiæ.*

Ornatur potiſſimum hoc oppidum *Abbatia*, ſub titulo B. M. V. & *S. S. Cornelii & Cypriani*, fundata anno 1137. a *Gerardo* hujus oppidi Advocato, ſeu Dynaſtâ, viro nobiliſſimo & piiſſimo, cognomento Conſtabularius, ſive Comes ſtabuli, filio *Amalrici* Comitis ſtabuli, ſeu Magiſtro Equitis Comitis Flandriæ, erecta tali initio. *Abbatia Ninhovienſis.*

In Eccleſiâ Parochiali hujus oppidi, olim ſitâ extra muros, vetus erat Canonicorum Collegium, & in eo erant duo Canonici celebris memoriæ viri *Balduinus Wala* & *Oiotus*, tertio eorum Collegâ defuncto nomine *Aloudo*, ejus præbenda vacabat. His ſeptem Canonicorum præbendis præfatus *Gerardus* Octavam addere præbendam diſponebat, aſſignans pro eâ decimas ſuas de Herlichove & 21. bonaria terræ apud *Eychem*, ad refrigerium animæ uxoris ſuæ *Giſlæ* defunctæ, & in eadem Eccleſia ſepultæ. Verum ſuggerente præfato *Balduino Wala*, perſuaſum *Gerardo* loco illius præbendæ, fundare Abbatiam Ord. Præmonſtratenſis, toto tunc Belgio celeberrimi, & incrementa maxima facientis, in qua jugis in precibus & ſacrificiis haberetur ſui, ſuorumque memoria. Probatum piiſſimo viro *Gerardo* conſilium *Balduini*, offerentis ad hoc pium opus, ſuam etiam præbendam, & alteram

tunc vacantem assignantes, si ita *Burchardo* Cameracensi Episcopo placuisset, qui maturo prius habito consilio Fratres Præmonstratenses censuit advocandos. Missâ itaque legatione ad Ecclesiam Parchensem, advenit ejusdem Ecclesiæ Abbas *Simon*, & anno 1137. septem ejusdem Ecclesiæ Fratres, prima Ninhovienſis Abbatiæ germina, in festo *S. Martini* advenientes, benignissimè accepti sunt, quibus per Laudunensis & Parchensis Abbates præficitur primus Abbas *Gillebertus* Laudunensis Abbatiæ Canonicus, omnibus quæ erant Ecclesiæ in eorum usus assignatis, quibus præfatus *Gerardus* septem bonaria terræ apud *Rubroeck* (hodie *Ruysbroeck*) adjecit, & insuper quintam garbam in Parochiâ de Herlickhoven acquirere fratribus relaxavit. Quæ omnia *Nicolaus* Episcopus Cameracensis confirmavit diplomate dato 25. Decembris 1138. & eidem Abbatiæ incorporavit Ecclesiam Parochialem Ninhovienſem, cum tribus præbendis inibi fundatis. Diploma refertur in Donat. Belg. A. Miræi novæ edit. pag. 527. ut sequitur.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego NICOLAUS Dei gratiâ Ecclesiæ Cameracensis Episcopus. Quia propitiante Domino Pontificali Cathedrâ licet indigni præsidemus, etsi omnibus in communi nostræ Diœceseos fidelibus generalem curam debemus, illis tamen, qui felici naufragio, abjectâ sæculari sarcinâ, de mundi hujus fluctuante pelago ad tranquillum & placidum contemplationis portum innataverunt, speciali dilectionis & solicitudinis necessitudine obligamur: ut ex nostris eis prodesse, & aliorum erga eos liberalitatem approbare & firmare studeamus, quatenùs piâ vicissitudine de orationibus eorum aliquod imperfectioni nostræ subsidium comparemus.

Igitur tam præsentibus quàm futuris notum facimus, quòd Ecclesiæ de NINIVE, quam cum Altari & atrio, atque omnibus appenditiis suis, piæ memoriæ Prædecessor noster BURCHARDUS, AMULRICI Constabularii Flandrienſis, ceterorumque participantium devotissimâ petitione, liberam & ab omnimoda exactione quietam effecerat, quidquid in futurum concessione Principum, oblatione fidelium, seu aliis quibuscumque justis modis canonicè poterit adipisci, possidere gratanter annuimus.

Porro quoniam jacula prævisa minùs lædunt, præfatæ Fratres Ecclesiæ, secundùm Apostolicam institutionem atque tenorum Præmonstrati Ordinis degentes, ne deinceps posterorum infestatione, sive quorumcumque sacrilegâ cavillatione inquietati, requietionis suæ amœnitate priventur, non inconsultè decernimus quædam beneficia privilegio commendari, quæ nullatenus ab Ecclesiastico jure convenit alienari.

Siquidem GERARDUS, liberalis vir, suprà memorati Amulrici Filius, in omnibus aquis, quas ipse liberè possidet, exceptis solummodò vivariis solis, gratâ largitate Fratribus piscationem perpetualiter concessit. Præterea ex beneficiis ejusdem Gerardi, piscatorias rendiculas quatuor, quas vulgò vieria nominamus, in flumine Teneræ hereditario jure possidebunt.

Addidit etiam ideò Gerardus territorium de *Windresdala*, & adjacentia ejus; pratum videlicet & nemus, & aliud pratum secus Teneram, & allodium de *Roslaer*, & septem libras annuatim istis diebus determinatis in Villa *Testerep* persolvendas, B. Joannis Baptistæ, Sanctique Remigii, in Purificatione B. Mariæ & in media Quadragesima.

Nos verò de statu Religionis & Ordinis integritate quàm plurimùm gratulantes, ne Claustralium pacem turbare potiùs quàm nutrire videamur, Domino GISLEBERTO Abbati Ninivensi, & decessoribus ejus, quidquid obsequii nostræ dignitatis ad honorem attinet, omninò dimittimus; excepto quòd semel in anno, si tamen præmonitus fuerit, ad Synodum venire curabit. Item Ecclesiæ Beatorum Martyrum Christi Cornelii & Cypriani hujusmodi libertatem concedimus, quatenùs Abbas electus, ad consecrandum iturus, Baculum Pastorale super Altari propriâ manu accipiat.

Contigit aliquoties, ut alicui infirmitate detento, & volenti converti, prohibitio Presbyteri sui obviaret. Quod quia contrarium B. Augustini Regulæ videtur, dicenti: *Suscipite infirmos*, omnibus infrà nostri Episcopatûs terminos simile quærentibus benignè concedimus, ut ad Ecclesiam Ninivensem, salvo tamen Presbyterorum,

quo-

quorum Parochiani sunt, Offertorii proficuo. . . Si autem aliquo forefacto Principis Provinciæ sive aliorum quorumcumque terra in banno teneatur, remotis excommunicatis, foribus clausis, divinum in Ecclesia celebretur officium.

Nos quidem ex injuncto nobis officio, quidquid Reverendissimi Patres nostri Honorius atque Innocentius religiosè sanxerunt, viva voce prædicare debemus. Interdicimus itaque Apostolicâ auctoritate, ne in Ecclesia Ninivensi, in qua Fratres vitam Canonicam professi degunt, nulli omninò hominum liceat, secundùm B. Augustini Regulam, ibidem constitutum commutare. Nullis etiam Episcoporum futuris temporibus audeat inde Fratrem abducere, nec professus quispiam ex eadem Ecclesia aut Claustro præsumat sine communi Congregationis permissione discedere; discedentem verò nullus Episcoporum, nullus Abbatum, nullus Monachorum, sine communi Litterarum cautione, suscipere.

Statuimus etiam, ut nulli liceat eandem Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus Possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integrè conserventur Regularium Fratrum & pauperum usibus profutura. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona alienare ab Ecclesia, quidquid legitimè possidet, præsumpserit, si non satisfactione, secundò tertiòve commonita, congruè emendaverit, in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiæ jura servantibus sit pax Domini Jesu Christi, quatenùs & sic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen.

Sancimis etiam, ut pro GERARDO, ejusdem Ecclesiæ Fundatore & constructore, in eadem Ecclesia jugis memoria in orationibus perpetualiter habeatur.

Signum Theoderici ejusdem . . . . Archidiaconi,
S. Joannis, Alardi, Theodorici, Archidiaconorum,
S. Guidonis Præpositi,
S. Gerardi Decani & Archidiaconi,
S. Guidonis,
S. Walteri,
S. Guirenboldi, item Guirenboldi,
S. Hugonis, item Hugonis, Bartholomæi, Eustachii, Heriwardi, Radulphi, Canonicorum.

Actum anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo trecesimo octavo, Indictione XV. Præsulatûs Domini Nicolai secundo. 1138.

Ego Guirenboldus scripsi & recensui.

Ejusdem ferè tenoris litteras dedit idem *Nicolaus* Camerac. Episc. anno 1139. & 1165.

Eugenius III. Papa confirmat possessiones Abbatiæ Ninivensis, eamque eximit a subjectione Episcopali, & sub protectione *S. Petri* suscipit, Anno 1147. Diploma recitat *A. Miræus* in Donat. Belg. novæ edit. pag. 534. ut sequitur.

Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis Filiis GERARDO Abbati Ecclesiæ S. Cornelii Ninivensis, ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris, canonicam vitam professis in perpetuum. Quoties illud à nobis petitur, quod Religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium.

Eapropter dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam B. Cornelii Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis Scripti patrocinio communimus. Statuentes quascumque possessiones, quæcumque bona inpræsentiarum eadem Ecclesia justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Totam decimam ejusdem villæ cum appenditiis suis, *Herlinchoven* cum tota decima, *Lidekerkensem* Ecclesiam cum tota decima & appenditiis suis, scilicet *Lombeca*, *Stri-*

Strithem; partem decimæ apud *Menz*, curtem *Netherwich* cùm prato, piſcatione in Tenera ubique, cum Advocato, duo molendina cum manſis juxta Eccleſiam Niniveníem, curtem *Rubroc* cum circumjacentibus terris & ſilvis, terram Hugonis Gantis, & Fratris ejus Giſleberti; ſilvam *Mentogh* à Gerardo Advocato emptam, curtem *Wendencote* cum circumjacentibus terris & pratis; hereditatem Henrici Gonverſum de Herlincoven, alodium de *Roſilar* cum nemuſculo *Stonbecca*; alodium quod dedit Herbrandus de Merbeca; terram cum ſilva Gualteri de Curia, terram quam dedit Theodericus de Inferno; terram quam dedit Caſtellanus Bruxellenſis, aſſenſu Guidonis & Gualteri de Hoſdem apud *Seneſiam*; terram quam dedit Uffo Pauper, aſſenſu Fratris ſui Giſlardi apud *Arken*; terram quam dedit Albricus cum ſilva & prato apud eamdem villam.

Sane agrorum veſtrorum, quos propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis veſtrorum animalium nullus à vobis decimas exigere præſumat. Prohibemus quoque, ut nullus Fratrum, poſt factam ibidem profeſſionem, abſque Abbatis ſui permiſſione, ex eodem clauſtro audeat diſcedere; diſcedentem verò, abſque litterarum communium cautione, nullus ſuſcipere vel retinere præſumat.

Decernimus ergò ut nulli omninò hominum liceat prætatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare; ſed omnia integrè conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalvâ Sedis Apoſtolicæ auctoritate & Diœceſani Epiſcopi canonicâ juſtitiâ.

Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſeculariſve perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à Sacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini noſtri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Theodoricus Alſatius Flandriæ Comes anno 1142. in protectionem ſuſcipit Abbatiam Niniveníem petente Fundatore *Gerardo*. Diploma refert idem *A. Miræus* in Donat. Belg. novæ edit. pag. 530. cujus hic eſt tenor.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. THEODERICUS Elſatius, divinâ diſpenſante providentiâ, Flandrenſium Comes, tam futuris quàm præſentibus in perpetuum.

Quando ea, quæ juſta, quæ utilia, quæ honeſta, quæ denique divina ſunt, poſtulamur, piâ alacritate nos condecet facilem præbere aſſenſum.

Proinde petitioni devotæ Domini GERARDI de NINIVE, cognomento Conſtabularii, piè acquieſcentes, Abbatiam de Ninive, ſub noſtro dominio & Flandrenſi Advocatia tuendam, de manu ipſius Gerardi ſuſcepimus, quaſi Deo & hominibus pro ea reſponſuri, & mercedem æternam pro bene adminiſtrata protectione habituri.

Præfatus ſiquidem GERARDUS temporibus noſtris in ſuburbanis ſuis Abbatiam, in honore ſanctæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ, & ſanctorum Martyrum Cornelii & Cypriani, ob ſuam ſuorumque ſalutem inſtituit, ipſique ſummâ ſolertiâ neceſſaria procuravit. Sed quoniam vir ſapiens & providus malis, quæ noſtris temporibus perturbant Eccleſias, ſe reſiſtere non poſſe conſideravit, nobis & Succeſſoribus noſtris ſponte ſuâ dominium & Advocatiam Abbatiæ & poſſeſſionum ejus, ore & manu & teſtimonio noſtrorum ſuorumque hominum, commiſit & dedit; ut vel etiam ipſi, vel Sequacibus ſuis, vel quibuſlibet malum præfatæ Eccleſiæ molientibus juſtitiâ & poteſtate noſtrâ obviaremus.

Abbatiam igitur, quam liberam invenimus, liberamque ſuſcepimus, liberam deinceps fore decernimus. Et ſi quis querelam in ipſam vel in res ejus habuerit, & ad præſentiam Comitis Flandrenſis terminare noluerit, ſed præſumptuoſâ malitiâ ipſam vexaverit, Flandrenſis Majeſtatis reus habeatur. Ut autem hæc bene ordinata optimè

dein-

deinceps teneantur, Teſtium, qui rei geſtæ interfuerunt, ſubſcriptione & Sigilli noſtri impreſſione hanc Decreti Paginam corroborare decrevimus.

Signum Otgeri Notarii,
S. Iwani de Gant,
S. Willelmi de Boular.
S. Michaëlis Conſtabularii,
S. Theoderici de Beverne,
S. Balduini de Wenteca,
S. Rogeri Tribuni de Curtraco,
S. Balduini de Sichem,
S. Gerardi de Netherwic,
S. Walteri Faityr.

Actum anno Incarnati Verbi milleſimo centeſimo quadrageſimo ſecundo, Indictione quintâ, Epactâ XXII. Concurrente III. 1142.

Mirum quanta hæc Abbatia brevi temporis ſpatio tam in ſpiritualibus quam temporalibus incrementa fecerit, variis acquiſitis per Brabantiam, Flandriam & Hannoniam poſſeſſionibus, juribus & prærogativis.

Paſtoratus quos obtinet hæc Abbatia, quique a ſuis Canonicis adminiſtrantur ſunt ſequentes; Ninhovienſis cum ejuſdem appendice de Herlinckhovia, Lidekercanus, Lombecæ Caſtri, cui unita eſt Eccleſia de Strythem, Pamelenſis, Voordenſis, & Okegemienſis.

Eccleſia Parochialis Ninhovienſis præfato Cœnobio unita eſt anno 1138. per *Nicolaum* Epiſc. Camerac. uti ſupra dictum eſt.

Eccleſia Parochialis Lidekercana anno 1092. conſentiente *Gerardo* Epiſcopo Cameracenſi, per fundationem *Radulphi* Tornacenſis & *Hellewigis* uxoris ſuæ, mutata fuit in Abbatiam Canonicorum Regularium; Ejus Abbas erat ejuſdem Eccleſiæ Paſtor, & e ſuis Vicarios emittebat in Lombecam Caſtri & Strythem tamquam Eccleſiæ Liderkercanæ appendices. Anno 1140. *Iwanus* Comes Aloſtanus & Dominus Lidekercanus, amotis inde dictis Canonicis, ceſſit Abbatiæ Ninhovienſi Eccleſiam Lidekercanam cum præfatis appendicibus & memoratæ Abbatiæ poſſeſſionibus, donum confirmante *Nicolao* Epiſc. Camerac. & eo jure adminiſtratur per Canonicum Abbatiæ Ninhovienſis.

Eccleſia Lombecæ Caſtri unâ cum Strythemienſi, olim (uti dictum) Lidekercanæ appendices per meros Vicarios miniſtratæ, hodie proprium ſuum Paſtorem obtinet præfatæ Abbatiæ Ninhovienſis Canonicum, cui uni ſoli (licet ſint duæ Parochiæ, ambæ baptiſterio & reliquis Parochialibus propriæ proviſæ) ſubjiciuntur per *Joannem* Epiſcopum Cameracenſem anno 1198.

Eccleſia Parochialis de Pamella eidem Abbatiæ acceſſit anno 1179. cum Altari de Ledeberghe (quod hodie Sacellum eſt) dono *Rogerii* Epiſc. Camerac.

Eccleſia Parochialis de Voorde anno 1292. per *Guillielmum* Epiſcopum Cameracenſem unita eſt Abbatiæ Ninhovienſi, in cujus favorem dictæ Eccleſiæ renuntiarunt, & ſeſe abdicarunt Abbas & Conventus Montis S. Martini Ord. Præmonſtr. in Picardiâ propè Caſteletum Galliæ oppidum.

Eccleſiam Parochialem de Okegem acquiſivit Abbatia Ninhovienſis anno 1602. per ceſſionem & renuntiationem Abbatis & Conventus S. Adriani Ord. S. Bened. Gerardimontibus, & approbatione *Matthiæ Hovii* Archiepiſcopi Mechlinienſis.

Cætera jura & prærogativa libens prætereo ne ſolito ſim prolixior propoſito.

A pluribus ſeculis ad Eccleſiam Abbatialem frequentiſſimus ſemper fuit,

& hodiè perſeverat concurſus Epilepticorum ſeu morbo caduco & aliis infirmitatibus laborantium, qui ad Reliquias S. S. Mart. atque Pont. *Cornelii & Cypriani*, ut authentica probant teſtimonia, integram Sanitatem conſecuti ſunt & conſequuntur. In ejuſdem Abbatiæ agro dicto Sylva de Ruysbroeck, territorio Ninhovienſis oppidi celebre viſitur Sacellum, dicatum Deiparæ Virgini ſub titulo Mariæ pacis, in quo ægri ac infirmi Deiparæ devoti reconvaluêre ſæpius, & plurima beneficia obtinuêre.

Floruit in hoc Cœnobio *Balduinus Ninivenſis*, Chronographus, qui ſcripſit Chronicon breve a Chriſto nato uſque ad annum 1294. quod aſſervatur in hac Abbatiâ, quod nos ipſi hoc anno 1725. vidimus & inſpeximus, ex eo ſe plurima tranſcripſiſſe fatetur *A. Miræus* in ſuo Præmonſtratenſi Chronico.

Damus hîc exactam ſeriem Abbatum; prout ex Archivis ex hac Abbatiâ ad nos miſſa eſt.

ABBATES NINHOVIENSES.

I. Gilbertus, Canonicus Abbatiæ Laudunenſis, vir Religione, ſcientia & moribus apprimè ornatus. Poſt quinquennale regimen, ceſſione locum fecit alteri Gilberto anno 1142.

II. Gilbertus, Canonicus Abbatiæ Parchenſis, poſt regimen duorum menſium ad ſuos reverſus anno 1143.

III. Gerardus, Canonicus Abbatiæ Laudunenſis rexit annis 44. irreprehenſibiliter. Templum & clauſtrum ædificavit, ad quod ſuum deduxit gregem, veteri relicto, quod ſubitaneo opere erectum fuerat in atrio templi Parochialis, quod unâ reliquit. Obiit anno 1185. die 28. Sept.

IV. Arnoldus Wala, primo profeſſionis anno Prior conſtitutus, ejuſdem Officii 45°. Abbatiale munus ſuſcepit: quo toto quinquennio laudabiliter functo, defunctus eſt 8. Octobris anno 1190.

V. Matthæus de Scornaco, Canonicus Abbatiæ Montis S. Martini. Vir fuit ſingularis doctrinæ & Scriptis clarus, poſt quinquennale regimen ceſſit Ao. 1196. & ad locum unde exierat reverſus, ibidem beato fine quievit.

VI. Algotus. Vir pius, poſt quinquennalem adminiſtrationem, ob perpetuum languorem curam Paſtoralem depoſuit anno 1199.

VII. Steppo, Abbatialem dignitatem ſuam laudabiliter illuſtravit, illuſtri ipſe apud Hannonios ſtemmate natus, denatus eſt 15. Octobris anno 1204.

VIII. Henricus, Abbatiæ Montis S. Martini Canonicus, poſt biennium abdicavit anno 1206.

IX. Joannes de Spinis. Vir admodum religioſus, ſuſceptæ dignitati ſolo quadrimeſtri ſuperſtes, mortuus 7. Januarii anno 1207.

X. Rodolphus, vir ſive in Regulari obſervantiâ zelum, ſive in provehendis temporalibus induſtriam ſpectes, multâ laude digniſſimus obiit 18. Aprilis anno 1244. Sub hujus Prælaturâ anno 1221. mortuus eſt B. memoriæ *Arnoldus a Swalma* Parochialis, oppidi Ninhovienſis annis fere 33. Parochus, ad cujus tumulum (qui in Cœmiterio Abbatiali erat) cum crebra miracula fierent, corpus ejus ad Parochialem Eccleſiam tranſlatum, ibidem honorificentius ſepultum eſt.

XI. Sigerus, qui munere Abbatiali Septennio præclarè functus, defunctus eſt Calendis Januarii anno 1251.

XII. Daniel, qui poſt Eccleſiam Jettenſem & Grimbergenſem providè

ſuis

ſuis temporibus gubernatam, ad ſuæ matris Eccleſiæ regimen, vitæ & ſcientiæ meritis exigentibus electus eſt: poſt cujus triennium, hoc quantum honoris & dignitatis, morte depoſuit 19. Januarii anno 1255.

XIII. Guillielmus ab Haltera, quamquam bonus Paſtor, diſperſionem tamen gregis ſui paſſus eſt: Hannoniis Ninhoviam devaſtantibus per rebellionem contra *Margaretam* Flandriæ & Hannoniæ Comitem ſuſceptam pro Avenienſi ejus filio, quibus malis cedens, ceſſit & officio anno 1258.

XIV. Ægidius, Canonicus Abbatiæ Viconienſis, vir doctus, doctorumque fautor, qui dum annos XII. in Præſulatu vixiſſet, evixit 5. Februarii anno 1270.

XV. Peregrinus; ſed ſuper terram, a quâ ut expeditior ad cæleſtem Patriam feſtinaret exacto circiter anno Abbatialem ſarcinam depoſuit anno 1271, & morte metam peregrinationis attigit 30. Auguſti, ejuſdem anni.

XVI. Henricus ab Alosto, poſt triennium ſucceſſorem vidit 12. Octob. 1274.

XVII. Joannem de Harbeca, virum multum memoriâ dignum, qui contractum per priorum temporum injurias alienum æs omne difflavit, & amplas Eccleſiæ ſuæ poſſeſſiones adjecit, ac tandem ſenio gravis, quietis ergò Abbatiale munus 20. Decembris anno 1305. reſignavit

XVIII. Joanni Millys, Ninhovienſi, qui poſt novennale laudabile regimen fato conceſſit 28. Octobris anno 1314.

XIX. Joannes de Champs, ex Linniaco, poſt triennale regimen ſucceſſorem habuit

XX. Ægidium de Cellario, Ninivitam, virum verè religioſum, qui poſt Septennii præfecturam, ultrò eidem ceſſit 5. Maii 1324.

XXI. Hunc poſt biennale regimen imitati ſunt Joannes de Impe anno 1226.

XXII. Et Simon de Costere, anno 1328.

XXIII. Guillielmus Bussere, illuſtri ortus ſanguine, moribus ipſe & defenſione jurium Eccleſiæ ſuæ illuſtrior, qui poſtquam annos VIII. præclarè præfuiſſet, & profuiſſet, eſſe deſiit 12. Sept. anno 1338, cui ſucceſſit

XXIV. Joannes a Teneræmunda, ſuam tenerè & mundè Eccleſiam dilexit & rexit annos XXII. dum tandem pedum fatigatus ſenio, & dein vitam depoſuit 19. Februarii anno 1359.

XXV. Joannes van Hamme, Ninhovienſis, præfuit ſtrenuè annis XXXIII. inter maximas Patriæ calamitates, quibus cum oppido Ninhovienſi ſuam vidit Eccleſiam involvi, diripi, incendi, ac penitus everti. Tandemque datâ pace domum Abbatialem cum Hoſpitio Gandavenſi acquiſitam, a fundamentis innovatam conſtruxit, & dum ferè reſpirat 1. Junii anno 1391.

XXVI. Joannes Neuckerstock, ex vetuſto apud Flandros ſtemmate, dirutum cœpit reſtaurare templum, & Monaſterii clauſtrum: ſed quaſi omnibus perficiendis dum ſibi videretur impar, ſpontaneâ ceſſione Abbatiale munus, munus fecit ſpectabili viro *Bartholomæo ab Hoemen* anno 1406. die 10. Julii.

XXVII. Bartholomæus ab Hoemen, S. T. B. pro Ordine ſuo Præmon-

ſtratenſi Deputatus, interfuit Concilio Baſileenſi, a quo confirmatis Ordinis, & Eccleſiæ ſuæ privilegiis, obtinuit Mitræ & Pontificalium uſum, quibus tamen uſus humilitatis ergò fuit numquam, multiſque tandem domi & foris præclarè geſtis, cum rexiſſet annis 43. plenus dierum, diem clauſit extremum Kalendis Octobris anno 1447.

XXVIII. JOANNES BEVERLINCK, Ninivita rexit annos 37. quorum 1450. 1451, & 1452. ſuæ Eccleſiæ funeſtiſſimi fuêre, miſcentibus omnia igne & ſanguine Gandavenſibus, tanta vaſtitate ut ſua ſuis Eccleſia deſtituta incolis tantum non exſtincta fuerit. Ærumnoſam hanc vitam deſeruit 31. Julii anno 1484. Nec meliora nactus eſt tempora Succeſſor ejus

XXIX. GUILLIELMUS A CASTRO, iiſdem ferè calamitatibus involutus ad annum uſque 1499. quo Abbatialem dignitatem depoſuit, poſtea vitam quoque deponens 4. Januarii anno 1505.

XXX. GERARDUS PARDEKE, egit tranquillius annis XI. quibus disjecta & collapſa ſuæ domus ædificia reſtauravit, aliiſque laudabiliter geſtis obdormivit in Domino 11. Decembris anno 1510.

XXXI. JOANNES CLERICI, Aloſtanus, electus annos natus 75. In tam frigido ſenio, ferventiſſimus jurium Eccleſiæ ſuæ defenſor. Nonagenarius anno 1525. ceſſit officio & anno 1527. die 29. Novembris exceſſit e vitâ.

XXXII. CORNELIUS HEY, Bredanus, primus Mitrâ & Pontificalibus uſus eſt. Vir planè inſigniſſimus, qui poſtquam æs alienum (quo ſua Eccleſia gravabatur) omnino expunxiſſet, eamque variis ædificiis exornaſſet, ſpontaneè Mitram depoſuit anno 1544, ſuoque heroico actu novem annis ſuperſtes. Obiit 1553.

XXXIII. JOANNES AB AVENA, Eccleſiam ſuam mirè provexit & ditavit. Ceſſit dignitati anno 1567. & obiit anno 1571. in feſto *S. Ceciliæ*, cui in vitâ ſpecialiter fuerat devotus.

XXXIV. MICHAEL MALENUS, origine Bruxellenſis, dum collabentis domus ſuæ reparationibus inſiſtit, operam perdit; nam anno 1578. hæreticis ſusdeque vertentibus omnia, & profanis ſacra miſcentibus, Bruxellas (diſperſis huc illuc Fratribus) profugere cogitur, ubi 18. Septembris ejuſdem anni peſte abreptus, in S. Gaugerici ſepultus eſt. Nec Maleno felicior ejus Succeſſor

XXXV. PETRUS ALOYSIUS, Bruxellenſis, qui ut ſibi ſuiſque provideret ſacra vaſa conflare, & Eccleſiæ ornamenta diſtrahere oportuit. Miſeriis hiſce immortuus eſt anno 1587. 13. Decembris.

XXXVI. ADRIANUS WASTEELS, Ninivita, verè inter tot ærumnas vir deſideriorum, & ad ſtuporem erga Deum, Divoſque pius, ſpecialiter *S. S. Cornelium & Cyprianum* Eccleſiæ ſuæ Patronos, quorum ope miraculoſâ (ut in extremis faſſus) a prædonibus eſt liberatus, pièque in Domino obdormivit 5. Martii anno 1594.

XXXVII. ANTHONIUS DE LANGHE, apud Mechlinienſes Nobili ſtirpe natus, S. T. B. Vir doctiſſimus pariter & Eloquentiſſimus, qui in magnâ mediorum tenuitate, per ſingularem œconomiam everſum Monaſterium tertio ædificationis anno habitationi commodum effecit. Tantæ fuit apud omnes æſtimationis, ut a Concilio Flandriæ in Commiſſarium Curiæ pro Clero electus ſit: tam ſui potens, ut binos Epiſcopatus ſucceſſivè oblatos recuſaverit. Tandem vero morte ſuâ 11. Aprilis anno 1606. Abbatialem infulam fecit & Bullam.

XXXVIII.

XXXVIII. Christianus vanden Abeele non minus de ſpirituali quam materiali ædificatione optimè meritus, poſt ſeptem Prælaturæ annos ex hac vitâ decedit 13. Julii anno 1613.

XXXIX. Joannes David, S. T. B. parentibus Gerardimontenſibus natus Hannoniæ Montibus; Vir doctus & munificus, Ordinum Flandriæ (ex parte Cleri) Deputatus Primarius, Ordinis Præmonſtratenſis in Curiâ Romanâ Syndicus, per utramque Germaniam, Hungariam, Daciam, Poloniam viſitator generalis, *Alberto* & *Iſabellæ* Belgarum Principibus a Conſiliis intimis. Rexit annos 23. quibus perfecit cœpta a prædeceſſoribus Monaſterii ædificia, & alia adjecit, dumque plura deſignat, & incipit, vitam finit anno 1636. die 25. Julii.

XL. Michael Mordack, Bruxellenſis, vix toto Semeſtri vixit, & ante benedictionem evixit 21. Martii anno 1637.

XLI. Chistianus Roelofs, Gerardimontenſis, S. T. B. Ordinum Flandriæ ex parte Cleri Deputatus Primarius, Regularis diſciplinæ Zelator egregius, cum viginti annis inter continuas temporum viciſſitudines præfuiſſet, ex hac vitâ migravit 4. Maii anno 1657.

XLII. Joannes Nevius, (alias *de Neve*) Oulterenſis, vir plane eruditiſſimus, de Ordine Præmonſtratenſi (Circator generalis) de Patriâ (Ordinum Flandriæ ex parte Cleri iterato Deputatus Primarius) denique de Eccleſiâ ſuâ optimè meritus, & in utraque fortunâ ſui ſemper ſimilis. Obiit 4. Martii 1685.

XLIII. Ferdinandus de Moor, Ninhovienſis ex Paſtore Ninhovienſi ejuſdem Cœnobii Abbas, vir zelo zelatus pro decore domus Dei, & diſciplinæ Regularis exactiſſimus, poſt tredecim annorum laudabile regimen vitâ functus eſt 27. Februarii anno 1698.

XLIV. Carolus Charite', Ninhoviâ ortus, omnibus amabilis, amore omnes complexus, & in omni ſcientiâ ſine inflatione verſatus: præcipuè Theologica, quam ſuis Confratribus uno & viginti annis prælegit denatus in vigiliâ Nativitatis Domini anno 1701.

XLV. Dionysius Freysers, Haſſeleti in Eburonibus natus, ex Paſtore Parochialis Ninhovienſis ad Prælaturam evectus, ad Dominum migravit poſt laudabile decem annorum regimen 13. Maii anno 1712.

XLVI. Ferdinandus vander Haeghen, Gerardimontenſis, ex Proviſore electus & inauguratus Abbas die 3. Julii anno 1721. ad Comitia Flandriæ ex parte Cleri deputatus primarius. Anno 1723. novam inſignem Abbatialem Eccleſiam, penè ſeculo a prædeceſſoribus inchoatam ad perfectum deduxit, eamque ſolemni pompa die S. Jacobo ſacra benedixit & primus in eâ ſacrificium altaris obtulit, hodie feliciter præeſt & ſalutariter prodeſt.

Præter hanc Abbatiam & ædem Parochialem D. Virgini inſcriptam, eſt *Gerontocomium* dictum *Naſareth*, fovendis ſeptem ſenibus deſtinatum, anno 1576. ab *Antonio Vlaminck* Canonico, Officiali & Archidiacono, dein Decano Iprenſi dotatum. Fundationem hanc confirmavit eodem anno die nonâ Julii *Antonius Perenotus* S. R. E. Cardinalis Granvellanus titulo *S. Petri* ad vincula, Archiepiſcopus Mechlinienſis.

Item Xenodochium ſeu Hoſpitale ſpecialiter deputatum ut pauperes & infirmi ibi foveantur, & curentur, fundatum circa annum 1268. Benefecit inter cæteros illis olim anno 1295. *Joannes de Liedekercka* Eques & Dominus vanden Egene.

In oppido Ninhovienſi olim fuit Beginaſium, quod nomen pontis vicini dicti *De Begyne-Brugge*, & nomen Capellaniæ ſatis indicant. Occuparunt illud anno 1504. Griſeæ Sorores ex pago de *Viane* juxta Gerardimontes huc advenientes, profitentes tertiam Regulam *S. Franciſci*, ea lege & conditione admiſſæ, quod infirmis aſſiſtere, & contagioſo morbo laborantibus inſervire teneantur. Circa annum 1662. reformationem & clauſuram amplexæ, cujus conſenſu vel auctoritate ignoratur, exinde Pœnitentes Recollectivæ cœperunt appellari; Paſtore tamen oppidi ſpiritualem in eis juriſdictionem privativè ſibi manutenente, per Sententiam Magni Senatus, & Decretum Regium confirmatum.

Herlinchoven. Appendix Eccleſiæ Parochialis Ninivenſis eſt *Herlinchoven* ſeu *Herlingi-Curia*, & *Herlinchovia*, ab *Herlingo* uno ex Gothorum Ducibus nomen ſortita, contigua ferè oppido Ninivenſi verſus Occidentem, unde quia hic pagus olim alium habuit Dominum, ſcilicet Abbatem *S. Amandi*, etiam modo *S. Amandum* populus veneratur annuo feſto ſeorſum a civitate Ninivenſi, cum tamen eundem habeat Paſtorem. Olim diſtincta videtur fuiſſe Parochia; in quodam antiquo enim libro vocatur Parochia: habet etiam proprium Magiſtratum, Graphiarium, menſam pauperum & ædituos. Paſtori tamen Ninivenſi in ſpiritualibus ſubjecta.

A. Miræus in Donat. Belgic. Lib. II. Cap. XLVII. novæ edit. refert Diploma quo *Eugenius III.* inter cætera confirmans poſſeſſiones Abbatiæ Ninivenſis Anno 1147. recenſet totam decimam villæ ſcilicet de Ninive cum appenditiis ſuis, *Herlinchoven* cum totâ decima. Dominum & Prætorem criminoſum agnoſcit eumdem quem Ninive, olim tamen ante annum 1115. alium agnoſcebat Dominum (uti jam dicere incepimus) videlicet Abbatem Elnonenſem *S. Amandi* in pabulâ, qui dictum pagum commutavit, cum parte Allodii, quod *Balduinus* filius *Roberti* junioris Comes Flandriæ habebat in *Teſte-repti*. Non incongruè Ninive ſubjungimus Dominium de *Rotzelaer* in Comitatu Aloſtano, quod complectitur hoſce pagos *Dender-Hauthem*, *Ayghem*, *Heldergem*, *Haeltert*, *Kersken* & *Vlackem*. Spectavit olim ad Barones de *Rotzelaer* (& hinc Dominio nomen) in Brabantiâ. Donavit illud *Gerardo* filio majori Equiti *Joannes de Rotzelaer* cum aliis in Flandriâ prædiis Anno 1279. Devolutum eſt poſtmodum illud Dominium ad Duces Brabantiæ, & per *Joannem III.* anno 1331. venditum fuit *Henrico* filio *Guidonis Dompretæ* Comiti de *Loo* ſeu Laude, Domino etiam Ninivenſi. Quo ſine liberis defuncto cum alia ejus hæreditate Dominium hoc ad peculia Comitatus Flandriæ acceſſit. Hodiè illud poſſident Gentiles de Happart-Dieghem cum ſuis.

Dominium de Rotzelaer.

Dominium de Wedergraet. Dominium de *Wedergraet* quamdam habuit olim dependentiam cum oppido Ninivenſi, ratione ſubjectionis Feudalis quam habebat *Windeca-Teneræ*, unus e potiſſimis ditionis Aloſtanæ, & territorii de *Wedergraet* pagus. Complectitur hoſce pagos *Windeca-Teneræ*, *Allodium* ſive *Neygene*, *Appeltere* cum *Eychem* & *Pollaer*. Porro nomen ſuum ſortitum videtur a Caſtro dicto de *Wedergraet*, quod in colliculo ad Teneram prope pagum de Appeltere ædificatum, jam planè dirutum eſt, colliculus tamen hodiè ibidem cernitur.

Hoc Dominium olim poſſedit *Oſto de Wedergraet*, Eques qui filiam unicam *Mariam* reliquit ejus hæredem, nupta hæc eſt primo *Joanni de Maſmines* Equiti Domino de Axelles: exinde *Danieli vanden Weerden* Scutifero circa annum 1411. Cum autem per illam Dominium hoc venditum eſſet, jure retractus occupavit illud *Antonius* Brabantiæ Baſtardus, at non ſi-

ne

ne lite. Ab illo devenit ad *Philippum* Burgundiæ Ducem, qui Cancellario ſuo *Petro de Goulx* & *Mariæ de Rye* uxori ipſius, illam terram donavit. In qua familiâ cum hæſiſſet uſque ad *Gaſparum de Goulx*, ab eodem in dote aſſignata fuit filiæ fratris ſui *Guilielmi* Domini de Meerbeke, eâ tamen conditione, ut filius ex eâ naſcituras primus natu nomine *Goulx* inſigniretur: ſin ſæcus faxit, ad ſecundum genitum, qui illam conditionem ſervaret devolveretur. *Philippa* mixta *Joanni de Lille*, Domino de *Goulſin*, nullam ex ea edidit prolem: eadem nupta *Philippo Guilielmo de la Pierre*, Domino de *Fay*, eandem ditionem transmiſit morte ſuâ filio ſuo natu maximo *Franciſco Philippo* cui a morte avi Paterni obtigit amplum Dominium de *Bouſies*, dein titulo Marchionatus decoratum.

Hic Marchio de Bouſies Anno 1699. die 25. Novembris vendidit Dominium de *Wedergraet* cum ſuis annexis & dependentibus *Antonio van Cauteren* Domino de Nederbracle; pretium fuit 60000. floren. poſt cujus mortem ejus filius *Antonius-Franciſcus-Clemens* hoc Dominium hodie poſſidet.

APPELTERE, pagus Comitatus Aloſtani inter Ninhoviam & Gerardimontem Dominii de Wedergraet, vide ſupra.

Eccleſia tutelarem colit *S. Gertrudem* Virg. ſub Patronatu Abbatiſſæ Illuſtris Capituli Nivellenſis.

Decima eſt tripartita cujus duæ trientes ſpectant ad præfatum Capitulum Nivellenſe, altera triens ad Parochum, cui inſuper ab eodem capitulo annuè ſolvuntur in Supplementum competentiæ 220. floreni.

Hujus Parochialis appendix eſt in ſpiritualibus *Eychem*, cujus Eccleſia ſacra eſt *S. Martino* Epiſc. Dynaſtia eſt Dominii de Wedergraet.

ASPELAERE, Municipium ſub Baronatu de Boulaer, ad cujus Baronem ejus ſpectat Dominium, primo lapide a Ninhoviâ quâ itur Gerardimontem. Solemne habet forum annuum poſtridie Feſti *S. Joannis Baptiſtæ* die 26. Junii.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Amando* Tungrenſi Epiſc. Ejus Patronatum poſſidet Abbas *S. Adriani* Gerardimontibus Ord. S. Bened. cum potiori parte decimarum, ſola ſexta earum pars cedit Parocho, cui in Supplementum competentiæ annuè ſolvuntur a præfato Abbate 120. floreni.

Hæc Abbatia obtinuit Altare de Aſpelaer cum appenditio ſuo Halut (verba ſunt Diplomatis) a *Burchardo* Cameracenſi Epiſc. Anno 1118. hanc donationem confirmavit *Balduinus van Waesberghe* anno 1228. menſe Martio.

Appendix hujus Parochialis eſt *Neer-Haſtelt*, antiquitus *Halut* (uti mox dictum eſt) Dynaſtia eſt Baronatus de Boulaer, gaudet jure aſyli, Eccleſiam habet *S. Amando* ſacram in qua ſingulis menſibus divina celebrantur. Præfatus Abbas poſſidet in hoc loco multas agri & prati poſſeſſiones & cenſus, item decimas carnium quarum Paſtor habet medietatem.

BOULARIA, vernaculè *Boulaer*, Gallis *Boulers*, Illuſtris Flandriæ Imperialis vetus Baronatus qui in XII. pagos juriſdictionis ſuæ alas extendit, videlicet Boulariam Superiorem & Inferiorem, Onckerſele, Waerbeke, Goefferdinghem, Niewenhove, Aſpelaere, Nederhaſſelt, Yedeghem, Deeftingem, Vluerſeghem, Smerlibbe; non ſunt quidem proprii Baronatus, ſed vel ipſius Baronis ex alio titulo, vel ab eo moventur in feudum. *Vetus Baronatus.*

Tota Baronia ſolo amœna eſt, cælo læta, ubere glebâ dives, fæcunda paſcuis, Tenerâ fluvio irrigua, Sylvis decora, incolarum numero prægnans, præcipuè ante nupera Gallorum bella. Hic Baronatus eſt e quatuor Flandrenſis Comitatus Beris, ſive Paribus, magnis gaudentibus Privilegiis, & quartum Urſorum Flandriæ (ingenii Gothici ſignum) in bellum Domini Comitis Boularienſes efferunt.

Boularia olim penes varias familias fuit; principio penes gentem de *Boulare* cognominem, dein omnium diutiſſimè fuit penes ſtirpem *Liedekerkanam* ſive *Gavriam* illuſtrem atque potentem, a quâ ad *Reynghaerts Vlietios* tranſiit, a quibus ad *Bouchautanos* abiit Equites Brabantos Bruxellæ Vice-Comites; a *Maria Bouchautia* Boulariæ Dominâ pervenit ad Naſſovios. Tandem *Philippus Guilielmus Naſſovius*, Auriacæ Princeps *Guilielmi* filius initio ſeculi XVII. Boulariam venditione ceſſit *Franciſco Bernardo de Caſſinâ* Equiti, marito *Robertinæ de Noyelles* filiæ illuſtris *Ponti de Noyelles*, Bourſy-Toparchæ, in qua ſtirpe perſeverat, qui modo *Philippus Guilielmus de Caſſina*, Comes de *Wonsheym*. Vide plura de Boulariæ Dynaſtis apud *J. Waesberghe* in ſuo Gerardimontio Lib. III. Cap. II.

In Sacello *S. Benedicti* Eccleſiæ Abbatiæ *S. Adriani* in Gerardimonte viſitur Sepultura Nobilis *D. Mariæ de Bouchaulte*, cujus effigies in medio laminæ æneæ ad parietem affixæ habetur cum hoc Epitaphio.

Ichy giſt Dame, Dame Marie de Bouchaulte, *Dame de Boullers, Beverweerden, Odyck &c. Vicecomteſſe Douagiere de Berghes St. Winock, Gaesbeke, Lannoy, Rollencourt &c. la quelle treſpaſſa le* XXIII. *de Juillet* XV^{c}. LXIII.

Circum circa hæc ejus XVI. quarteria expreſſa ſunt.

Bouchaulte, Rochefort, Reygersvliet, Foſſeulx,
Vienne, Buren, Pouques, Borſchelle,
Luxembourg, Baux, Meleun, Abville,
Ville, Rotſelaer, Hamaide, Jaqueulle.

Hæc lamina ænea in turbis Belgicis oblata fuit, & in Hollandiam aſportata, quam *Guilielmus Naſſovius* Auraicæ Princeps præfati *Philippi Guilielmi* Pater reſtitui fecit & Gerardimontem remiſit, quæ dein ſuo priſtino loco collocata eſt, ita Religioſi hujus Abbatiæ ſe a Senioribus per manus accepiſſe nobis indicarunt, cum hanc Abbatiam Anno 1723. quo hæc ſcribimus luſtravimus.

Porro prædicta *Maria de Bouchaulte* filia *Danielis* & *Mariæ de Luxembourg* dicto de *Fiennes* primis nuptiis duxit *Hugonem de Lannoy, Rollencourt*, &c. qui mortuus Anno 1527. eique procreavit *Franciſcam* filiam unicam hæreditariam, ſecundis nuptiis *Henricum de Hornes* Comitem de Hautkercke & Vicecomitem Bergæ S. Winoci, qui obiit ſine prole Anno 1540.

Franciſca de Lannoy filia præfati *Hugonis* duxit *Maximilianum Egmundanum*, Comitem Buranum, Leerdamenſem &c. Aurei V. Equitem, ille fatis conceſſit Ao. 1548. illa vero Ao. 1562. Suſtulit Anno 1533. *Annam Egmundanam*, quam duxit primis nuptiis Ao. 1551. *Guilielmus Naſſovius* Auraicæ Princeps, ex quâ natus *Philippus Guilielmus* primogenitus, qui ſucceſſit

sit in bonis paternis & omnibus maternis. Hæc *Anna* vitâ excessit ante matrem Anno 1558. die 24. Martii, sepulta apud conjugem in Ecclesiâ de Buren.

Præfata *Maria de Bouchaulte* fatis concessit, ut supera Sepulchralis inscriptio declarat Ao. 1563. adeoque vidit progeniem suam in tertiam generationem.

In Choro præfatæ Abbatiæ ante aram Principem sub prægrandi cæruleo lapide Sepulturam habet Illustris familia de *Boulers* de gente *Cassina*, ubi pro Epitaphio leguntur sequentia.

D. O. M.

Illustri Dominæ *D. Robertinæ de Noyelle*, Baronissæ de Boullers, Dominæ Parvi Rhodii propè Nivel, Matronæ corporis animique dotibus incomparabili, ad immortalitatem præmissæ, non amissæ *D. Franciscus Bernardinus de Cassina*, Eques, Flandriæ Berus, Baro de Bollers, Toparcha de Schendelbeke, Sereniss. *Alberti & Isabellæ* Belgii Principum Dapifer, conjugi bene merenti, XI. liberorum Matri mærens posuit decess. Ao. 1635. 15. Kal. Nov. æta. 54.

Supra hoc Sepulchrale Monumentum exsculpta sunt amborum supina simulacra. Quarteria circum circa expressa sunt hæc.

Noyelle, *Culembourg*, *Lannoy*, *Barbenchon*,
Rubemprè, *Bousies*, *Dorlay*, *Baden*.

In eodem lapide separatim legitur sequeus Epitaphium.

D. O. M.

Viator Sta, & luge *Franciscum Bernardinum* filium bimulum rapuit mors, Patri spem, Matri delicias, utrique hæredem. abi & collacrymare, denatus est Anno 1613. 2. Aug.

Circum circa legitur hæc inscriptio.

Franciscus Bernardinus Pater, *Hugo-Joannes-Franciscus* filius, Barones de Boullers, hîc jacent, secuti ille Conjugem IX. Sept. Æt. LXXI. hic utrumque XXIV. Octob. Æt. XXXVIII. ambo Ao. Sal. M. DC. LIII.

Boularia dividitur in Superiorem & Inferiorem.

Boularia Inferior peculiari honore domicilii & præsentiæ Dynastæ decoratur, ubi ambitiosum suum habet domicilium, quod veteri arce dirutâ, præfatus *Franciscus de Casina* aquis cinctum quas præterlabens Tenera subministrat egregiè restauravit, quod nobis exhibet *A. Sanderus* in Flandriâ Illustratâ tom. II. pag. 525.

Boularia Inferior caret Ecclesiâ Parochiali. Decimæ spectant ad Abbatiam *S. Adriani* in Gerardimonte.

Boularia quæ Superior nominatur Eccleſiam habet *S. Aldegundi* Virg. ſacram ſub Patronatu Abbatis S. Sepulchri Ord. S. Bened. Cameraci, quod Monaſterium a *S. Lietberto* de *Brakela* orto fundatum eſt anno 1064.

Decima eſt tripartita cujus duas trientes percipit hæc Abbatia & reliquam trientem Parochus, qui inſuper a præfatâ Abbatia annuè in Supplementum competentiæ recipit 108. florenos. Abbatia *S. Adriani* in Gerardimonte habet inibi exiguum diſtrictum decimarum.

Hic pagus amœno cum primis loco ſitus eſt ad Teneram fluvium qui eum interſecat & protendit ſe ultra alteram Teneræ ripam. Hunc Paſtoratum *Matthias Hovius*, Mechlinienſium Antiſtes inter ſuæ Dioeceſeos amœniores numerabat.

Hujus Parochialis appendix eſt *Goufferdinge* vulgo *Goeferdinge*, quæ Eccleſiam habet *D. Bavoni* ſacram. Decimarum ibidem ſunt participes eodem modo & jure qui in Boularia uti mox dictum.

BRAKEL INFERIUS, vernaculè *Neerbrakel*, pagus in clientelâ Baronis d'Heyne. Dominium hujus loci olim fuit gentis de *Lalaing*, item Saerlinge & Pariche. Hodie ſpectat ad Dominum de Wedergraet qui nuper *Petrus Antonius van Cauteren*, modo ejus filius.

Forum habet hebdommadale diebus Mercurii & Nundinas annuas 7. Septembris.

Eccleſia inſcripta eſt Virgini Deiparæ *Mariæ* & *S. Petro* Apoſtolorum Principi.

Decima diviſa eſt in tres partes, cujus ex æquo ſunt participes pro duabus partibus Capitulum Rothnacenſe, & pro reſtante tertia Parochus.

Patronatus hujus Parochialis ſpectat ad Theſaurarium præfati Capituli.

BRAKEL SUPERIUS, Teutonicè *Op-Brakel*, ad limitem Hannonicum, uno milliari cum dimidio a Gerardimonte.

Eccleſia ſacra eſt S. Martino Epiſc. ad curam Paſtoralem nominat Abbas Eenamenſis Ord. S. Bened. propè Aldenardum.

Cujus Altare obtinuit a Manaſſe Epiſcopo Cameracenſi Anno 1198. En Diploma.

Ex Archivis Abbatiæ Eenamenſis.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego *Manaſſes* Dei gratia Cameracenſis Epiſcopus univerſis Eccleſiæ filiis præſentibus & futuris. Dum dignitas humanæ conditionis poſt primi parentis lapſum, ſolâ Chriſti gratiâ meruerit ut per fructum bonorum operum ad Societatem mereatur pervenire civium Supernorum, cavendum ſummopere eſt fidelibus Chriſti ut mancipando conſortio eorum ſe quodammodo dignas faciat quilibet temporalibus bonis. Sicut enim per bona facta ad eorum Societatem pervenitur; ita per mala opera ab eâ receditur, ut autem animæ magis, quam corpori debeamus proſpicere, divina nobis inculcant ſcripta crebrâ admonitione. Evaneſcunt ceu fumus omnia quæ in mundo ſunt temporalia, ſi quid vero boni egerimus, nullâ perire dignoſcitur jacturâ, quod ego mecum reputans meditatione aſſiduâ ob abolenda meorum erratuum incommoda ad Eccleſiam S. Salvatoris de Eiham perpetualiter & abſque perſona Altare de Bracla ſuperiori trado præſente ejuſdem Cœnobii Abbate Tangrado, pro cujus Altaris reſpectu in perpetuum unoquoque anno in feſtivitate S. Lucæ Evangeliſtæ ipſe Abbas ſuique Succeſſores mihi meiſque ſucceſſoribus XII. ſolvent denarios. Ut autem hæc Carta rata inconvulſa permaneat, ſigilli mei impreſſione eſt conſignata, & fidelium meorum teſtimonio eſt corroborata. Signum Domini Manaſſes Epiſcopi, S. Domini Alardi Abbatis S. Vedaſti. S. Rameri Abbatis. S. Hugonis Abbatis. S. Amandi. S. Adam Abbatis, S. Alberti Abbatis Haſnonienſis. S. Hannerici Abbatis. S. Walteri Abbatis. S. Godefridi Abbatis. S. Windrici Abbatis. S. Erleboldi Præpoſiti S. Mariæ Cameracenſ. Radulfi Archid. S. Alardi Præ-

po-

positi. S. Theodorici Vernardi Archidiaconorum. S. Erlebaldi Decani. S. Segardi Decani. S. Werebaldi Scholastici. S. Godonis Cantoris. S. Anselli Clerici. S. Fulconis Vicedomini. S. Amalrici Casati. S. Walteri. S. Ingobrandi. S. Fulconis. S. Johannis. Actum est autem hoc anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo Octavo, Indictione VI. Præsulatus Domini Manasses III. anno.

Hoc Dominium primitus fuit penes gentem cognominem de *Brakel*, dein per nuptias *Joannæ de Brakel* cum *Collardo de Brugelettes* transiit in hanc familiam, dein per similes nuptias *N. de Brugelettes* Dominæ de *Brakel* cum *Joanne d'Imbiese* dicto *Beauleau* in illam stirpem devenit, inde eodem jure nuptiali obvenit *Victori de Herselle*, exinde hoc Dominium per plura annorum spatia fuit vetustæ & Nobilis familiæ de *Landas*, a quâ non ita diu jure nuptiali transiit in gentem de *Marocx*. Arcem inibi habet spectabilem. Stemma Familiæ de *Landas* invenies apud *A. Miræum* in Donat. Belg. Lib. I. Cap. 92. novæ edit.

Ab hoc loco *Brachantum* a *Brachanto* Brabantiam appellatam quidam volunt; in eâ sententiâ sunt *D. Lindanus* in sua Teneræmundâ, & *J. van Waesberghe* in suo Gerardimontio pag. 204. Hoc loco natum volunt *S. Lietbertum* Cameracensem Episcopum vocatum Brabantinum, teste *J. Meyero* ad annum 1077.

Porro in Ecclesia Parochiali de Op-Brakel ante turbas Belgicas visebatur hæc inscriptio Sepulchralis.

D. O. M.

Erasmo, Domino a Brakel, Equest. Ordinis viro, *Danielis Curtracensis*, *F. Erasmi*, *N. Rogerii*, *Pron. Sigeri & Petronillæ*, Dominæ a Brakel Conjugum Abn. tumulus ab annis CCXXXVI. erectum & vetustate collapsum duodecim liberi *Erasmi a Brakel*, & *Agnetis a Coyeghem*, ejus posteri pietatis & memoriæ ergo instaurarunt. Anno a nato Christo M. D. LXIX. Obiit Ao. 1333. Uxorem habuit *D. Idam de Wiese*.

DEFTINGE, medio milliari a Gerardimonte, antiquitus in Diplomatibus legitur *Deptengem*. Dominium Baronatus Boulariensis, ad eundem spectans Baronem.

Ecclesiæ tutelaris est *S. Vrsmarus* Suessionum Episcopus qui in Flandriâ Imperiali anno DC. LVII. magno cum fructu de Religione disseruit, ejus Patronatum possidet Abbas Hunnocurtensis Ord. S. Bened. propè Cameracum.

Decima in sex divisa est manipulos, cujus unus spectat ad Parochum, alter ad præfatam Abbatiam Hunnocurtensem, duo ad Abbatiam *S. Petri* in Monte Blandinio Gandavi, & reliqui duo ad Abbatiam *S. Adriani* in Gerardimonte: Pastori insuper dantur annuè pro Supplemento competentiæ a præfatis decimatoribus XXV. libræ Flandricæ.

J. van Waesberghe in suo Gerardimontio pag. 215. hallucinatur, dum refert Patronatum hujus Parochialis esse Abbatiæ Lobiensis, cum nobis certo constet spectare ad præfatam Hunnocurtensem.

Abbatia præfata *D. Petri* Gandavi hic loci possidet ingentia rura, & prædium opimum cum obligatione distributionis annuæ CL. Saccos siliginis

pauperibus hujus pagi, ita ut inopiâ laborantibus ſatis abundè hîc ſit proviſum.

Cæterum Deftingæ natales ſuas debet *Giſlenus de Timmerman* LVII. Abbas *S. Petri* Blandinienſis Gandavi, Superioribus Belgii motibus ſeculo XVI. pro Rege Catholico ad Seditioſos Ordines variis legationibus functus, qui obiit exul Duaci anno 1581. die 27. Martii, ſepultus in ſuo Dominio de Harnes in Artheſiâ, hæreticis Calvinianis Blandinienſem Abbatiam tunc temporis occupantibus.

DENDER HAUTHEM, latine *Hauthem Teneræ*, ad diſtinctionem alterius *Hauthem S. Livini* in eodem Comitatu Aloſtano. Hic pagus ſitus eſt inter Aloſtum & Ninhoviam ſub Dominio de Rotzelaer ad quod ſpectat.

Eccleſia Patronum veneratur *S. Amandum* Tungrenſem Epiſc. Patronatus ejus ſpectat ad Abbatem *S. Adriani* in Gerardimonte.

A. Miræus in Dipl. Belg. Lib. I. Cap. 42. edit. novæ refert quo modo *Manaſſes* Camerac. Epiſc. anno 1096. contulit præfatæ Abbatiæ Altare de *Holthem* (quod hodiè *Denderhauthem* dicitur) cum appenditiis ſuis *Hildregem* & *Idregem*, qui pagi hodiè *Heldergem* & *Eeregem* dicuntur uti ſuis locis, cum de iis in Decanatu Aloſtano diſſeruimus, diximus, qui jam dudum ſuos nacti ſunt proprios Parochos, & in quibus locis præfata Abbatia Patronatum & Decimas poſſidet.

Decima hujus pagi pro majori parte competit præfatæ Abbatiæ *S. Adriani*, reliqua earum pars competit Parocho, quiſque ſuum habet diſtrictum decimarum. Præfata Abbatia hic loci plures agri & prati poſſeſſiones ac cenſus poſſidet.

DENDER WINDEKE, latinè *Windeka Teneræ* olim *Winti Teneræ*, primo lapide a Ninhoviâ in Comitatu Aloſtano, ſub Dominio de Rotzelaer, ad quod Dominium ſpectat. Pagus eſt permagnæ & vaſtæ extenſionis complectitur enim ferè 1200. terræ bonaria, & totius ditionis Aloſtanæ maximus.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Petro* Apoſtolorum Principi. Patronatus ejus dependet ab Abbatiâ Viconienſi Ord. Præmonſt. in Hannoniâ, quæ ab hujus Abbatiæ Canonicis ſolebat adminiſtrari; aſt nuper Parochum accepit ex Abbatiâ Truncinienſi ejuſdem Ord. Præmonſt. prope Gandavum rogatu præfati Abbatis Viconienſis & conſenſu Archiepiſcopali.

Univerſa pagi Decima ſpectat ad hanc Abbatiam, quæ competentiam annuè præſtat hujus Eccleſiæ ſacro Miniſtro. Præfata Abbatia Viconienſis hic loci & in vicinia poſſidet plurimas agri poſſeſſiones & cenſus.

Olim res ſacra hujus Parochialis ſpectavit ad Abbatiam Veromandenſem inter *S. Quintinum* & *Peronam* in Galliâ, uti in antiquo M. S. Codice Epiſcopatus Cameracenſis legitur, qui apud nos latet.

ESCA S. LIVINI. Vernaculè *S. Lievens Eſche*, altero lapide a Gerardimonte. Creditur olim fuiſſe Patrimonium *D. Bavonis* Gandenſium Patroni; locus amœnus, & fontibus irriguus, *B. Livini* Scotiæ Epiſcopi, Gandenſium & Aloſtanorum Apoſtoli Martyrio famoſus; ille Patriâ Scotus convertendorum infidelium ſtudio Gandavum venit, ubi a *Florberto* Abbate comiter ac benignè acceptus, ad *D. Bavonis* Sepulchrum per triginta dies ſacris operatus eſt, apud *Holtam* (quod hodiè *Hauthem S. Livini*

vo-

vocatur) malignos ſpiritus expulit, *Eſcæ Bernam & Crapaildim* religioſas ac Nobiles matronas convertit, filio *Ingelberto* viſum reſtituit oculorum. Tandem *Walbertus & Weylo* fratres, Patriâ Holtani ſive de *Hauthem*, illum ferventius Eſcanis populis Euangelium annuntiantem hoc loco obtruncarunt anno DC. XXXIII. Poſtea in *Hauthem* (quod ab ejus Sepulchro *S. Livini* vocatur) conditum, dein *Crapaildim Eſcanam* quod Sanctum hoſpitio excepiſſet, & *Brixium Crapaildis* filiolum pari crudelitate eodem die obtruncarunt. Ita ferè *J. van Waesberghe* in ſuo Gerardimontio pag. 218.

Hoc Dominium eſt in clientelâ Baronis Boularienſis, & ab Egmondanis dudum poſſeſſum fuit, quod circa annum 1640. emptione publicâ devenit in Dammanorum familiam; pretium fuit 160000. flor. in quâ ſtirpe hactenus perſeverat: cujus poſſeſſor nuper fuit *Carolus Damman*, Burgravius, ſeu Vicecomes de Oomberge, poſt cujus mortem anno 1721. ſine liberis defuncti devenit ad ejus ſororis filium *Carolum Franciſcum de Preudhomme d'Ailly* Baronem de Poucques, &c. Vide plura de hac poſteritate in Pago Oomberge, in Decanatu Oordegemienſi.

Olim hic loci arcem inſignem habuit Dynaſta, quæ priſtinis bellorum motibus & iniquitate temporum interiit, ac deſtructa & ſolo æquata eſt; ita ut nihil hodie de eâ ſuperſit; locus tamen & vallum ejus monſtratur non procul ab Eccleſiâ.

In hoc pago eſt Dominium *Ter Herpen*, habens Baillivum, Scabinos & Curiam cenſualem, quod extendit juriſdictionis ſuæ alas in pluribus pagis circum vicinis; ſpectat ad Abbatem *S. Petri* Gandavi.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Martino* Turonenſi Epiſcopo. Ejus Patronatus eſt Epiſcopi Gandavenſis jure Abbatis Bavoniani.

Decimarum participes ſunt Capitulum D. Bavonis Gandavi, & ejus Eleemoſynaria, Parochus, Toparcha, Baro de Hoffalize &c. Parochus inſuper annuè Supplementum competentiæ recipit a Præfato Capitulo & Eleemoſynariâ XLII. Libras Flandr.

Eſpinoius in ſuo libro Gallico de Nobilitate Flandricâ pag. 267. refert quomodo *Goſwinus de Schendelbeke* vendidit Anno 1232. menſe Februario Monaſterio *S. Bavonis* Gandavi duas partes decimarum de LXXII. bonariis terræ in Parochiâ d'Eſche.

Hic loci eſt inſignis Capella *S. Livino* ſacra, conſtructa eo loco, in quo creditur hic Sanctus occiſus, quæ multum celebris eſt, & in eâ Capellania eodem Divo intitulata, gravata tribus ſacris hebdommadatim.

Huic Parochiali in Spiritualibus ſubeſt pars vici de *Wynhuyſen*, ſpectans in temporalibus ad Sottegemium, in quo exſtat inſignis Capella B. M. Septem dolorum vulgo *De Capelle ten Schreye*.

GRIMMIGHEM, olim *Griemeghem*, medio milliari a Gerardimonte ad Teneram fluvium.

Hoc Dominium cum parte *Raſpaliæ* Sylvæ & terrâ *Anghianâ* venditum eſt ab *Henrico IV.* Gallorum Rege *Carolo Arembergiæ* Principi &c. anno 1606. Inde hoc Dominium de Grimmighem anno 1612. ab eo Principe ſuæ Abbatiæ pretio comparavit *Maria Andrè* Abbatiſſa XXVIII. Bello-pratenſis, in quo Dominio hæc Abbatia ſita eſt.

Eccleſia inſcripta eſt D. Virgini Deiparæ *Mariæ*. Patronatus ejus ſpectat ad Abbatiſſam hujus loci.

Decima pro potiori parte ſpectat ad hujus Eccleſiæ ſacrum Miniſtrum, qui eſt Paſtor in Sant-Berghe, excepto quod agri hujus Abbatiæ immunes

sint a decimis præstandis, insuper varii seculares hic habent suos districtus decimarum.

Hunc locum *S. Bernardus* honore sui transitus, & prophetico spiritu (ut habent monumenta Belloprati manuscripta) aliquando illustravit. Cum enim per immanem *Belloprati* solitudinem (*Raspaliam* nempe) ferarum tum & latronum latibulum pertransiret, vaticinatus est aliquando locum illum fore hortum amœnissimum, pulcherrimis, odoriferisque rosis refertum, vivis inquam imaginibus divinæ Majestati gratissimis: uti ad majorem Dei gloriam evenit, condito ibidem anno 1228. per *Aleidem* Dominam Boulariensem ad honorem Virginis Matris Monialium Ord. Cisterc. Cœnobio, uti patet ex hisce Diplomatibus.

Abbatia Bellopratensis vulgo Beaupré.

Ego AELIDIS, Domina de Boular, notum facio, quòd ego novem modios siliginis de reditibus meis, quos habebam in Parochia de *Grimengem*, & duodecim modios avenæ, & quadraginta capones & octo de reditibus pratorum jacentium in Parochia memorata, & octo bonaria nemoris & dimidium, & dimidium bonarium prati in eadem Parochia siti, contuli, de assensu liberorum meorum omnium, Sanctimonialibus Cistertiensis Ordinis de *Bello-prato* juxta Grimenghem in eleëmosynam, & Chartam istam proprio signavi Sigillo.

* *Obiit* 1236. Ego verò * *Michaël* Constabularius Flandriæ, Ego *Philippus* de Boular, Ego *Osto* de Trazegnies, Ego *Ægidius le Brun*, heredes prælatæ Aelidis carissimæ Matris nostræ, eleëmosynam prænotatam approbantes, eam nostro consensu firmavimus testimonio Sigillorum nostrorum.

Et quia Ego *Raso* proprium Sigillum non habeo, usus sum Sigillo Venerabilis Abbatis Gerardimontis, sæpe dictam eleëmosynam approbans. Ego quoque *Gosuinus* de Scendelbeka, Maritus filiæ Dominæ memoratæ, meum appposui Sigillum, pleno favore confirmans eleëmosynam supra dictam.

1229. Actum anno M. CC. XXIX. mense Majo.

Ego AELIDIS, Domina de Boular, notum facio quòd *Ægidius le Brun* Filius meus resignavit in manus meas reditus duodecim modiorum avenæ & XLVIII. caponum, quos de me tenebat in feodum de reditibus pratorum jacentium in Parochia de *Grimengem* recipiendos, ad opus Sanctimonialium de Bello-prato.

Ego verò præfatos reditus, ad petitionem prædicti Ægidii, de consensu etiam omnium Filiorum meorum, & *Gosuini* Domini de Scendelbeka, & Uxoris ejus *Adæ*, Filiæ meæ, contuli præfatis Dominabus in perpetuum possidendos.

Ut autem Donatio prænotata perpetuâ gaudeat libertate, præsente Paginâ Sigilli mei appensione munitâ, & præterea Sigillis Filiorum meorum, *Philippi* scilicet Constabularii, *Ostonis* de Trazegnies, *Ægidii le Brun*, *Gosuini* de Scendelbeka, & Abbatiæ de Geraldimonte, pro *Rasone* Filio meo (quia proprium Sigillum non habet) corroboratam, contuli jam dictis Dominabus in munimen.

1230. Actum anno M. CC. XXX. mense Julio.

Universis Christi Fidelibus, Ego *Ægidius le Brun* de Trazegnies Miles notum facio, quòd Arnulphus de Mergeen & Gertrudis ejus Uxor, Henricus etiam de Mergeen & Margareta ejus Uxor, à me in feodum duo bonaria terræ sita in Parochia de *Grimengben* possederint, & dicti Arnulphus & Gertrudis ejus Uxor, tanquam veri heredes & Successores prædictam terram, de mea voluntate ac licentia, vendiderint Ecclesiæ B. Mariæ de Belloprato, Cistertiensis Ordinis, & in manu mea reportaverint ad opus ipsius Ecclesiæ.

Ego verò eamdem terram, mutato jure feodali in Allodium, contuli jam dictæ Ecclesiæ perpetuò possidendam in Allodium. Astiterunt autem, cùm hæc facta fuerunt, in testimonium vocati Homines carissimæ Matris meæ & Dominæ *Alidis*, Dominæ de Boulario, scilicet,

Oevo de Mourbeke,
Simon de Vos,
Joannes de Waremberghe,

Da-

Daniël de Hunebeke,
Arnulphus de Overboular,
Joannes Vleests, &
Michaël Piscator, & alii quàm plures. In cujus rei testimonium exhibui præsentes Litteras ipsi Ecclesiæ, appensione Sigilli mei roboratas.
Actum anno M. CC. XXX. mense Julio. 1230.

Ego JOANNA, Comitissa Flandriæ ac Hannoniæ universis salutem. Innotescat præsentibus & sciant posteri, quod ego in eleëmosynam contuli quinque bonaria nemoris mei, quod dicitur *Raspaille*, siti juxta Geraldimontem, inter nemus nobilis Matronæ *Aelidis* Dominæ de Boulario, & Nobilis viri nemus Domini Ægidii de *Hallut*, Monasterio Sanctimonialium, Cistertiensis Ordinis, de Bello-prato in perpetuum possidenda.
Actum publicè coram Hominibus meis, anno millesimo ducentesimo trigesimo septimo mense Septembri. 1237.

Auxerunt primam dotem proceres de *Trazegnies*, *Lillare*, *vander Eechoute*, *Masseme*, *Oultre*, *Aubignies*, &c.

Subjecta est hæc Abbatia curæ Abbatis Camberonensis Ord. Cisterc. inter Athum & Montes Hannoniæ.

In medio Chori Monialium ante turbas Belgicas visebatur Monumentum Sepulchrale obductum laminâ æneâ cum hac inscriptione.

Cy gist Madame Alis de Boulers, *qui fut femme a Monsieur de Liedekercke & de Breda, qui trespassa l'an de grace* 1293. *en Nov. le jour de Ste. Cecille.*

Bello-prati complures vixere Virgines Religiosæ Sanctissimè, ut ex multis *Clara Dullaerts* Abbatissa XXIII, quæ obiit in odore Sanctatis Anno 1545. die 14. Octobris; *Margareta van Laken*, quæ ita Dei amore flagrabat, ut omni pæne loco in extasim raperetur. Obiit 1544. ipso die Paschæ Domini 12. Aprilis.

Venerabilis *Joanna Flammeng*, humilitate & devotione maximè commendata, quæ mortua An. 1550. die 5. Aprilis, Sorori suæ Germanæ ibidem religiosæ magnâ claritate refulgens, die quadam sub vesperam apparuit.

Venerabilis *Maria de Satillon*, quæ multis virtutibus excelluit, & in magnâ Sanctitate vitæ suæ tempus transegit; vixit anno 1579.

Agnes de Satillon Supprioriſsa præfatæ *Mariæ* Germana Soror, Regulæ suæ exactissima observatrix. Obiit Tornaci in ædibus paternis, tumultuum Belgicorum tempore die 28. Martii anno 1581.

Joanna Spirinx Gandensis, Nobili loco nata, tamen præ humilitate inter Laicas seu Conversas adscribi voluit, quæ post mortem cuidam Sorori suæ apparuit immenso lumine circumfusa. Obiit 4. Decembris.

Damus hic exactam seriem Abbatissarum, prout ex Monumentis hujus Abbatiæ excepimus, quæ apud *J. van Waesberghe* in suo Gerardimontio mutila est & imperfecta.

ABBATISSÆ BELLOPRATENSES.

I. *Adelidis de Ruschenbrouck.*
II. *Oda de Bruxella.*
III. *Helwigis de Bigardis.*
IV. *Machtildis de Quarwanes.*
V. *Machtildis de Meureville.*
VI. *Maria de Bodelo.*
VII. *N. N.* Religiosa ex Abbatia de Camera.
VIII. *Beatrix de Gerardimonte.*
IX. *Sophia de Corte.*

X. *Adelidis de Bouchout.*
XI. *Ida de Perken.*
XII. *Beatrix de Puteo.*
XIII. *Adelidis de Eechoute.*
XIV. *Beatrix de Platea.*
XV. *Margareta Apers.*
XVI. *Waldetrudis de Vreckem.*
XVII. *Elisabetha de Lombeke.*
XVIII. *Ida de Monte.*
XIX. *Ida de Pelken.*
XX. *Elisabetha Zoetamys.*
XXI. *Joanna de Novavilla*, sive de Nieuwenhove quæ Dei adjutorio Sanctam Reformationem introduxit.
XXII. *Jacoba Henrici.* Obiit 1505.
XXIII. *Clara Dullaerts.* Obiit in odore Sanctitatis anno 1545.
XXIV. *Joanna Baillette.* Obiit Ao. 1552.
XXV. *Margareta Desbuissons.*
XXVI. *Anna Sconinx.*
XXVII. *Antonia de Ligne.*
XXVIII. *Maria André*, quæ annis XXV. hanc Abbatiam benè rexit, XII. desertam annis restauravit, & nova Dominii de Grimminghem acquisitione auctam anno 1612. reliquit
XXIX. *Joanna van Tedeghem*, quæ novam Ecclesiam erexit, ac plurimum ad æternam sui nominis gloriam & celebritatem decoravit anno 1627.
XXX. *Maximiliana d'Oyenbrugge.* Obiit 1660.
XXXI. *Antonia de Quarre.* Obiit Ao. 1667.
XXXII. *Lutgardis de le Poire.* Obiit 1681.
XXXIII. *Angelina de lan Franchi.* Obiit Ao. 1704.
XXXIV. *Anna de Fraye.* Obiit Anno 1715.
XXXV. *Beatrix Fiefvet*, Benedicta XV. Decembris Ao. 1715. præsens Abbatissa.

HEMELVERDIGHEM S. JOANNIS, Vernaculè *S. Jans Hemelverdighem* primo lapide a Gerardimonte in Comitatu Alostano, spectabili arce, templo *S. Joannis Baptistæ* Dominici præcursoris Patrocinio, & Miraculis nobili, quâ ratione magnâ populi frequentia visitatur, ait *J. van Waesberghe* in suo Gerardimontio pag. 234.

Dominium hoc olim nomen dedit familiæ de *Hemelverdigem*, prisci enim Toparchæ persæpe nobilium more Dynastiæ nomen, relicto gentilitio plerumque induebant, hoc autem semel indicasse sat erit, ne cogamur eadem sæpius repetere.

Successu temporis devolutum est hoc Dominium ad *Masminios* ex quâ gente illud possedit *Robertus Masminius* Eques Aurei Velleris Anno 1429. & ab illâ fuit per nuptias Comitum de *Mastaing*, & tandem in familiam *Dammanorum* in quâ permansit.

Forum celebre annuale hic celebratur die 23. Junii pridie Nativitatis *S. Joannis Baptistæ*. Ecclesiæ Patronatus spectat ad Abbatem *S. Adriani* Ord. S. Bened. in Gerardimonte. *A. Miræus* in Donat. Belg. Lib. II. Cap. XLIV. novæ edit. refert Diploma, quomodo *Manasses* Camerac. Episc. contulit inter cætera præfatæ Abbatiæ *S. Adriani* Altare de *Emelvordegem*, ratione cujus potior pars decimarum spectat ad hanc Abbatiam.

Longo temporis tractu delervita fuit hæc cura Pastoralis per Pastores Lierdæ *S. Martini*; at proprium nuper accepit Parochum, cui a præfata Abbatiâ annuè solvitur competentia 360. florenorum annuè.

LIERDA S. MARIÆ vernaculè *Marie-Lierde*, Antiquitus *Lergia* in Diplomatibus nominatur, olim Comitatus titulo insigne Dominium, pagus est notabilis extensionis continens ferè 700. terræ bonaria, situs est inter Nin-

Ninhoviam & Aldenardam, ad quintum cum dimidio ab urbe Gandavo lapidem juxta Gerardimontem a quo distat milliari.

Dominium ejus dudum fuit olim penes *Masminios*, ex quibus illud possedit *Robertus Masminius* Eques A. V. &c. dein per nuptias devolutum est ad Comites de *Mastaing*. Hoc Dominium consistit in tribus Toparchiis; una quæ est clientela Comitatus Alostani; altera dicta *St. Pol* quod a nullo relevat, seu a nemine in fide tenetur, nisi a Deo & sole; tertia *Nieuburch*, sive *Nieuwenborch*, quæ tenetur in Clientelà Comitis de *Pamele*; omnes potiuntur altâ, mediâ, & bassâ justitia. Hæc Dominia anno 1642. viâ emptionis acquisivit a *Joanne Francisco de Jauche* Comite de Mastaing. &c. *Joannes Baptista de la Faille* Consiliarius Senatus Flandriæ, dein Ao. 1650. ejusdem Senatus Præses, in quâ stirpe perseverat, qui hodie *Joannes Franciscus de la Faille*, Dynasta de Eeckeloo, Assenede &c.

In eodem pago est Dominium de *Waesberghe* spectans ad præfatum Dynastam, estque in Clientelâ Principis de Gavere, illud pretio comparavit præfatus *Joannes Baptista de la Faille* a *Marco Leurent* Anno 1663.

Præterea in eodem pago est Dominium *Ryen* spectans ad Dynastam Lierdæ *S. Martini* gentilium de *Puttem*, in quo habet Castellum quod condidit a medio circiter seculo *Joannes Franciscus van Puttem*.

Ibidem præterea est Dominium *Ten Broecke* spectans ad Abbatem *S. Adriani* in Gerardimonte.

Ecclesia tutelarem colit *S. Mariam Magdalenam*. Medio ferè milliari a Parochiali visitur Sacellum *D. Gertrudi* sacrum, quod ex omni parte invisitur, ad quod undique concursus crebrescit pro refrigerio ab æstu febrium.

Patronatus hujus Parochialis spectat ad Abbatem *S. Adriani* in Gerardimonte dono *Manassis* Camerac. Episc. uti videre est apud *A. Miræum* in Donat. Belg. Lib. II. Cap. XLIV. novæ edit. sub nomine Altaris de Lergia. Præfatæ Abbatiæ competit hujus pagi decima, etiam illa quæ fuit Parochi, ex quâ eidem solvitur annuè integra competentia.

LIERDA S. MARTINI, vernaculè *Ste. Martens Lierde*, pagus Comitatus Alostani, uno milliari a Gerardimonte, Dominium olim *Masminiorum* Procerum ex quâ gente *Robertus Masminius* Aurei Velleris Eques &c. illud possedit seculo XV.; dein jure nuptiali devenit ad Illustres Comites de *Mastaing*.

Hodie est gentilium de *Puttem*, qui nuper *Vincentius de Puttem* quo cælibe mortuo Ao. 1722. ad ejus hæredes devolutum est hoc Dominium.

Hic pagus est ex illis XXII. qui proprium Principis vocantur, vulgo *'s Graven-propre*. In hoc pago est Dominium *Ten Broucke*; hodie illud possidet *Anthonius Matthys* summus Prætor Ditionis Schornacensis.

Ecclesia ut nomen præfert *S. Martino* sacra est, ejus Patronatum gerit Abbas *S. Martini* Ord. S. Bened. Tornaci, ad quam Abbatiam spectat potior pars decimarum. Parochus præter Novalia, medietatem decimarum lini, & seminis ac carnium habet ex novem manipulis, duos & insuper in Supplementum annuæ competentiæ ab hac Abbatia percipit XLI. libras Flandricas, & quatuor florenos.

In narratione Historica restaurationis Abbatiæ S. Martini Tornaci, scripta ab Herimano ejusdem loci Abbate, relata in Spicilegio Lucæ d'Acherii

novæ edit. Pariſ. 1723. tom. II. refertur circa annum 1092. pag. 912. ut ſequitur. „ Thetbaldus Rhotnacenſis Præpoſitus, pater Radulphi, Came-„ racenſis Archidiaconi, ad converſionem veniens, dedit nobis Altare de „ Ormegnies & de Balluel, & de Lierda S. Martini, ad quod Altare perti-„ nebat quædam terra ſuper Teneram fluvium, ubi Radulphus ædificavit duo-„ decimam curtem, & optimum molendinum conſtruxit.

Intra limites hujus pagi eſt *Cartuſia* in villa *Ten Boſſche* unde communiter vocatur *Ste. Martens Boſſche*. Auctor hujus Monaſterii eſt *Joannes Gheylinx* conditione ruſticus non infortunatus anno 1328. ſiquidem ut Monachorum habet traditio, quum in nobilis magnæque apud *Ludovicum Nivernenſem* Flandriæ Comitem auctoritate viri familiam ſe dediſſet, primo curam Equorum, mox honeſtiora munia, ultimo heri gratiam, ejuſque filiam uxorem ſibi conciliavit, quâ tamen ad quietem ſe recipiente lacrymabunda quod patris ſtabulario ſibi accubandum eſſe quereretur. *Quieſce*, reſpondit, *nil Stabularius tibi nocebit*, egreſſuſque Solitariam vitam amplexus, neque Procerum, neque Pontificum monitu ad uſus conjugales induci potuit, verum creſcentibus declinante ætate, fortunis, pro ſua ſuorumque ſalute, & ad Dei, Deiparæque honorem Monaſterium Regulæ *S. Brunonis* exſtruendum concepit, & habito maturo conſilio, emptum eſt ab Abbatiâ *Ninivenſi* prædium *Rodendrieſch* unius bonarii & Virgarum quinque in Parochiâ de Schendelbeke, ubi Monaſterium exſtrueretur, obtentâ ad annum 1328. a Flandriæ Comite viginti octo vel triginta bonariorum terræ in *Lierdâ S. Martini* amortiſatione.

Operis autem initio ferè poſito, metuentes locum nimis eſſe vicinum publicæ viæ, ab opere deſiſtunt, & maturiore inter ſe habito conſilio definiunt Monaſterium conſtruendum in hoc loco, qui pro parte dotationis donatus fuerat, nimirum in villâ Domini fundatoris nomine *Sylva*, vernaculè *Ten Boſche* qui locus totus Solitarius erat habebatque commoditates non modicas & abundans terrâ arabili & paſcuis, nec non vivariis & nutriturâ animalium. In hoc loco annuente Epiſc. Cameracenſe, & Abbate *S. Martini* Tornacenſis Villæ Patrono, ac Comitis Flandriæ conſenſu, Monaſterium inchoatum eſt. *Joannes Gheylinx* fundator jactis hujus Cartuſiæ fundamentis variis eam prædiis auxit, quæ *Ludovicus Comes* anno 1348. amortiſavit, aliiſque privilegiis & immunitatibus domum impertivit; quæ dein confirmarunt, *Joannes*, & *Philippus Bonus* Flandriæ Comites, quorum commendatione factum eſt ut aliqui viri Nobiles domum bonis immobilibus auxerint. Agunt de hoc Monaſterio pluribus *Arnoldus Raiſſius* in tractatu *Origines Cartuſiarum Belgii* pag. 38. & *J. van Waesberghe* in ſuo Gerardimontio pag. 235. Anno 1723. quo hæc ſcribimus nova, & inſignis in hac Cartuſiâ exſtructa eſt a fundamentis Eccleſia.

MEERBEKE, *Vredius Merrebecci* dictum putat. Municipium & antiquus pagus eſt in finibus Brabantiæ, contiguum Flandriæ juxta Ninhoviam a quâ diſtat medio milliari, ſitum in Brabantiâ ſub Præfecturâ Rodenſi, ſpectans ad Dom. de *Wedergraet*, qui nuper *Petrus Antonius van Cautere*, hodie ejus filius *Antonius-Franciſcus-Clemens*.

In extremitate hujus pagi habet Dynaſta Caſtellum, in quo tenet ſuum domicilium.

In hac Parochiali viſitur in Choro Monumentum marmoreum Sepulchrale parieti inſertum cum hac Epigraphe.

Cy devant giſt enterré Noble & virtues Dame Catherine de Griſpere enſon vivant femme & epouſe de Noble homme Meſſire Joſſe de Goux, Baron de la terre de Wedergraet, Seignear de Meerbeke, Gages &c. Laquelle trepaſſa le XIII. jour de Juillet M. D. XL.

Prié Dieu pour ſon ame.

Quoad rem ſacram Baſilicam habet ſtructuræ valdè antiquæ *D. Petro* ſacram, cujus Patronatum gerit Toparcha; in eâ quatuor Canonicorum Collegium ad collationem ejuſdem, & quinque Sacellanorum. In quâ *Nona*, *Celſa*, & *Berlendis* Virgines requieſcunt, Sanctitatis titulo omnes illuſtres.

S. Berlendis, temporibus *Dagoberti* Regis, patrem habuit *Odelardum*, Matrem vero *S. Nonam S. Amandi* Tungrenſis Epiſcopi ſororem, poſt matris obitum a patre viduo exhæredata, patienter id tulit, & in Monaſterio *Morſellæ* propè Aloſtum ſacri velaminis habitum ſuſcepit. Ex eo pauperrimo Monaſterio propter Hunnorum vaſtationem, cum licentia Merbeccam rediit patre mortuo, quem in Eccleſia *S. Petri*, quam ipſe ædificaverat juxta uxorem ſepelivit, ipſaque in eâdem Eccleſiâ permanſit Domini Servitio mancipata: poſt mortem ſepulta juxta tumulum parentum in vaſe exciſo ex quercu. Trigeſimo autem anno depoſitionis elevata eſt per *Aubertum* Cameracenſem Antiſtitem. Cum eadem quieſcunt elevatæ *Nona* & *Celſa* Virgines. De eis agunt *J. Molanus* ad diem 3. Februarii, & *A. Miræus* in Faſtis.

Quoad horum Canonicorum Collegium, refert idem *A. Miræus* in Cod. Piar. Donat. Novæ edit. pag. 32. ſequentia.

„ *Merrebecci*, *Merbeca* vulgo *Meerbeke* Municipium haud procul a Ni-
„ novià Flandriæ oppido: in quo *Odelardus*, Comes, ejuſque conjux *Nona*
„ *S. Amandi* Tungrenſis Epiſcopi ſoror Monaſterium ædificarunt, quod eſt
„ hodie IV. Canonicorum Collegium & V. Sacellanorum.”

Majores Decimæ ſpectant ad illuſtre Capitulum Nivellenſe cum pluribus agri poſſeſſionibus. Canonici hujus loci inibi habent certos diſtrictus decimarum.

In vitâ MS. *S. Berlendis* Meerbecanæ refertur quomodo ejus pater *Odelardus* Eccleſiæ Nivellenſi bona ſua offert per oblationem cultelli, quâ forſitan ſignificabatur de cætero eum victurum ex menſâ dicti Monaſterii aut offerre ſe Sylvas & arbores, quæ hujuſmodi ferreis inſtrumentis cædi ſolent. Fuit enim olim ritus priſcus, ſi quiſpiam aliquid Deo aut Sanctis ejus ad altare offerret, ſi id erat de prædiis immobilibus ſumebat offerens glebam ſeu ceſpitem cui infixus ramus ex fundo vel terrâ Deo aut Sanctis dicanda, vel oblationem cultelli. Ita *J. Geldolphus a Ryckel* in vitâ *S. Gertrudis* pag. 346.

Cæterum *Meerbeca* numeratur inter antiquiores Eccleſiæ Nivellenſis poſſeſſiones, ac primo *Otto* Imperator Diplomate dato 966. apud *A. Miræum* in Not. Eccl. Belg. Cap. 26. novæ edit. recenſet Villam Merbecam cum omni integritate. Dein *Henricus IV.* Imp. anno 1059. in Diplomate ibidem apud *Miræum* in Donat. Belg. lib. 2. cap. 24. cum prædia Eccleſiæ Nivellenſis dividit in tres portiones, recenſet ad Beneficium Abbatiſſæ *Meerbecam* cum Eccleſiâ.

Patronatum hujus Parochialis tradit Eccleſiæ Nivellenſi *Odo* Camerac. Epiſc. anno 1112. Quomodo hodiè ſpectet ad Dynaſtam, hactenus indagare non potuimus.

MOERBEKE ſive *Mourbeke* medio milliari a Gerardimonte in Comitatu Aloſtano, vicinum peramœnæ & amplæ Raſpaliæ Sylvæ, Dominium gentis Egmondanæ.

In ſacris, Eccleſia inſcripta eſt *B. Mariæ* Virgini Deiparæ. Patronatum ejus gerit Abbatiſſa de Foreſto Ord. S. Bened. propè Bruxellam.

Decimarum participes ſunt Præfata Abbatia de Foreſto, Abbatia *S. Auberti* Can. Reg. *S. Auguſtini* & Parochus; cui præfata Abbatia de Foreſto nuper ceſſit ſuas decimas ſub annuâ recognitione 20. flor. Abbatia vero præfata *S. Auberti* ſolvit annue ex ſuis Decimis Parocho ſex libras Flandricas pro conductione domus ad uſum Parochi, ex conventione initâ inter præfatum Abbatem, & Parochum.

Huic pago contiguum eſt & adjacet in Sylvâ Raſpaliâ *Vicariatus F. F.* Prædicatorum, de cujus initio ſic ſcribit Belgium Dominicanum *P. Bernardi de Jonge* nuper Bruxellis editum typis F. Foppens 1719.

„ Raſpalia Sylva eſt pagi de Moerbeke prope Gerardimontem in Flandriâ, „ diſtat autem Teneræmunda, Aldenardâ, & Bruxellis quinque, Gandâ „ ſeptem milliaribus, locus amœnus eſt, venationi, piſcationi, & religioſæ „ ſolitudini aptiſſimus.

„ In hac Sylvâ quidam *Adrianus de Schrevel*, Paſtor ovium, ex ſpeciali „ erga Deiparam devotione imaginem arbori affixerat, & juxta illam domun- „ culam ſibi exſtruxerat, in quâ vitam eremiticæ ſimilem ducebat, ſucceſ- „ ſu temporis incolarum & viatorum erga prædictam imaginem adeo ac- „ crevit devotio: ut Sacellum in honorem ejuſdem Deiparæ ibidem fue- „ rit conſtructum.

„ Prænobilis *D. Philippus Guilielmus de Steenhuyſe* Cancellarius Bra- „ bantiæ &c. ad magis magiſque promovendam ſupradictam devotionem de- „ dit Patribus noſtris Bruxellenſibus prædictum Sacellum & aliquot menſu- „ ras terræ, plura daturus ſi ſupervixiſſet. " Et poſt pauca.

„ Anno 1684. die 8. Octobris primum novi ædificii lapidem poſuit *P. Ja- „ cobus de Bode* Conventus Bruxellenſis, qui locum hunc egregiè promovit, „ & uſque ad finem vitæ ſuæ ſingularem ejus curam habuit.

„ Anno 1689. die 18. Aprilis Domus Raſpalienſis erecta fuit in Vicariatum „ a P. Mag. *Philippo Durand* Conventus Brunienſis, & Provinciæ noſtræ „ Provinciali, qui in primum illius loci Vicarium inſtituit præfatum *P. Ja- „ cobum de Bode* & illius Patronam tutelarem aſſignavit B. Virginem *Ma- „ riam de Lætitia*, in cujus honorem locus hic antea fuerat inchoatus. "

Feſto Annuntiationis Deiparæ hic maximus vicinorum populorum accurſus, & hominum devotio.

NEYGENE, vulgo *Neyghem*, Latinè *Allodium* primo lapide a Ninhovia ad limitem Brabantinum in Comitatu Aloſtano, ſub Dominio de *Wedergraet*, ſpectans nuper ad *Petrum Antonium van Cauteren*, hodie ad ejus filium.

Forum ſolebat habere hebdommadarium diebus Sabbathi, quod dudum evanuit. Nundinas tamen habet celebres annuas poſtridie *S. Lucæ* Evang. die 19. Octobris. Pagus eſt exiguæ extenſionis, continet vix 100. terræ bonaria.

Ec-

Ecclesia inscripta est *S. Margaretæ* Virg. & Mart. Res sacra dependet a Præposito Montis Frigidi Bruxellæ Ord. Can. Reg. *S. Augustini*, cujus Religiosi hanc curam Pastoralem administrant, præfatum Monasterium gaudet universa hujus pagi decima.

A. Sanderus in Descriptione hujus Monasterii refert quomodo *Osto* Miles Dominus de Wedergraet & ejus filius primogenitus *Osto* contulerunt Monasterio *B. Jacobi* de Frigido monte Personatum seu jus Patronatus Ecclesiæ Parochialis de *Bevinge* (quæ hodiè tantum Capella est) cum omnibus pertinentiis, ut ab ipsis Religiosis liberè & absolutè in perpetuum possideri valeant. Actum anno 1158. quam donationem confirmavit anno 1259. *Nicolaus* Episc. Camerac.

Hæc Ecclesia Parochialis de *Bevinge* anno 1265. translata fuit ob locorum instantiam & difficultatem auctoritate ejusdem *Nicolai* Episc. Camerac. in *Allodium* sive in *Neygene*, ubi hactenus permansit, & *Bevinge* mansit Capella sub hac Parochiali.

In Ecclesiâ de *Neygene* exstat insignis tumba elevata Dynastarum terræ de *Wedergraet*, cum suis quarteriis gentilitiis adhuc hodiè conspicuis, quam anno 1596. exstruxit *Gaspar de Goux* Dominus de Wedergrate &c. cui parieti inserta est sequens inscriptio.

Patir pour parvenir aux Royaume celeste 1595. *Dessous ce tombeau gissent Nobles Chevaliers & Dames, premierement.*

Messire Guillaume de Goux *Bourgoignon natif, Sr. dela terre de Wedergraete, dict Galice, Cotrige, Meerbeke &c. Conseiller, & Chambellan des tres haut, tres puissant Prince le Duc* Philippe d'Austrice, *Roy de Castille &c. fils Messire* Pierre, *Sr. de Goux, & de la terre de Wedergrate, Meerkercke, Meerbeke &c. Et Dame* Machtilde de Rye, *Dame de dict lieux, & de Neublant lequel Messire* Guillaume, *trespassa l'an* 1506. *le* 8. *de Novembre. Et Dame* Isabelle de Hennin Lietart, *dict Boussu, Dame de Gaiges sa Compne. fille de Messire* Pierre de Hennin, *Sr. de Boussu, Gaige, Gamerage, Blangie &c. Chevalier de l'Ordre de la Toison d'Or, & de Dame* Isabelle de Lalaing, *trespassa le* 2. *Octobre* 1511. *& aussi Messire* Josse de Goux, *leurs fils unique Seigneur de dits lieux trespassa le* 3. *May* 1518. *& Dame* Catherine de Grispere *sa Compaigne fille de Messire* Guillaume de Grispere, *Sr. de Eeghem, & Dame* Isabelle de Luu *trespassa* 1540. *le* 13. *de Juillet, elle est enterré au grand Chœur de Meerbeke. Aussi Messire* Guillaume de Goux *fils unicq. dedit* Josse, *Sr. du dit lieux trespassa l'an* 1588. *le* 12. *Mars, & Dame* Bernardine de Mol, *sa compaigne fille de Messire* Jaspar de Mol, *Sr. de Oettingen, & de Dame* Adriane vander Noot, *trespassa le* 25. *Juin* 1552. *& Sr.* Jaspar de Goux, *fils aisné dudit Messire* Guillaume, *aussi Sr. de dit lieux trespassa le* 3. *Avril*

1610. & *Damoiſelle* Marie Minnaerts, *Dame de Ophaſſelt, & Haſſelt te Vryen ſa Compaigne treſpaſſa* 1594. *le* 10. *Juillet & Sr.* Ingelbert de Goux, *&c. fils du dit Meſſire* Guillaume, *en ſon vivant Capitaine pour le ſervice de Monſeigneur le Prince de Gavere, Comte d'Egmont, qui treſpaſſa* 1583. *le* 16. *Juin. Cette Epitaphe a le fait mettre Sr.* Jaſpar de Goux, *Sr. dudit lieux en memoire des ſes Nobles predeceſſeurs eſtant iſſu de Bourgoigne de noble maiſon* de Goux, *de Rye, de Rupt, & de Cuſance & venu premierement pardecha au ſervice de treshaut memoire le bon Ducq de Bourgoigne* 1440. *& fut fait cet Epitaphe l'an* 1596. *Fondation, premierement a fondé en cette Egliſe Meſſire* Guillaume de Goux, *fils de* Joſſe, *une meſſe tous le vendredy, avec un Anniverſaire le* 12. *Mars. Sr.* Jaſpar de Goux, *a fondé une meſſe tous le Jeudy, avec un Anniverſaire le . . . . . Damoiſelle* Marie Minnaerts, *ſa Compaigne a fondé une meſſe tous le Samedy & un Anniverſaire le* 10. *Juillet en liſant apres chaucune meſſe & Anniverſaire de Profondis & autres prieres accoutumes priant pour leurs ames.* Requieſcant in Sanctâ pace. Amen.

NIEUWENHOVEN, olim *Nova Curia de Waerebeke*, Baronatus Boularienſis Dominium, Anno 1658. tranſiit titulo emptionis in Nobilem familiam de *Steenhault* Patriciam Bruxellenſem in quâ hodie perſeverat.

Eccleſia dicata eſt Virgini Deiparæ *Mariæ*, ſub Patronatu Abbatis S. Sepulchri Ord. S. Bened. Cameraci.

Univerſa hujus pagi Decima ſpectat ad Parochum, etiam illa quæ nuper fuit præfatæ Abbatiæ, quam ceſſit huic Paſtoratui. Pridem ſolebat habere communem Paſtorem cum Waerebeke ; at anno 1716. proprium accepit Parochum.

OKEGEM, pagus valdè exiguus, ſitus ad Teneram fluvium, quæ eam interſecat medio milliari a Ninhoviâ, lupuli ferax optimi.

Dominium pridem fuit Comitis Flandriæ, anno 1638. accepit ab eo in pignus *Claudia de Liedekercke* Domina de *Hauſſi*, quæ intra limites hujus pagi poſſidebat Dominium de *Idevoorde* vulgo *Yvoorde*.

Hodie Dominium hujus pagi poſſidet *Joannes Baptiſta de Stortewagen* Dominus de *Yvoorde*.

In Eccleſiâ Parochiali de Zuytdorp propè Axelam viſebatur in tumbâ elevatâ hæc inſcriptio Sepulchralis.

Hier licht Mr. Jan van Ghiſtele, **Ridder/ Heere vanden Broucke/ van Moere/ van Cauwenburch/ van Borſt/ ende van Okeghem/die ſtarf Ao.** 1436. **den** 25. **Mey/ ende Vr.** Marguerite Vilains **ſyn wyf was/dewelcke ſtarf Ao.** 1433. **den** XI. **Lauwe. naer Cours van Utrecht.**

Ec-

Ecclesia D. Virgini *Mariæ* sacra est. Ejus Patronatum gessit Abbas *S. Adriani* in Gerardimonte dono *Manasses* Episc. Camerac. anno 1096. Diploma in Gerardimonte retulimus, in quo inter cætera confert Abbatiæ *S. Adriani* Altare de Okegem, verba sunt Diplomatis. Ecclesia ditata est solemni ritu Reliquiis *S. Antonii* Ao. 1723.

Hodie omnis res sacra hujus Parochialis administratur per Canonicos Religiosos Abbatiæ *S. S. Cornelii & Cypriani* Ninhovienſis Ord. Præmonstr., eo titulo, quod præfata Abbatia *S. Adriani* anno 1602. Patronatum hujus Parochialis cesserit præfatæ Abbatiæ Ninhovienſi, Archiepiscopo Mechlinienſi interveniente & cessionem illâm approbante.

ONKERSELE, medio milliari ad Teneram fluvium, attiguus Boularió inferiori, cujus Baronatus Dominium est.

Ecclesia tutelarem colit *S. Martinum* Turonenſem Episc. Ejus Patronatus est Abbatiæ *S. Adriani* in Gerardimonte, quæ Abbatia hic possidet agros plurimos prata & Sylvas, & potiorem habuit partem decimarum, quas nuper cessit hujus loci Parocho, retenta sibi parte non exiguâ, contractu ad hoc inito specificante.

OPHASSELT, antiquitus *Hasslutum*, celebre Municipium Comitatus Alostani, in Clientelâ Baronis Boularienſis, consistens tribus Toparchiis, videlicet *Hasselt*, in quâ est Ecclesia Parochialis; *Vrye*, & *Mounenbroeck*, olim *Moorenbroeck*; omnes tres altâ, mediâ, & infimâ jurisdictione potiuntur, quæ sua etiam habent Sacella cum Capellaniis annexis ad collationem Toparchæ. Dominia hujus loci olim nobilissimæ gentis de *Hasselt* cognomentum dederunt, pridem e gente *Wallia in Steenlandicam*, e quâ per nuptias in Luxemburgenſem *Du Faing* Baronis de Jamoigne migrarunt, qui nuper fuit *Alexander Georgius Du Faing*, Comes de Hasselt &c. Mortuus anno 1710. in quâ stirpe perseverat.

Erectum est hoc Dominium a *Philippo IV.* Hisp. Rege in Comitatum anno 1654. die 17. Octobris in favorem *Philippi Francisci Du Faing*, Baronis de Jamoigne &c. qui obiit An. 1680.; cujus & prædecessorum Monumenta Sepulchralia exstant in Ecclesiâ Cathedrali D. Bavonis Gandavi. *Erectum in Comitatum.*

In præfatâ Ecclesiâ subterraneâ in Capellâ *S. Margaretæ* ad partem borealem exstat Monumentum Sepulchrale cum hac Epigraphe.

Cy gist Pierre de Steenlant, *Chlr. Sr. de Markegem, Hasselt &c. Du Conseil de feu Phls. Deuxieme & Seremes. Archiducq.* Albert *& l'Infant* Isabelle *en leur Conseil, & Pais de Flandres, fils de Noble Homme Phlpe. aussi Sr. de Hasselt, decedé le XV. d'Aougst* 1613. *& de Dame* Margte. Martins, *fille de Messire* Jacques, *Chlr. President de Flandre, laquelle termina le* 23. *de 7bre* 1618. *Priez Dieu pour leurs ames.*

Quarteria.

Steenlant, de Heede, de Edinge, Immeloot, Martins, de Beths, Cabelliau, Hildenbergh.

In eadem Ecclesia *D. Bavonis* in Capellâ *S. Margaretæ* in ambitu Chori

ad partem borealem, ſupra limen portæ prædicti Sacelli in candido marmore legitur ſequens inſcriptio.

D. O. M.

Hic ſitus eſt Perilluſtris Nobilis & Generoſus Dominus *Ægidius Du Faing*, Equeſtris familiæ & ordinis, Baro de Jamoigne, Toparcha du Faing, Haſſelt, Markegem, Royen, Vrye, &c. Regi Catholico a Conſilio belli, & Aulæ Palatinis Sereniſſimorum Archiducum *Alberti* & *Iſabellæ* Principum domeſticus, honorarius Conſiliarius inter Nobiles viros Ducatus Luxemburgenſis, ſupremus Flandriæ totius Baillivus, & Archiprætor, Capitaneus, Præfectuſque Chinenſis, Gubernator Floren-Villanus, qui Virtute & prudentia inclytus, tres & viginti Legationes ad Reges, Principes, Dynaſtas in Germania, Lotharingia, Juliacenſi Ducatu, Italia obiit, potiſſimum de mandato *Philippi III.* Hiſpaniarum Regis, ad Daniæ Regem luctus teſtandi cauſa ob mortem Reginæ conjugis ejus anno 1612. ſupra vero publicis ſæpius & arduis negotiis admotus Regum & Principum ſuorum nomine in Diœtis Imperialibus, deputationibus, Colloquiis, Tractibus & variis ad Provinciarum Ordines Propoſitionibus, earundem exſpectationi ſatisfecit. Obiit fato ſuo Gandavi 11. Decembris 1633. Candore gratus, Virtute clarus, meritis immortalis. Poſuit mæſta Conjux Nobilis & Generoſa Domina *D. Margareta de Steenlant* dictorum locorum Baroniſſa & Domina, quæ ex indicta Virtute ex alto cælibem vitam, bonis moribus adornans vivere deſiit anno CIↃ. DC. LV. primâ Martii, ætatis ſuæ LXX.

In altari hujus Sacelli legitur hoc Epigraphe.

A l'honneur de Dieu & de S. Marguerite *ont fait dreſſer cet Autel. Meſſire* Gillis du Faing, *Baron de Jamoigne, Chevaillier, Seigneur de Faing, Linay, Haſſelt, Markegem, Vrye, Hoyen, Pontrave, Rye &c. Du Conſeil de guerre du Roy, & ſon Alteſe Ser^me. Gentilhomme de la bouche, Conſeiller de Courte Robbe aux Conſeil Pays Duché de Luxembourch, Souverain Bailly de Flandre &c. Et de Dame* Marguerite de Steenlant *ſa femme Baronne & Dame des dicts lieux, & au deſſoub de cette Chapelle & en celle d'embas eſt leur franciſe ſepulture, & de leurs Succeſſeurs* 1626.

In eodem Sacello exſtat illuſtre marmoreum Monumentum parieti inſertum *Philippi Franciſci*, filii præfati *Ægidii du Faing*, cujus eſt hæc inſcriptio.

D.O.M.

D. O. M.

Cy giſt Illuſtre Seigneur Philippe François du Faing, *Comte de Haſſelt, Baron de Jamoigne, Seigneur du Faing, Markegem, Hyon, Rye, Pontrave, Ronnecq &c. Conſeiller de courte Robbe au Conſeil de Luxembourch, Deputé ordinaire de l'Etat Noble de la Dicte Province, Gentilhomme de la bouche du Roy, Prevoſt & grand Gruyer du Comté Chiny, qui treſpaſſa le 2. Xbre 1680.*

Et Illuſtre Dame Petronille Morel de Tangry, *ſon Epouſe, qui eſt la derniere de cette Noble, & ancienne famille, qui a l'aiſſée des Enfans, & mourut le 7. Juillet 1686.*

Hæc Toparchia extendit jurisdictionis ſuæ alas in pagos circumjacentes, videlicet de Schendelbeke, Vluefegem, Hemelverdighem & Yedeghem, ubi & decimam quamdam non modici valoris Toparcha potitur.

In ſacris Eccleſia Parochialis dicata eſt *S. Petro* Apoſtolo. Capella *Ter Vrye* inſcripta *S. Joanni Evangeliſtæ*, in eâ Capellania amplam habens dotem, biniſque per hebdommadam ſacris gravata. Collator illius Toparcha. Capella *De Mounenbroeck* Matri Deiparæ Virg. *S. Annæ* inſcripta eſt, adeo ut tres etiam cenſeri pagi poſſent. Habet inſuper Toparcha in Eccleſia Parochiali tres Capellanias collationi ſuæ obnoxias: Prima Deiparæ Virgini titulum habet, altera *S. Petri*, tertia ad Matutinum ſacrum populo Dominicis feſtisque diebus celebrandum inſtituta, ſed inſufficienter dotata. Hæ Capellaniæ propter tenuitatem proventuum reductæ ſunt per Archiepiſcopum ad VII. Miſſas ſingulis diebus XV.

Patronatum hujus Parochialis gerit Abbas Hunnocurtenſis Ord. S. Bened. prope Cameracum.

Univerſa fere pagi Decima ſpectat ad hanc Abbatiam; ſexta earum pars eſt Parochi, & univerſa Decima Caulium (vulgo *Coolſaet*,) præterea præfata Abbatia ſolvit annuè Parocho in Supplementum competentiæ XXIV. libras Flandricas.

OUDENHOVEN BEATÆ MARIÆ, quaſi vetus Virginis *Mariæ*, Curia, vernaculè *Marie-Oudenhoven*, primo lapide a Sottegemio.

Dominium hujus pagi, quod eſt Præfecturæ Sottegemienſis pridem fuit gentis Egmondanæ, ſed circa medium præcedentis ſeculi titulo emptionis illud a Comite acquiſivit *Petrus de Blondel*, Eques, Sanctioris dein Concilii Senator &c. cum Dominio pagi de Michelbeke huic contiguo.

Anno 1675. die 28. Decembris decoratum eſt hoc Dominium a *Philippo IV.* Hiſp. Rege titulo Baronatus in gratiam præfati *Petri de Blondel.* *Erectum in Baronatum.*

In eodem pago eſt Dominium *De Sillaers* cum arce ſpectabili & ſatis commodâ, quod cenſetur unum inter quinque præcipua feuda Ditionis Sottegemienſis, cujus ab antiquo poſſeſſores fuêre Proceres de *Herzelles*, ejuſdem Arcis incolæ, & in Eccleſiâ Parochiali ibidem ſepulti, ab his per nuptias devenit ad gentiles de *Rodoan* Dominos de Berleghem &c. a quibus illud viâ emptionis aquiſivit præfatus *Petrus de Blondel*, qui illud plurimum

restauravit, in quâ stirpe hæc Dominia perseverant, qui modo *Petrus Jacobus de Blondel* Petri filius.

Ecclesiam habet Virgini Deiparæ *Mariæ* inscriptam, in quâ ad Pastoralem curam præsentare solebat, qui personatum in eadem Ecclesia possideret, qui cum anno 1682. unitus est Pastoratui, eo jure utitur Archiepiscopus. Anno 1716. decorata est hæc Ecclesia Parochialis Reliquiis *S. Huberti* Episc. cum indulgentiis a Sanctâ sede obtentis.

Decimas hujus pagi possident Abbatia Bellopratensis Ord. Cisterc. ad Teneram fluvium prope Gerardimontem, Ecclesia & Parochus, unicuique suus est decimarum districtus, & habet quisque tertiam illius partem, qui annuè mutatur.

Espinoius in suis de Nobilitate Flandricâ commentariis Gallicis pag. 269. refert quomodo *Thomas de Monte* 1270. mense Junio donat suam decimam dè *Audenhoven* præfatæ Abbatiæ Bellopratensi.

Hic loci quadrante ab Ecclesia est Capella D. Virgini sacra, vulgo dicta *ter Haut*.

OULTRE, sive *Aultre*, medio milliari a Ninhovia, pagus Comitatus Alostani, in clientelâ Baronis Boularienſis. Ejus Dominium olim fuit penes familiam cognominem de *Oultre*; deinde eosdem habuit Dynastas, quos Santberge, utpote gentiles de vander A A, & *Enghien*, &c. quos refert ad longum Espinoius in suis de Nobilitate Flandricâ commentariis Gallicis pag. 269. Hodie ejus Dominium est in familiâ de *Musaert*, quæ & inibi arcem struxit nostra ætate spectabilem in quâ Toparcha suum tenet domicilium. Possedit hoc Dominium in fine seculi XIV. Parcevaldus de *Sone*.

Ecclesia inscripta est *S. Amando* Tungrensi Episc. Patronatum ejus gerit Abbas Hunnocurtensis Ord. S. Bened. prope Cameracum. Plurium annorum serie deservita est hæc cura Pastoralis per Canonicos Religiosos Abbatiæ Ninhovienſis Ord. Præmonst.; sed anno 1709. proprium suum accepit Parochum, & a decimatoribus per sententiam Senatus Flandriæ, confirmatam per Magnum Senatum Belgicum nova inibi constructa est Domus Pastoralis qua dudum caruit.

Potior pars decimarum possidetur a præfatâ Abbatiâ Ninhovienſi, reliquâ a præfatâ Abbatia Hunnocurtensi. Parocho assignata est similiter a Senatu annua competentia a præfatis decimatoribus solvenda.

In extremitate & fines hujus pagi est Capella Virgini Deiparæ sacra, vulgo *Leebeke*, in quâ Sacellanus ad missam tenetur hebdommadalem.

PARIKE, olim *Parantia*, dein *Paricla*, ad limitem Hannonicum in Comitatu Alostano sub clientelâ Baronis Boularienſis. Ejus Dominium olim fuit penes *Masminios*, dein spectavit ad gentiles de *Steenlant*; nostra ætate titulo emptionis illud acquisivit *Petrus Antonius van Cauteren*, in qua familiâ perseverat.

Hic pagus varia suo ambitu complectitur Dominia, ut *Hombrouck*, Majore & Scabinis decoratum, quod olim fuit gentis *Reyngaertsvlietii*. Nuper spectavit ad *N. Casier*, a quo emptionis jure devenit ad præfatum *Petrum Antonium van Cauteren*, cujus filius illud hodie possidet.

J. van Waesberghe refert in suo Gerardimontio pag. 218. „ Aliud in „ *Paricla* Dominium est *Herimez* cum Balivo & Scabinis gentis o„ lim *Lewergemiæ*". Dein de *Jauce* gentis de *Mastaing* Dynastas habuit.

Pa-

Parikam Anno 1433. Gandenſes incenderunt quo fortaſſe factum ut illam veteres Municipium uſtum indigitarent.

In ſacris Eccleſia dicata eſt *S. Lamberto* Tungrenſi Epiſc. ejus Patronatus ſpectat ad Abbatiam Lobienſem Ord. S. Bened. ad Sabim fluvium.

Hæc cura Paſtoralis longo annorum curriculo adminiſtrata fuit per Paſtorem de Saerlinge, a quâ Eccleſiâ Parochiali ferè diſtat tribus horæ quadrantibus; ſed anno 1709. proprium ſuum nacta eſt Parochum, cui decimatores omnes ſuas tunc ceſſerunt decimas, ita ut hodie univerſa hujus loci decima ſpectet ad Parochum.

POLLAER, pagus medio milliari a Ninhoviâ ad Teneram fluvium ſub Dominio de Wedergraet, qui nuper *Petrus Antonius van Cauter*, pluries a nobis nominatus, hodie ejus filius.

Primitus hoc Dominium fuit apud gentem cognominem de Pollaer, in Diplomatibus notiſſimam. Anno 1270. devenit in familiam de AA. & de *Grimberge*, ut conſtat ex *Butkens* in ſuis Trophæis Brab. pag 121, 275. & 313. inde devolutum eſt ad gentiles *De Vos*, in quo floruêre plures Viri illuſtres, apud l'Eſpinoy de Flandricâ Nobilitate pag. 175. & alibi celebres; ubi refert, quod fuerint etiam Dynaſtæ de Laerne, Lovendeghem, & Zomerghem, quæ familia jam ferè ſeculo deſiit. Vide de hac Familiâ plura apud *D. Lindanum* in ſua Teneræmundâ Lib. III. Cap. III. N. 244. & ſeqq. ubi varia exhibet Epitaphia, quæ modo injuriâ temporum perierunt, quibus addo ſequentem inſcriptionem in laminâ æneâ quæ ante Iconoclaſtiam viſebatur in Sacello *S. Barbaræ*, tum temporis *S. Spiritus* Eccleſiæ Parochialis *S. Michaelis* Gandavi.

Te deſe takelen vanden Helegen Geeſt van S^te. Michiels, in Gendt/ hebben beſedt M^er. Baudewyn de Vos, Heere van Pollaer/ van Laerne/ ende van Zomerghem ende M^er. Baudewyn de Vos, ſynen Zone/ Ruddere/ Heere van Lovendeghem/ van Laerne/ ende van Zomerghem Raedt myns gheduchs Heeren ende Princen/ alle Sondaghe Eeuwelic ende Erfelic (ghelyck 't Beſet daer af ſoukkiſantelic ghedaen es voor Schepenen vander Keure in Ghendt/ op den 21. dach van Hoymaendt) VII, waerf VII, maeckende XLIX. provenden/ te deele de aermen van de Prochye van S^te. Michiels, elcke provende een broodt van IIII. d. Paris/ ende daer in ſtekende eene penning van VI. d. Paris. Ende deſe provenden moeten ſy deelen met tee-

kenen vander wapenen van hem lieden ghelyck sy nu gemaeckt syn. Dit was ghedaen int Jaer ons Heeren MIIII^{c}. ende XLI. ende staet in't Schepenen bouck vande selven jaere fol. 142.

Bidt Gode over de Zielen.

Ecclesia sacra est *S. Christophoro* Mart. cujus Patronatus spectat ad Dynastam hujus loci. Decima est bipartita, cujus una medietas est Parochi, altera est Canonici Scholastici Ecclesiæ de Meerbeeck, quæ est Matrix hujus Parochialis.

St. TENTELINS, latinè *S. Anthelini* pagus Comitatus Alostani, altero lapide a Gerardimonte, & uno cum dimidio a Ninhoviâ.

Dominium hujus loci cum *Woubrechtegem* spectat ad Abbatem *S. S. Cornelii & Cypriani* Ord. Præmonst. Ninhoviæ: Hoc circa annum 1633. a *Philippo IV.* Hisp. Rege emptionis titulo jure pignoratitio suæ Abbatiæ comparavit *Joannes David* XXXIX. Abbas præfatæ Abbatiæ.

Hic pagus est ex illis XXII. quos proprium Comitis vocant, vulgo *'s Graven-Propre.*

Ecclesia sacra est *S. Gertrudi* Virg. Ejus Patronatus spectat ad Illustre Capitulum Nivellense.

Decima est tripartita, cujus una triens spectat ad Parochum, reliquæ duæ trientes ad præfatum Capitulum cum variis inibi agri possessionibus & censibus. Parocho ex decimis dantur annuè in Supplementum competentiæ XX. Libræ Flandricæ, imo hodie plures. Hæc Cura Pastoralis longo temporis tractu solebat deserviri per Pastorem de Woubrechtegem, verum Anno 1712. proprium accepit Parochum.

SALLARDINGEN, latine *Saerlinga*, vulgo *Saerlingen.* Pagus situs in extremis oris Comitatus Alostani ad limitem Hannonicum, medio milliari a Gerardimonte. Ejus Dominium spectat ad Dynastam terræ de Wedergraet, quod Dominium sibi nuper pretio comparavit a gentilibus de *Volkart*; olim spectavit ad Gentem de *Gavere*, a qua ad Proceres *De Lalaing.* In hoc pago Dominium habet Abbas Lobiensis cum multis prærogativis, vi cujus creat Burgimagistrum & tres Scabinos, reliquos tres creat Dynasta.

Ecclesia inscripta est *S. Antonio*, qui cultu speciali ibidem veneratur & colitur, & plurimum visitatur ab Hannonibus, cujus Reliquiis hæc Parochialis est decorata, quæ inclusæ sunt insigni & grandi brachio argenteo. Patronatus hujus Ecclesiæ spectat ad Abbatem Lobiensem Ord. S. Bened. ad Sabim fluvium.

Decima in sex divisa est manipulos, quarum unus spectat ad præfatam Abbatiam, tres ad Abbatiam Camberonensem Ord. Cisterc. duo ab Abbatiam *S. Adriani* in Gerardimonte, & unus ad Parochum. Nuper ei attributa est competentia 400. flor. annua, quâ ejus sextus manipulus elocatur annuè, quodque deest usque ad præfatam summam a præfatis decimatoribus pro ratâ cujusque decima, eidem annuè suppletur.

SANT-

SANTBERGE, pagus amœnus ad Teneram fluvium, qui eum interſecat, inter Ninhoviam & Gerardimontem, æquali ferè diſtans ſpatio, Comitatus Aloſtani, ſub clientelâ & in fide Baronis Boularienſis.

Dominium dudum ſpectavit ad gentem cognominem de *Santberge*, deinde fuit procerum de *AA.*, *Outre*, *Liedekercke*, inde in gentem *d'Oiſy*, & ab eâ in gentem *d'Enghien*, e quâ *Maria d'Enghien* hanc Toparchiam in dotem attulit marito ſuo *Jacobo de Lalaing* Domino de la Mouillerie, filio *Philippi* & *Florentiæ de Rechem* Vice Comitiſſæ Aldenardenſis: *Jacobus* autem genuit *Carolum* Equitem, Dominum de Santberghe, cujus Epitaphium infra exhibetur, modo ejus pronepos *Maximilianus Joſephus* Comes de *Lalaing* & de Thieldonck Gubernator Brugenſis, qui ad hanc Toparchiam de Santberghe pervenit per mortem patris ſui *Jacobi de Lalaing* Vice Comitis Aldenardenſis vide *Leroux* in ſuo Theatro Nobilitatis Belgicæ fol. 167. & 168.

Hoc Dominium Arcem habet ſpectabilem & elegantem, aquis munitam cum officinis & hortis ad ejuſdem ferè fluminis oram; ibidem Capellania Caſtralis ad collationem Toparchæ cum onere miſſæ quotidianæ in præfatâ arce de Santberghe, quam fundarunt gentiles de Oiſy.

In Choro juxta latus Euangelii aræ maximæ viſuntur in feneſtris vitreis penicillo adumbratis ſimulacra genuflexa militari ſago induta, inornatis gentilitiis inſignibus de *Lalaing*, item ejuſdem familiæ inſignia & quarteria.

In eodem Choro viſuntur humi lapides Sepulchrales Dynaſtarum *d'Enghien*, *d'Oiſy*, & *Lalaing* cum hiſce inſcriptionibus.

Hier light begraven Wenchelyn van Oyſy, **Ridder / Heere van Santberghe / Beauvolen / Beyer / van Ylſche / Heere van Reneghelſt / die ſtarf int jaer** XIV^c^. LXXXIV. XXX. **Maert / ende Trauwe** Catherine Varnewyck, **ſyne wettighe geſelnede / die ſtarf int jaer** XIV^c^. LXX. XXIV. **Sporkele. Bidt voor de zielen.**

Hier lecht begraven Virgilius van Eeynghen, **Heere van Santberghe / Beauvolen / ende in Reynichgelſt / die ſterf int jaer** XV^c^. LX. **En Mevrou** Agnes van Berghe, **zyne Huysvrouwe / die ſterf int jaer** XV^c^. XIV. IV. **October.**

Hier leyt begraven M^hrr^. Charle de Lalaing, **Riddere / Heere van Santberghe / la Mouillerie / Maſſle / Beauvolein / in Renichgelſt etc. die ſterf den 2. April.** 1632. **ende Mevrauwe** Catherine de Fourneau, **ſyne wettighe geſelnede / die ſterf den 4. Mey** 1648. **Bidt voor de Zielen.**

Utriusque Conjugis Quarteria erant

De Lalaing, Rechem, Enghien, Berchem, Fourneau, Baillet, De Geyn, t'Serclaes.

Ecclesia B. Virgini *Mariæ* sacra est, Patronatus ejus spectat ad Abbatissam Belloprati Ord. Cisterc. Quæ Abbatia huic loco vicina est.

Decima hujus pagi divisa est in sex manipulos, quorum quatuor percipit Abbatia de Camera Ord. Cisterc: propè Bruxellam, quintum præfata Abbatia Bellopratensis cum mediâ parte Novalium, sextum manipulum cum altera media parte novalium percipit Parochus, cui insuper ex decimis præfatæ Abbatiæ de Camera in Supplementum competentiæ annuè solvuntur 100. floreni.

Decimas, quas hic possidet præfata Abbatia de Camera, acquisivit dono *Leonis de Bruxella* anno 1207. confirmante id *Alide de Boulaer*, a qua tenebatur in feudum Ao. 1235. ut patet ex his Diplomatibus.

Modernis innotescat & posteris, quòd ego LEONIUS de Bruxella, de consensu Uxoris meæ *Clementiæ*, decimam quam in Parochia de Sanbergen possidebam, Abbatissæ & Conventui de Camera, Ordinis Cistertiensis, in eleëmosynam donavi.

Signum Reinbaldi de Lake,
Danielis,
Reinbaldi de Dilbeke, Militum.

1207. Actum anno MCCVII. VII. Idus Aprilis in prædicto Cameræ Cœnobio.

Alidis Domina de Boular omnibus notum facimus, quòd Nos donationem à Domino *Leonio* de Bruxella, Viro Nobili, Conventui de Camera quondam factam titulo eleëmosynæ, de decimis de *Zanbergis*, quas ipse de manu nostra jure tenebat feodali, ratam habemus & gratam. Quidquid etiam juris habuimus in dictis decimis præfato Conventui in eleëmosynam contulimus, de consensu Filiorum nostrorum, perpetuo jure possidendum. *Santberghe.*

1235. Actum anno Domini M. CC. XXXV. mense Martio.

Abbatia Bellopratensis acquisivit jus Patronatus hujus Parochialis a Capitulo Anderlechtensi sub annuo censu anno 1238.. uti constat ex hoc Diplomate.

Ex Archivis MS. Capituli Anderlecht.

Universis Christi Fidelibus, quibus præsentes Litteras vidêre contigerit, Abbatissa & Conventus de Bello-prato in perpetuum:

Quum memoriam rerum gestarum conservant tenaciùs indicia Litterarum, notum facimus universis Scripti præsentis indicio, quod Decanus & Capitulum Anderlechtensis Ecclesiæ concesserint Nobis ad firmam perpetuam Ecclesiam suam de *Santberga*, singulis annis pro decem libris Parisiensis monetæ, de quibus unam medietatem infra Octavam Ascensionis Domini persolvere tenemur eisdem.

Si verò præfatæ pecuniæ statutis iis terminis à Nobis non fuerit persolutæ, tenemur ex tunc ex condicto prædictis Decano & Capitulo de die in diem, in quinque solidis Parisiensibus nomine pœnæ, quo usque plenariam de supradictis decem libris faciamus solutionem.

Debemus autem personam idoneam eligere, & electam eidem Decano & Capitulo præsentare, & ipsi Decanus & Capitulum personam, si fuerit idonea, Domino Episcopo Cameracensi præsentare tenentur eamdem.

1238. Datum anno Domini M. CC. XXXVIII. Dominicâ post Ascensionem Domini.

SCHENDELBEKE, Inter Inferiorem Boulariam & Yedeghemium gratissimo ad Teneram fluvium situ jacet.

Ar-

Arcem olim habuit ingentem & validam, quæ per *Philippum Bonum* Ducem Burgundiæ obsessa & capta, solo æquata est anno 1453.

Hic pagus quidem Boulariæ minimè subalternus, sed Boularienſi Dynastæ Proprius in Clientelâ Comitis Alostani. Longâ annorum serie fuit penes familiam cognominem, illustrem ac potentem in Historiis nostratibus & Diplomatibus notissimam; sed quæ nunc cum pluribus aliis funditus interiit.

Hoc Dominium exinde emptione devenit ad *Gollardum de Bailleul* & *Machtildim de Liedekercke* ejus Conjugem Boulariæ Dominos, illudque annexerunt suorum Baronatui Boularienſi anno 1334. a quo modo possidetur, qui hodiè *Philippus Guilielmus de Cassina*, Comes de Wonsheym &c.

In sacris Ecclesia inscripta est *S. Amando* Tungrenſi Episc. Ejus Patronatus spectat ad Capitulum S. Crucis Cameraci. Decima possidetur a variis, scilicet a præfato Capitulo, ab Abbate *S. Adriani* in Gerardimonte, Hospitali ejusdem oppidi & Parocho, cui in Supplementum competentiæ annuè persolvuntur a præfatis decimatoribus XXV. Libræ Flandricæ.

Abbatia *S. Adriani* possidet hic plurimas agri, prati & sylvarum possessiones.

Hic loci primitus stetit *Cartusia* anno 1228. fundata, quæ hodiè est in pago *Lierdæ S. Martini*, emptum enim est ab Abbatiâ Ninhovienſi prædium *Rodendrieſch* unius bonarii & virgarum quinque in hoc pago, ut Monasterium construeretur; operis autem initio vix posito, ob urgentes rationes construi placuit in pago præfato, in villâ *Ten Bosſche* uti suo loco dictum est.

SMERLIBBE, Boronatus Boularienſis Dominium, exiguus pagus & magis vici quam pagi nomen meretur, perpaucos enim habet incolas, vixque continet 150. terræ bonaria, contiguum est pago de Yedeghem, a cujus Parocho hæc cura Pastoralis administratur, qui singulis diebus XIV. ibidem divina celebrat.

Ecclesiam habet *S. Amando* Tungrenſi Episc. sacram. Ejus Patronatus competit Abbati *S. Petri* Gandavi. Decima ferè universa spectat ad Parochum.

Hæc Abbatia hîc possidet insigne prædium, quod complectitur plures agri, prati & Sylvæ possessiones, quæ immunes a Decimis præstandis, quasque hæc Abbatia sibi reservavit cum cessit suas decimas hujus loci Parocho.

STEENHUYSEN, Principatus titulo ante tria secula Illustre Dominium, exulum ac reorum asylum est, multis juribus & immunitatibus ornatum, uno milliari cum dimidio a Gerardimonte; Instructum est insigni Castro, condito (ut inscriptio ejus declarat) anno 1628, cujus schema visitur in Flandria Illustrata A. Sanderi tom. II. pag. 515. *Principatus.*

Hoc illustre Dominium primitus habuit sui nominis Dynastas; inter eos primus legitur *Halcardus* Dominus de Steenhuyse & Swevegem circa annum 1300. dein *Gerardus* Eques, Princeps de Steenhuyse, mortuus circa annum 1379. cui successit ejus filius unicus *Otto* Princeps de Steenhuyse, cujus filius *Felix* Princeps de Steenhuyse Dominus de Avelgem, qui fuit supremus Flandriæ Prætor, mortuus circa annum 1424. cujus filia & hæres, Princeps de Steenhuyse nupsit *Joanni de Bruges*, per cujus nuptias hic Principatus devenit in familiam de *Bruges*. *Joannis* præfati filius fuit *Ludovicus* Eques A. V. Comes Wincestriæ, Princeps de Steenhuyse, Præfectus Hollandiæ, Zelandiæ,

diæ, Frisiæ &c. Duxit *Joannam de Borsele*, *Henrici* Comitis de Granprez & Equitis Aurei Velleris ex *Margareta Scoticâ* filiam. Exstat horum illustre Mausolæum a Sinistris Majoris Altaris in Choro Ecclesiæ Collegiatæ *B. Mariæ* Brugis cum hac inscriptione.

Hier licht Hooghe ende Moghende Heer Mer Lodewyck van Brugge, **Heere van Grunthuyse / Grave van Wincestre / Prince van Steenhuyse etc. Raedt ende Camerlinck van onsen geduchtighen Heere / ende Riddere van de Oordene / ende in synen tyt Gouverneur Generael van Hollant / van Zeelant ende van Uriesland / ende Ridder van Eeren onser geduchtighe Vrouwe** Marie, **die starf int jaer** 1492. **den** 26. **Novemb.**

Hier licht Vrauwe Margarite van Borsele, **Gheselle van myn Heere boven ghenaemt / dochter van Mer** Leyderick van Borsele, **Heere vander Vere / Grave van Grandpre / die starf int jaer** 1510. **den** 29. **van Ougst. Godt hebbe de Sielen.**

Præfati *Ludovici* filius fuit *Joannes de Bruges*, Princeps de Steenhuyse, Comes Wincestriæ, Dominus de Oostcamp, Despieres, Gubernator Picardiæ, Eques Ordinis *S. Michaelis*. Pluribus additus ad annum 1512. apud Abbevillæam in Picardiâ, conditus ibidem in Abbatiâ *S. Richarii* Ord. S. Bened. cum hac Sepulchrali inscriptione.

Messire Jehan de Bruges, *Prince de Steenhuyse*, *Seigneur de la Gruthuse*, *& Chevalier de l'Ordre*, *Gouverneur & Lieutenant General du Roy es pais de Picardie*, *Capitaine de cent hommes d'armes*, *trespassé a Abbeville en l'an mil cinq cens & douse*, *& fut grand & redoute Seigneur.*

Joannis filius fut *Ludovicus* Princeps de Steenhuyse &c. mortuus ad annum 1528. cui successit *Renatus de Bruges* Princeps de Steenhuyse &c. cujus filia & hæres nupsit *Ludovico de Baulme*, Domino de Peres, Baroni de S. Amour, & Montfauconet in Burgundia. Exinde transiit Principatus de Steenhuyse ad Luxemburgicos Comites de Gaverâ, hinc ad Comites Egmondanos, a quibus tandem ad Richardotios in quâ stirpe mortuo in fine seculi XVII. N. Richardoto Principe de Steenhuyse sine liberis, hodie incertum ad quem hic Principatus devolutus sit.

Pos-

Possidetur hoc Dominium in Clientelâ Curiæ feudalis de Hautsilly & Boisilly inter Athum & Anghiam, quæ Curia spectat ad Marchionem de Trazegnies.

Ecclesia inscripta est *S. Petro* Apostolorum Principi, cujus Patronatum gerit Abbas *S. Petri* in Monte Blandinio Gandavi.

Decima est tripartita, quarum ex æquo participes sunt Parochus pro parte unâ sive triente, cum illâ scilicet, quas illi cessit per interim anno 1692. præfatus Abbas *S. Petri*; altera triens est gentis Borlutiæ Gandavi patriciæ, & tertia hodie spectat ad *Carolum de Borluut* Dominum de Schoonberghe.

VIANE, tribus horæ quadrantibus a Gerardimonte ad limitem Hannonicum, Municipium non solum Baronatus, sed Comitatus titulo illustre, teste Espinoyo in suis de Nobilitate Flandricâ Commentariis Gallicis pag 110. antiquo & insigni Castro olim instructum cujus modo rudera & ruinæ tantum supersunt. Asyli jure, annuisque mense Septembri postridie *S. Michaelis* Archangeli nundinis celebre; olim forum solebat habere hebdommadarium, quod jam desiit.

Hoc Dominium olim nomen dedit Illustri familiæ de *Vianen* in Historiis nostratibus & Diplomatibus notissimæ, quæ hoc Dominium longâ annorum serie possedit, dein ad Luxemburgicos, Melunios & alios devolutum, Hodie peculium gentis Egmondanæ.

In sacris Ecclesia dicata est Virgini Deiparæ *Mariæ* in Cœlos Assumptæ, cujus Patronatus spectat ad Abbatissam Gislengiensem Ord. S. Bened. inter Athum & Anghiam Hannoniæ oppida. Duas partes decimarum percipit Monasterium Divitum Clarissarum Gandavi, vulgo *Rycke-Claeren*, quod plures insuper inibi possidet agri possessiones; tertiam decimarum partem habet Parochus & Supplementum a præfato Monasterio centum florenorum annuè.

In hoc loco stetit adhuc initio seculi XVI. Monasterium Grisearum sororum *S. Francisci*, quæ inde migrarunt Ninhoviam anno 1504. Eorum loco dein surrexit hic insignis Capella *S. Rochi* patroni contra morbos pestiferos, in quâ diebus sacris ad commoditatem populi divina celebrantur.

In extremitate hujus exstat Capella *S. Nicolai* (quæ ferè jacet in suâ ruinâ) & in eâ Capellania fundata.

VLOESEGEM, olim *Fluersegem* & *Vluersegem* in Diplomatibus legitur. Baronatus Boularienses Dominium, ad cujus Baronem spectat, primo lapide a Gerardimonte.

Ecclesia tutelarem colit *S. Mathæum* Apostolum sub Petronatu Abbatis *S. Petri* in Monte Blandinio Gandavi.

Decima spectat ad Abbatiam *S. S. Cornelii & Cypriani* Ninhoviæ, Præfatum Abbatem *S. Petri* & Parochum.

Deservitur hæc Cura Pastoralis per Pastorem de Schendelbeke, qui singulis diebus XIV. ibidem sacris operatur.

VOORDE, pagus Comitatus Alostani, primo lapide cum dimidio a Gerardimonte. Hoc Dominium primitus spectavit ad familiam cognominem de *Voorde*, olim in Diplomatibus, & in Historiis rerum nostratium celebrem. Seculo XIV. possedit illud gens *Tedegemia*, inde devenit via emptionis ad gentiles de *Gruuthuyse* Principes de Steenhuyse &c. a quibus dein Anno 1486. eadem viâ transiit ad *Rolandum de Wedergrate* Equitem; hinc jure

nuptiali *Margaretæ de Wedergrate* hæredis hujus Dominii de Voorde &c. Anno 1494. cum *Georgio vander Meere* Equite, Domino de Huysgavre, Cleſſenare, Broan &c. devenit in familiam de *vander Meere*, in quâ ſtirpe hactenus perſeverat.

Hodiè illud poſſidet *Jacobus vander Meere*, Eques Dominus de Voorde, Huysgavre &c. qui inibi poſſidet ſpectabile ac inſigne Caſtellum quod inhabitat. Exſtructum eſt hoc Caſtellum anno 1540. a *Judoco vander Meere* Domino de Voorde &c. Incendio devaſtatum fuit per Regi rebelles Gandenſes anno 1580. juſſu *Oliverii vanden Tempel* Gubernatoris Bruxellenſis; ceſſantibus turbis Belgicis, noſtrâ ætate illud reſtauravit *Philippus vander Meere* Dominus de Voorde &c. qui obiit Ao. 1666.

In Choro hujus Parochialis exſtat lapis Sepulchralis humi ante Sacriſtiam cum hac inſcriptione.

Hier leet begraven Vivien van Ytghem, **alias** van Voorde, **ſterf int jaer** XIV^c. XXVI. XII. **dagh in Sporkele. Hier leet** Kriſtoffel van Ytghem, Vivien **Sone ſterf int jaer** XIV^c. LVII. XXIII. **daghe in Hoymant.**

In alâ boreali ad latus aræ D. Virginis exſtat tumba elevata ex cæruleo marmore, ad quatuor circiter pedes alta, ſub quâ conduntur Dynaſtæ de Voorde in Caveâ ſubterraneâ, quam exſtrui curavit *Roulandus de Wedergrate*, Dominus de Voorde, cui ſupernè exſculpta ſunt ejus, & uxoris ſupina ſimulacra, appoſitis gentilitiis eorum inſigniis, & circum circa litteris Teutonicis hæc inſcriptio.

Sepultüre van Edele ende Weerde Heer M^r. Rouland van Wedergrate, **Ridder / Heere van Voorde / die overleet den** VI. **in Sporkele** XV^c. XVIII.

Hier light M^r. Kateline van Kamere, **geſelnede van Her** Rouland **voorſeit / Overleit.** . . . . . .

Hoc Dominium eſt clientela Curiæ Feudalis de *Hautſilly* & *Boiſilly* inter Athum & Anghiam Hannoniæ oppida, quæ Curia ſpectat ad Marchionem de Trazegnies.

Eccleſia Patronum colit *S. Petrum* Apoſt. Cura Paſtoralis ſpectat ad Abbatiam *S. S. Cornelii & Cypriani* Ord. Præmonſt. Ninhoviæ, quæ illic e ſuis Parochum ſubminiſtrat, ad quam Abbatiam ſpectat univerſa hujus pagi decima, relictâ portione Parocho.

Pars hujus pagi extima ſubeſt in ſpiritualibus Parochis de Steenhuyſe & Smerlibbe.

YEDEGHEM, vulgo *Jeghem*, amœniſſimum eſt Teneræ tranſitu: paſcuorum commoditate, Abbatiæ Virginalis Belloprati atque Raſpaliæ Sylvæ affinitate municipium, via Ninhovienſi Gerardimontibus, extendit ſe ultra

bis

bis mille paſſus in unam propemodum planitiem, frumentum profert bonitate præ reliquis territorii, & abundantiâ exteris notum, ac nomine a Scriptoribus, nominatim a *J. B. Gramayo* commendatum.

Dominium ejus ſpectat ad Baronem Boularienſem, ſub cujus Baronatu comprehenditur. Dominium item hic habet, atque domum, quod olim Prætorium fuit cum Meyero & Scabinis, gens Yedegemia. Gentis *Yedegemiæ* cognomentum, nunc gentilium de *Grutere*.

De Gentis *Yedegemiæ* numeroſâ cum præſtantiſſimis Flandriæ Familiis affinitate atque militari laude, domi foriſque in Oriente parta, multa referunt ſcriptores Flandriæ, inter eos *J. Meyerus* & *J. van Waesberge* in ſuo Gerardimontio Lib. I. Cap. VII. Quæ gens *Yedegemia* olim etiam Dominium de Voorde, Wieſe in Comitatu Aloſtano, & alibi plura Dominia poſſedit.

Eccleſiæ tutelaris *S. Petrus* Apoſt. Ejus Patronatum gerit Abbas *S. Petri* in Monte Blandinio Gandavi.

Decima hujus loci a variis poſſidetur ſæcularibus, Comes de Op-Haſſelt in iis notabilem partem percipit; tertia earum pars ſpectat ad Paſtorem.

Viget in hac Parochiali ſpecialis cultus & viſitatio *S. Huberti* Leod. Epiſc.

WAEREBEKE, vulgo *Werebeke*, pagus exiguæ valdè extenſionis in confinitate Comitatus Hannoniæ; pridem fuit Baronatus Boularienſis Dominium: Anno 1658. tranſiit titulo emptionis cum *Nieuwenhoven* in familiam de *Steenhault* patriciam Buxellenſem, in quâ hodiè perſeverat.

Eccleſia tutelarem colit *S. Amandum* Tungrenſem Epiſc. ſub Patronatu Abbatiſſæ de Foreſto Ord. S. Bened. in Suburbio Bruxellenſi, ad quam Abbatiam ſpectat ferè univerſa pagi decima, ex quâ dantur annuè in Supplementum competentiæ Parocho 170. floreni, qui inſuper habet parvam decimam & plures agri poſſeſſiones.

WOUBRECHTEGEM. pagus Comitatus Aloſtani, æquali ferè ſpatio ab Aloſto & Gerardimonte, altero ſcilicet lapide cum dimidio.

Dominium hujus loci cum pagi de *S. Tentelins* titulo emptionis ſuæ Abbatiæ comparavit jure pignoratitio circa annum 1633. a *Philippo IV.* Hiſp. Rege *Joannes David* Abbas XXXIX. *S.S. Cornelii & Cypriani* Ord. Præmonſtr. Ninhoviæ, conſtituit cum præfato pago de *S. Tentelins* unum tribunal.

In hoc pago eſt Dominium de *Hollebeke*, quod ſe extendit per mediam circiter partem hujus pagi, quod Dominium fuit longo annorum tractu inclytæ familiæ *De Bette*, qui modo Marchio de Lede, habens inibi latam juriſdictionem, Meyerum, Graphiarium, Scabinos, & tribunal, item Curiam feudalem & cenſualem.

Hoc Dominium obvenit anno 1344. *Adriano de Bette*, ex parte Matris ſuæ *Gudulæ de Nevele* dictæ *vander Meerſche* per mortem ſuæ neptis *Eliſabethæ de Grimberge* Viduæ *Franciſci de Jauſſe* dicti *Maſtain* Domini de Maſſeme, Baronis d'Heyne &c.

Eccleſia Patronum veneratur *S. Martinum* Turonenſem Epiſc. Ejus Patronatum gerit Abbas *S. Petri* Gandavi, quæ Abbatia hodie nihil præter ſuos libros cenſuales hic loci poſſidet.

Decima eſt tripartita, cujus ex æquo participes ſunt Præfata Abbatia Ninhovienſis pro duabus trientibns; reliquâ triens eſt Parochi, cui inſuper com-

petit universa lini decima, ipsique insuper solvit hæc Abbatia in Supplementum competentiæ annuè centum florenos.

Hæc Abbatia ratione suarum decimarum per sententiam Senatus Flandriæ anno 1706. & confirmationem Magni Senatus exstruxit hic loci novam domum Pastoralem.

Cæterum præfata Abbatia possidet in hoc loco ferè dimidiam partem pagi, tam in agris quam in Sylvis cum variis villis, item Curiam feudalem, pluribus feudis ab ea dependentibus illustrem (vulgo *Het Hof ten Berghe*) librum item censualem extendentem se per hunc pagum & plures circumvicinos.

FINIS DECANATUS GERARDIMONTENSIS.

HISTORIA
SACRA ET PROFANA
ARCHIEPISCOPATUS
MECHLINIENSIS.

DECANATUS ROTHNACENSIS.

ROTHNACUM, Antiquis Baronatus, Caput hujus Decanatus. Oppidum ultra Scaldim in veteri Brachbanto, duabus cum medio ab Aldenardâ & quatuor a Gerardimonte situm milliaribus, vulgo *Ronsen*, Gallis *Renay*, & *Ernay*, antiquitus *Rotornacum* & *Rodenacum*, uti in antiquis diplomatibus legitur; apud *Baldericum* in Chronico Camerac. & Atrebat. Lib. I. Cap. LXXV. *Rotnasce* Villa Brabante. *Vetus Baronatus.*

Rothnacum emit anno 1280. *Guido Dampetra* Flandriæ & Namurci Comes a *Reinoldo* sive *Rainardo* Abbate *S. Cornelii* Indensis Ord. S. Bened. prope Aquisgranum, scilicet Rothnacensis villæ partem (ut veteri verbo utar) quam *Ludovicus* Imperator Indensibus dono dederat, nam alteram ab eodem Imperatore Rothnacensi Canonicorum Collegio donatam iidem Canonici suo sibi jure retinuerunt. Diploma præfatæ emptionis refertur in Suppemento Diplom. *A. Miræi* Part. II. Cap. CXIV.

Deinde præfatus Comes Rothnacum in filium suum tertio genitum *Guidonem Rickeburgensem* transtulit anno 1289. a quo dein ad varios translatum & tandem ad *Perenotos*, a quibus illud Comes de *St. Amour* possedit; inde demum ad *Joannem Principem Nassavium de Siegen* devenit qui circa annum 1638. illustre a fundamentis in eo prætorium construxit, totius ausim dicere Belgicæ splendidissimum, cujus Schema nobis exhibet *A. Sanderus* in Flandriâ illustratâ tom. II. pag. 536. Hodie hoc illustre Dominium possidet *Alexis* Princeps Nassaviæ-Siegen &c.

Lovanii in Ecclesia P. P. Minimorum exstat insigne marmoreum Sepulchrale Mausolæum, parieti insertum, *Francisci Joannis Desiderati Nassaviæ* Principis &c. cum hâc Epigraphe.

Hunc ad tumulum Sta.
Qui magna colis & ambis.
Franciscus Joannes Desideratus
Nassaviæ Princeps,

Comes in Catzenelboge, Vianden, & Dietz. &c.
Eques Aurei Velleris,
Sub Rege Cath. Supremus Campi Marechallus,
Limburgi & Geldriæ Gubernator, Capit. Generalis.
Nihil in humanis magnum reputans,
Nisi Deo Servire,
In hoc P. P. Minimorum templo & Conventu.
a suis fundato,
Inter Minimos, minimus cliens.
S. Francisci de Paula,
Cujus Patrocinio.
Piis parentum votis invocato
Conceptus uti desideratus
Eodem desperatæ valetudinis restitutus,
Cum dilectissima Conjuge
Isabella Clara Eugenia.
Comitissa de la Serre, & S. R. I.
Ejusdem Sancti tertio ordini adscripta
Sub hoc sibi in vivis structo Monumento.
Condi voluit
Ut Patrono suo
Cui vitam bis debuit, corpus redderet.
Vixit annis LXXIII. inter mortales.
Obiit M. DC. XCIX. XVII. Decembris,
Illa vero XIX. Octobris M. DCCXIV. ætatis LXIII.
Ut æternos vivat inter immortales,
Et cum ea quam Deus illi & vita junxit,
Nec tumulus separat.
Ad vitam resurgat æternam.
Lector Precare.

Ostium Monumenti
Serenissimæ
Familiæ
Principum de Nassau.
Fundatorum
R. I. P.

Multum deformatum est hoc oppidum incendiis; arsit enim Rothnacum anno 1478. immissis a præsidio Francorum Tornacensi ignibus, & anno 1519. plusquam septingentæ domus fortuito igne consumptæ sunt, item anno 1559. die 21. Julii plurimæ, imo ferè omnes hujus oppidi domus & tres

Ec-

Eccleſiæ ſitæ in eodem cœmiterio eodem incendio conflagrarunt, & noviſſimè anno 1719. die 31. Martii quo 380. domus incendio fortuito in cineres redactæ ſunt.

Floruit olim mirum in modum hoc oppidum lanificio, eique olim famam opeſque peperit. *Joannes I.* Lotharingiæ & Brabantiæ Dux anno 1263. in litteris quibus dotat præfatum Indenſe Cœnobium, concedit ut Pannarii de *Ronſen* habeant Stellagium *in Halla de Lovanio, & in omnibus mercatibus terræ ſuæ ſint ſine cenſu & onere.* Diploma recitat *A. Miræus* in Donat. Belg. Lib. I. Cap. CXXX. Similes immunitatis litteras conceſſit Rothnacenſibus anno 1533. *Carolus* Geldriæ & Juliaci Dux, *Florentius Hollandiæ* Comes. *Fredericus* An.... & *Georgius*, Epiſcopi Ultrajectenſes anno 1551. Item *Philippus* Francorum Rex conceſſit Privilegium immunitatis anno 1273. Diploma recitat *A. Miræus* in Donat. Belg. Lib. I. cap. XXIX. novæ edit.

Forum habet hebdommadarium diebus Mercurii & Sabbati, ac celebres annales nundinas 25. Junii & 30. Auguſti.

Quoad rem ſacram, Eccleſia prima Rothnaci fuit *S. Petri* a *S. Amando* Tungrenſi Epiſc. inchoata: *Baldericus* enim in Chronico Cameracenſi Lib. II. Cap. XLIV. ait „ in Vico Rotnaſce Monaſterium Canonicorum a „ *S.* quoque *Amando* in honore eorundem Apoſtolorum conſtructum". *Georgius Colvenerius* S. T. D. Duacenus &c. ad hæc verba *Balderici* notat pag. 537. „ Quia vero a *S. Amando* conſtructum, non videtur dubitandum quin „ fuerint olim Religioſi Benedictini. " Quando Monaſterium hoc Rothnacenſe mutatum fuerit in Collegium Canonicorum, res plane incerta, cum nec J. Meyerus in Annalibus Flandriæ, nec *A. Miræus* illius mutationis ullibi faciant mentionem.

Porro ab hac *S. Petri* Eccleſiâ ortum habet Collegiata *S. Hermetis*, multum dein dotata atque poſſeſſionibus aucta, per glorioſiſſimos Principes *Carolum Magnum* ejuſque filium *Ludovicum Pium*, *Lotharium Ludovici Pii* filium, *Lotharii* filium item *Ludovicum*, omnes Imperatores.

Acceſſit exinde altera *S. Martini* Parochialis, uti & ea quæ hodie *S. Petro* inſcripta eſt, cum unica non ſufficeret ob multitudinem populi; omnes tres in eodem cœmiterio, ea vero quæ Canonicorum, dein *S. Hermeti* dicata eſt.

Porro Parochialis *S. Petri*, pluſquam ab annis XL. a populo frequentari deſiit & jacuit deſolata, cujus Parochus interim uſus eſt Eccleſiâ Collegiatâ *S. Hermetis*; at anno 1716. Capitulum hujus Collegiatæ obligatum fuit per ſententiam Senatus Flandriæ eam reparare & ponere in ſtatu debito, ut in eâ pro populo divina celebrarentur.

Fundatæ ſunt in Eccleſia Collegiatâ Præbendæ XV. unaque earum Decanatui, altera deſtinata ad Phonaſcum & Choraules. Præterea Paſtoribus *S. Petri*, & *S. Martini* pro competentia anno 1674. unicuique præbenda Canonicalis attributa eſt. Uterque Paſtor habet in ſui adjutorium Vicepaſtorem, eiſque in ſuſtentationem attributa eſt anno 1679. præbenda Canonicalis, hodiè vero unicuique Vicepaſtori a Capitulo ſolvuntur annue XL. Libræ Flandricæ. Dignitates in hoc Capitulo ſunt Præpoſitura, & Theſaurariatus.

Damus hic ſeriem Præpoſitorum prout ex Archivis hujus Capituli exactiſſimè & fideliter excerpſit ac pro ſuâ humanitate ad nos miſit die 4. Aprilis hujus anni 1723. R. Adm. D. *Joannes Lucas van Delen* Cantor & Canonicus Rothnacenſis.

Notandum aliquorum Præpoſitorum nomina non reperiri ob Manualium

Capitularium defectum vel interitum, qui forsan in generali incendio anni 1559. vel in turbis Belgicis brevi post supervenientibus perierunt.

PRÆPOSITI ECCLESIÆ COLLEGIATÆ S. HERMETIS ROTHNACENSIS.

Everardus, ejus Anniversarium celebratur V. idus Augusti.

Gerardus, fundavit suum Anniversarium celebrandum pridie idus Septembris.

Jacobus, fundavit suum Anniversarium celebrandum VI. Kalendas Novembris.

Joannes, ejus Anniversarium celebratur III. idus Octobris.

Osto, ejus Anniversarium celebratur XVI. Kalendas Aprilis.

Joannes de Linea, Ordinavit suum Anniversarium V. idus Februarii.

Osto de Watripont, Fundator Capellaniæ *S. Servatii* in hac Ecclesiâ, & ordinavit suum Anniversarium celebrandum VIII. Kalendas Septembris.

Quoad præcedentiam vel prioritatem vel annorum tempus præscriptorum Præpositorum nihil reperitur expressum, tamen ante annum 1300. vixisse illos constat.

Raso de Scornaco, Nobili stirpe ortus fundavit suum Anniversarium celebrandum XVIII. Kal. Septembris; constat eum vixisse anno 1325.

Robertus de Scornaco, Nobili prosapia, Rothnacensis & Tornacensis Ecclesiarum Canonicus, fundator duorum Anniversariorum VIII. Kal. Decembris & ipsis Kalend. Decembris.

Ludovicus Reynghersfliete, Nobili familia ortus Canonicus & Thesaurarius hujus Ecclesiæ & Canonicus Luthosanus, ordinavit suum Anniversarium pridie idus Novembris celebrandum; constat eum vixisse Anno 1366.

Guilielmus Reynghersfliete, Nobili stirpe natus, hujus Ecclesiæ Canonicus, fundavit suum Anniversarium celebrandum pridie Kalendas Junii.

Ab anno 1400. usque ad 1418. in Libro Lotizationum decimarum, reperitur Præpositus tamquam Canonicus Lotizans sine nominis expressione.

Ludovicus de Buillemont Canonicus Rothnacensis vixit circa annum 1424.

Joannes de Buillemont hujus Ecclesiæ Canonicus, frater prædicti Ludovici, vi resignationis in sui favorem factæ, qua ei Præposituram resignavit anno 1446. obiit 20. Septembris Anno 1467.

Bussardus Baldewin Canonicus hujus Ecclesiæ reperitur in Capitulo generali anno 1468. qui decessit circa annum 1473.

Alardus Tuwart, vixisse reperitur Anno 1474.

Jacobus Brucquet, cepit possessionem anno 1476. obiit circa annum 1481.

Petrus de Ligno, Canonicus hujus Ecclesiæ reperitur in Capitulo generali Anno 1481. Fundavit Nigras sorores Rothnaci. Obiit anno 1492.

Ludovicus de Weyere, J. U. L. Eleemosynarius primarius Principis

Phi-

Philippi Archid. Austriæ, Burgundiæ &c. vi electionis Capitularis anno 1492. die 17. Septemb.

Marcus Steenbergh, J. U. D. & Professor in Academia Lovaniensi, erat Decanus *D. Gudulæ* Anno 1487. Canonicus hujus Ecclesiæ, electus Præpositus Anno 1496.

Jacobus Pochon, hujus Ecclesiæ Canonicus, Præpositus ab anno 1499. Obiit mense Martio anno 1504.

Daniel de Capella, Canonicus Cameracensis & Rothnacensis, electus a Capitulo anno 1504. Obiit anno 1528.

Joannes Mathon, Canonicus Condatensis, electus a Capitulo anno 1528.

Lupus alias Wolfgangus d'Ottignies, obtinuit Præposituram vacantem per resignationem *Joannis Mathon*, in ejus favorem inter manus Capituli factam.

Ludovicus van Winghene, Canonicus Rothnacensis, nec non Rector Capellaniæ *B. Mariæ* in Ecclesia Parochiali *S. Catharinæ* Bruxellis, obtinuit Præposituram permutatione initâ de dictâ suâ Capellaniâ cum Præpositurâ *Lupi d'Ottignies*. Obiit circa annum 1579.

Nicolaus de la Haye, cepit possessionem Præposituræ anno 1579.

Cornelius vanden Heule, J. U. B. obtinuit Præposituram vacantem per resignationem *Nicolai de la Haye* anno 1595. inter manus Regiæ Majestatis factam.

Jacobus Thienpont, J. U. L. Canonicus hujus Ecclesiæ obtinuit Præposituram vacantem per resignationem inter manus Regias factam per ejus prædecessorem Ao. 1630.

Andreas Catulle, J. U. L. Canonicus Cathedralis Tornacensis, Officialis & Archidiaconus, obtinuit anno 1663. Præposituram viâ permutationis de dicto suo Canonicatu cum Præpositurâ & Canonicatu ejus prædecessoris, vigore nominationis Regiæ Majestatis in dictâ permutatione consentientis. Vir libris editis clarus. Obiit 27. Septembris Ao. 1667.

Petrus Errembout, J. U. D. hujus Ecclesiæ Canonicus Præpositus per obitum *A. Catulle* Vigore nominationis Regiæ. Obiit anno 1686.

Joannes Baptista Del Croix, J. U. L. Præpositus Vigore nominationis Regis Christianissimi, cum post pacem Neomagensem hoc oppidum usurparet.

Ludovicus Theodorus Dongnyes, ex Illustri prosapiâ *Dongnyes* ex Baronibus de Courrieres, utriusque Bavariæ Ducis summus Eleemosynarius, Decanus Ecclesiæ Cathedralis Brugensis, nec non ad Comitia Flandriæ deputatus primarius &c. obtinuit Præposituram cum Canonicatu annexo vi permutationis cum *J. B. de la Croix* ac nominationis suæ Catholicæ Majestatis anno 1705. hodie hâc dignitate fungitur.

Ecclesiæ Collegiatæ *S. Hermetis*, Collegioque Canonicorum celebritatem ac frequentiam sibi miram conciliarunt præfatæ *S. Hermetis* Martyris Reliquiæ, ejurandis energumenis multum celebres.

Cæterum ad elucidationem hujus Basilicæ *S. Hermetis* plurimum facit quod sequitur. Anno 851. *S. Hermetis* corpus Româ Indam (quod est Monasterium Benedictinorum *S. Cornelio* sacrum propè Aquisgranum) transfertur per *Lotharium Ludovici Pii* filium, qui postea Monachus in Prumia apud Treviros obiit, anno 855.

Anno 860. die 6. Julii *S. Hermetis* corpus Indâ Rothnacum ad Basilicam Canonicorum (a *S. Amando* Tungrensi Episc. inchoatum) translatum est per *Ludovicum Lotharii* Imp. jam nominati filium, patris sui voluntatem ad implere volens: qui & Reliquias *S. Cornelii* Papæ & *S. Cypriani* Episcopi Carthaginensis & *S. Cælestini I.* Papæ apud Rothnacenses deposuit, quo loco etiamnum quatuor istorum cælitum ossa a Canonicis piè & religiosè adservantur; adeo ut velut alter fundator post *S. Amandum* Ecclesiæ Rothnacensis *Ludovicus* Imp. a Rothnacensibus habeatur.

Circa annum 940. Danis Belgicam vastantibus sub *Otthone* Imp. *S. Hermetis* Corpus Indam est relatum, & inde Coloniam, rebus postea sedatis agente *Fulberto* Cameracensi Episcopo contra Indenses, qui sibi *S. Hermetem* vindicare conabantur, ejusdem Martyris ossa Rothnacum sunt revecta, pro quo beneficio Rothnacenses dederunt Ecclesiæ Cameracensi *Nivenhoviam* inter Gerardimontem & Ninhoviam in Flandriâ, ut idem *Baldericus* Lib. I. Cap. LXXV. in præfato Chronico Cameracensi commemorat.

Anno 1089. *S. Hermetis* reliquiæ collocatæ sunt in novo feretro argenteo per *Gerardum II.* Cameracensem Episcopum.

Anno 1129. XVI. Kal. Octobris novum templum Rothnacense quod hodieque exstat per *Burchardum* Episc. Camerac. *S. Hermeti* sacrum consecratur.

Anno 1526. *Robertus Croyus* Camerac. Episc. per *Godefridum* Eenamensem Abbatem *S. Hermetis* Reliquias ex veteri feretro in novum transferri mandavit.

Patres Congregationis Oratorii Jesu, in hoc oppido admissi sunt anno 1712. hâc inter alias conditione, ut litteris humanioribus juventutem informent.

In hoc oppido est Hospitale fundatum circa annum 1432. fundatores ignorantur, ex eo quod hoc Hospitale bis incendio conflagrarit, quo periêre omnia eorum documenta & litteræ fundationis: vetus tamen traditio est, quod fundatum sit a viro seculari ejusque conjuge, qui carentes prole hoc Hospitale fundarunt, illudque dederunt Religiosis Virginibus inhabitandum, uti hodie ab iis inhabitatur, & curatur.

Sunt insuper in hoc oppido Nigræ Sorores. Earum initium sumpsit cum *Petrus vanden Houte*, alias a *Ligno*, Præpositus & Canonicus Rothnacensis testamenti tabulis legavit anno 1492. domum suam & fundum cum X. Libris annuè ad onus Civitatis Brugensis ad fundandum Conventum in honorem *S. Annæ* pro piis Virginibus bonæ famæ & conversationis, ut ægris ibidem subservirent, & operam hujusmodi charitatis officiis impenderent. Ad hunc effectum consequendum Dynasta Rothnacensis cum Senatu & populo sese contulerunt ad *Henricum de Berghes* Cameracensem Episcopum, qui eis velum ac Regulam *S. Augustini* & instituta particularia præscripsit, eæque forent sub ejus protectione, obedientia & correctione, ac in manus Archipresbyteri, vel alterius ab eo deputati, tria vota solemnia emitterent. Datis litteris die 5. Septembris anno 1496.

AMONGIES, pagus ad limitem Hannonicum, & *Ronnam* fluvium qui Flandriam dividit a Comitatu Hannoniæ, uno milliari a Rothnaco, antiquum peculium Montmorenciorum. Incolæ utuntur linguâ Gallicâ.

Ibidem spectabilè Castellum Dynastæ ad *Ronnam* fluvium, quod inhabitat.

In

In hac Parochiali exstat in Choro tumba elevata ex nigro marmore ad dextram majoris altaris cum hac inscriptione.

Sepulture de hault & puissant Seigneur Monsieur Anthoine de Montmorency, *en son vivant Seigneur de Croiselles, Amongies &c. lequel mourut le XXI. Mars M. D. XXIX. avant Pasques.*

Et de Damoiselle Jehenne de Beaufort, *Dame de Beaiavel, seconde femme du dit Seigneur* Anthoine, *la quelle mourut le XI. de Juin M. D. XXXIII.*

Ecclesia *D. Bavoni* Gandensium Patrono sacra est, sub Patronatu Capituli Rothnacensis; ad quod spectat Decima, in quâ Pastor habet suam portionem & insuper in Supplementum competentiæ annuè percipit a præfato Capitulo XL. Libras Flandricas XIII. Schell. & VIII. grossos.

BERCHEM, Gallis *Bernes*, ad Scaldim fluvium, qui tendit Aldenardam, a quâ distat altero lapide. Peculium olim longo temporis spatio gentis, *Gaveranæ* dictæ a *Scornaco*, in qua *Gerardus de Gavere*, dictus a *Scornaco*, filius natu major *Arnoldi* hujus nominis IV. Domini Scornacensis, illud possedit, & suis posteris reliquit; devolutum postea ad Comites de *Bousu*, exinde in familiam de *la Baume de St. Amour*, dein ad *Richardotios* Principes de Steenhuyse &c.

Anno 1710. emptionis tabulis devenit ad *Theodorum Ignatium vander Meersche*, in quâ stirpe perseverat, cujus filius illud hodiè possidet.

Hic locus olim multum fuit insignis, ut viæ stratæ lapidibus & domus plurimæ structuræ lapideæ satis sese declarant; verum bellorum continuis, motibus multum deformatus est, & de suo splendore plurimum deperdidit.

Ecclesia inscripta est B. Virgini Deiparæ *Mariæ*. Ejus Patronatus est Abbatis *S. Theodorici* in Monte Aureo propè Remos in Galliâ; quæ Abbatia cum anno 1695. in perpetuum annexa est mensæ Archiepiscopali Remensi, eo jure utitur præfatus Archiepiscopus. Decima pro medietate spectat ad præfatam Abbatiam exceptâ portione Parochi.

Hic loci exstat vetus Hospitale a Monialibus olim inhabitatum, iisdem autem emortuis, tandem anno 1686. filiis devotis in communè viventibus, (vulgo *Apostolinnen*) consensu Regio & Archiepiscopali donatum est, quod ab iildem inhabitatur, quibus plurimæ hodiè aggregantur. Earum præcipuè cura est puellas ad bonos mores & pietatem instruere, & manuales artes edocere.

BERLEGHEM, pagus medio ferè itinere Gandavum & Aldenardam, Præfecturæ Rodensis Dominium, titulo Baronatus illustre, in clientelâ Marchionis de Rodes.

Hoc Dominium olim spectavit ad gentem cognominem de *Berleghem*; inde ad gentem de *Grimbergis* Moesecæ & alibi Dynastas; ab hac familiâ jure uxorio transiit ad gentem de *Maldegem*; ab eâ ad *Masminios*, & ab his ad familiam de *Hornes*, quæ eo potita fuit usque ad tempora *Martini de Hornes* Equitis Domini de Gaesbeke, a quo a ducentis circiter annis titulo emptionis devenit ad *Ludovicum de Rodoan* Equitem, Dominum de *Doucourt*

OEconomum magnum *Annæ* Duciſſæ Lotharingiæ, & ab antiqua & Nobili familiâ de *Rodoan* oriundum, quæ ex Burgundiâ in Lotharingiam prius venerat; qui *Ludovicus* cum nuptias contraxiſſet cum *Iſabellâ de Bette* commorandi cauſâ venit in Flandriam, cujus filius primogenitus *Carolus Philippus de Rodoan* hic loci in lucem editus eſt, qui vivens hoc cum primis loco multum delectabatur, quique poſt varios ſacros honorum gradus ac dignitates, primo Middelburgenſis, dein Brugenſis fuit Antiſtes laudatiſſimus & moriens inter alia, hic in loco ſuo natali fundavit ſibi Anniverſarium.

Erectum in Baronatum.

Ab hac familiâ devenit hoc Dominium viâ emptionis, ſeu potius jure retractus anno 1680. ad *Lopes Rodrigues d'Evora & Vega* Baronem de Rodes, in cujus gratiam a *Carolo II.* Hiſp. Rege Diplomate dato Madriti 27. Julii anno 1682. erectum eſt in Baronatum, qui inibi inſigne poſſidet Prætorium ab eo plurimum reſtauratum & decoratum, in quâ ſtirpe hoc Dominium hactenus perſeverat, qui modo *Emanuel Joſephus Rodrigues* Marchio de Rodes &c.

Eccleſia tutelarem colit *S. Andream* Apoſt. Ejus Patronatum gerit Capitulum *S. Crucis* Cameraci; quod Capitulum anno 1701. ceſſit Parocho ſuas quas inibi percipiebat decimas, ſcilicet tertium manipulum habebat cum Parocho, & renuntiavit juri Patronatus, reliquæ duæ trientes decimarum ſpectant ad gentiles de *Damman* Vice-Comites d'Oomberge, idque jure (ut volunt) Capellaniæ Caſtralis de *Cnappenaerde*, cujus Capellæ deſtructæ parietinæ & rudera ibidem hodiedum propè Scaldim conſpiciuntur, quæ Capellania gravata eſt hebdommadatim duabus miſſis.

BOST, vulgo *Rooboſt*, primo fere lapide a Sottegemio ſub cujus præfecturâ eſt hoc Dominium. Olim peculium gentis Egmondanæ; hodie ſpectans ad *N. de Werckhove.*

Eccleſia dicata eſt *S. Dionyſio* Mart. ſub Patronatu Abbatis *S. Petri* Gandavi, quem dono acquiſivit ab *Odone* Camerac. Epiſc. Anno 1108. Decimarum potior pars ſpectat ad præfatam Abbatiam, in iis Paſtor habet ſuam portionem, & in Supplementum competentiæ a præfata Abbatia VII. Libras Flandricas annuè. Communem habet Paſtorem cum Roosbeek, & Weylighem.

BOUCLA S. BLASII, Præfecturæ Scornacenſis. Dominium Comitis Egmondani.

Eccleſia ut præfert nomen *S. Blaſium* Mart. veneratur. Patronatus ejus eſt Abbatis Eenamenſis.

Decima eſt tripartita, cujus ex æquo participes ſunt pro una triente præfata Abbatia Eenamenſis, pro altera Abbatia *S. Petri* Gandavi, & tertia reſtans ſpectat ad Parochum.

Deſervitur hodiè hæc cura Paſtoralis per Paſtorem Bouclæ *S. Dionyſii.*

BOUCLA S. DIONYSII, Dominium vetus. Longo temporis tractu fuit penes gentem cognominem de *Boucle*, in Hiſtoriis & Diplomatibus notiſſimam; inde per nuptias ſeculo XIV. tranſiit in familiam *d'Atly* dict *de Fromelles*, atque ex illâ per ſimiles nuptias *Margaretæ de Fromelles* filiæ *Joannis* cum *Gerardo Borluut* Equite initio ſeculi XVI. devenit in gentem *de Borluut* patriciam & Conſularem Gandavenſem, in quâ hactenus permanſit.

In Choro medio Eccleſiæ Parochialis de Ooſtkercke Gallo Brabantiæ pa-

go

go, visitur tumulus longitudinis septem pedum & quatuor latitudinis, tribusque pavimento sublimior & circum circa teutonicis litteris inscriptio talis.

Cy gist Noble homme Ingelbert d'Ally, *Chevalier Sr.* * *Doskerque, de Fromelles, & de St. Denys Boucle, qui trespassa l'an* XV^c. XXIII. *le* IIII. *jour de Novembre.* * Oostkercke.

Et Madame Jehenne de Luxembourg, *fille naturel, de feu puissant Prince Loys, Comte de St. Pol, Connestable de France, qui trespassa l'an* XV^c. LVII. *le* XVI. *de Juing. Pryez pour les ames.*

Super monumentum quod est ex cæruleo marmore exsculpta sunt amborum supina simulacra appositis gentilitiis insignibus.

In Ecclesia hujus Parochialis ante aram principem exstat lapis cæruleus Sepulchralis cum hac inscriptione.

Hier licht begraven Edelen ende Weerden Jo^r. Lieven Borluut, Heere van St. Denys Boucle etc. die sterf int jaer ons Heeren 1551. den 13. dach in Majo. Bidt voor de Ziele.

Ende van M^er. Joos Borluut, Ruddere / Jo^r. Lievens sone / die overleet den 21. Junii Anno 1597. beede in hüer lieder leven Heeren van S^te. Denys Boucle. Bidt voor de Zielen.

In eadem Ecclesia ad latus majoris altaris juxta parietem exstat tumbâ elevatâ, cujus hæc est inscriptio.

Anno 1642.

Hier vooren leggen begraven Edele ende Weerde Heere M^her. François Borluut, F^o. M^her. Joos, in syn levene Heere van S^te. Denys Boucle / Avart / Hooghermaerde / Woestyne / Cruystraet / Landuyt / ende Heere in Oostkercke etc. Overleden den 3. Februarii 1637.

Ende Mevrauwe Isabeau Triest, Urauwe van Buysere / Schoubroeck etc. Dovagiere vanden voorn. Heere / die overleet . . . . . welcke se-

pulture by haer ende haerlieder sone Mher. Gheron Borluut, Heere vande voorn. Heerlicheden ter memorie is doen maecken.

Cui superne exsculpta amborum supina simulacra, & appositа hæc eorum insignia gentilitia.

Borluut, Gorges, Daman, Kethulle, Borluut Sersandert, Triest, Hembisse. | *Triest, vander Meere, Grutere, Hembiese, Vuytenhove, Marselaere, de Baenst, Feron.*

Jus Patronatus Ecclesiæ, quæ *S. Dionysio*, (ut nomen indicat) sacra, spectat ad Episcopum Gandavensem jure Bavoniani.

Universa pagi decima spectat ad Capitulum Cathedrale Gandavense, ex quâ Parocho solvitur annuè competentia 400. florenorum.

DICKELVENNE, antiquitus, *Ticlivinni*; ad Scaldim fluvium, qui Aldenarda Gandavum tendit medio ferè itinere, Præfecturæ Gaveranæ, Dominium Comitis Egmondani.

Ecclesia Patronum veneratur *S. Hilduardum* Episc. cui dicata est, item *S. Christianam* Virg. *Migranimi* Anglorum Regis filiam.

Porro *Hilduardus* hic loci circa annum 750. post vitam sanctè exactam glorioso fine quievit; *Christiania* vero Angelico ductu patriam fugiens *Dickelvennam* pervenit, quo in loco Sanctissimam vitam exegit, inde sævientibus Normannis sub annum 846. horum sacra ossa Teneræmundam translata sunt, ibique permanserunt, ubi a multis retro seculis magna popularium religione adservantur. De quibus plura *J. Molanus* in Not. S. S. Belgii ad diem 26. Julii & 29. Decembris.

J. Meyerus in Annalibus Flandriæ refert anno 750. Conditum Dickelvennæ Cœnobium, quod Normannorum ævo interiisse verosimile est.

Hic loci dein anno 1068. *Balduinus IV.* Flandriæ & Hannoniæ Comes fundavit, vel potius restauravit hoc Cœnobium, vocatis eo Fratribus Ord. S. Bened. ex Abbatiâ Aquicinctinâ, hinc translatum Gerardimontibus per *Gerardum II.* Episc. Camerac. ad annum 1081. quæ translatio instante *Roberto* Juniore sive Hierosolymitano Flandriæ Comite fuit confirmata per *Manassen Gerardi II.* Successorem ad annum 1096. uti constat ex utroque eorum Diplomate quæ protulimus in Gerardimontio.

In hoc loci tractu varias possidet agri possessiones præfata Abbatia Aquicinctina ad Scarpam fluvium Ord. S. Bened. prope Duacum, cujus hæc Abbatia erat filia, & ad quam etiam hodiè pertinet hujus Ecclesiæ Patronatus.

Decimarum participes sunt præfata Abbatia, Parochus & varii alii seculares. Præfata Abbatia tenetur per lententiam Senatus Flandriæ anno 1718. annuè solvere Parocho pro Supplemento competentiæ 50. florenos.

Colitur in hac Parochiali speciali cultu *S. Antonius*, ad quem Divum hic frequens fit peregrinatio.

In extremitate hujus pagi est Vicus de *Bouchout* in quâ Capella Virgini Deiparæ sacra ab Abbatia *S. S. Cornelii & Cypriani* Ord. Præmonst. Ninhovienſi dependens, quam administrat Vicarius ejusdem Abbatiæ, (quem

Præ-

Præpoſitum vocant) quæ illic & in vicinia plurimas agri & Sylvarum poſſeſſiones potitur. Item in eodem vico eſt alia Capella Mariana quæ a febricitantibus multum inviſitur.

A. Miræus in Donat. Belg. Lib. II. Cap. XCVI. novæ edit. profert quo *Raſo de Gavere* benefacit Capellæ de Bouchout ſine expreſſione anni ut ſequitur.

Ego *Razo de Gavere*, cum filio *Razone* liberè obtuli ad Capellam de *Bouchout* in honorem S. Dei Genitricis Mariæ conſtructam X. Solidos annuè in feſtivitate *S. Dionyſii* ſolvendos de reditu meo in *Bouchout* ad comparandum oleum, quo lampas ardere & lucere debet coram Sancto altari ad memoriam & ſalutem mei, liberorumque meorum.

EDELAER, antiquum Dominium Baronis de Pamele, qui hodie *Henrici Joachimi Bernardi de Roveroit* &c. diſtat ad medium milliare ab Aldenardâ, Sylvam habens mirè amœnam in acclivio montis, oppidanis conſpicuam.

Eccleſia Patronum veneratur *S. Martinum* Turonenſem Epiſc. Patronatus ejus ſpectat ad Abbatem Eenamenſem Ord. S. Bened. quæ Abbatia huic loco multum vicina eſt ad Scaldim fluvium.

Decima tripartita eſt, cujus duæ trientes ſpectant ad Parochum, & tertia ad præfatam Abbatiam.

In hujus pagi diſtrictu eſt Sacellum inſigne Virgini Deiparæ ſacrum (a ceraſo nuncupatum, vulgo *Onſe Lieve Vrouwe van Keerſelaer* dictum) quod ob miracula & beneficia, quibus divina bonitas per interceſſionem Virginis *Mariæ* hunc locum honorare dignatur, a peregrinantibus eò voti cauſâ multum inviſitur & frequentatur.

Hoc Sacellum exſtructum eſt anno 1459. & ſolemniter dedicatum anno ſequenti per *Godefridum* Epiſcopum Agenſem Suffraganeum *Joannis a Burgundia* Epiſcopi Cameracenſis die tertiâ Maii.

Cultus Marianus hic loci incepit anno 1455.

EENAMUM, *Superius & Inferius*, vernaculè *Eename*. Locus hic eſt antiquitate & dignitate memorabilis, veteres *Iham*, & *Einam* dixêre. Fuit olim oppidum & Caſtrum munitiſſimum, ſedeſque principalis regni Lotharici, ſeu *Bracbantenſis*, & in Eenamenſis Cœnobii vicinia, teſte *D. Lindano* in ſuâ Teneramundâ Lib. I. Cap. V. Rudera quædam ſuperſunt & veteris Sacelli parietinæ quod Sacellum Lotharicii vocant, ut & ipſum locum *Lotryck* id eſt *Lotharii* regnum: ab arce credo, aut prætorio ibidem a Lothario ſtructo.

Hic loci tria Monaſteria ſeu potius templa *Godefridus* cognomento captivus, Comes Virdunenſis & Eihamenſis, ejuſque filius *Herimannus* fundarunt circa annum 1005. deputatis Canonicis ſecularibus (alii intelligunt Regularibus) Tria iſta templa cum Caſtro Eihamenſi, quod *Balduinus Pius* Flandriæ Comes ab *Herimanno* Comite emerat, cum anno 1033. eſſent deſtructa, everſo caſtro de *Eiham*, conditoque ex ejus ruinis Monaſterio, *Balduinus* præfatus & *Adela* ejus uxor Benedictinis Monachis anno 1063. tradidit cum magnis Privilegiis, cui *Walbertum* ex *Vedaſtino* Cœnobio evocatum Abbatem præfecit, juxta verſiculos ibi Vulgares.

Anno Milleno ſexageno quoque terno,
Clauſtrum fundatur per te Balduin Eihamenſe.

Lietbertus Cameracensis Episcopus huic Monasterio anno 1064. immunitatis Privilegium & alia largitus est, utrumque diploma *Balduini pii* & *Lietberti* Camerac. Episc. recitat *A. Miræus* in Diplom. Belg. Lib. I. Cap. XXXI. & XXXII, novæ edit. ut sequitur.

Balduinus gratiâ Dei Flandrensium Princeps Walberto Abbati, & Successoribus ejus salutem in Domino.

Rerum omnium principium & auctor Deus est, & unus verè Princeps & Dominator. Is æterno consilio & altissimâ providentiâ ita Rempublicam ordinavit suam, ut etiam in cælestibus Angelis alii præsint aliis, & inter terrenos mortales alii principentur, subjecti sint alii.

Nempe invisibilem sui arbitrii deliberationem per visibilia administrat officia Principum, qui ejus vel placito, vel permissu ordinantur ad potestatem, secundùm sacram divinæ Scripturæ doctrinam. Ad hoc leges institutæ, jura, vindictæ & auctoritates, quarum rerum aut copiâ populi feliciter reguntur, aut inopiâ miserè pessumdantur.

Cùm igitur nostra nihil horum nobis comparaverint merita, ordinante tamen divinâ gratiâ, imperii principatum sortiti sumus Flandriarum, & horum qui in circuitu sunt finium, atque ne secundùm nostræ mediocritatis modum auctori vitæ nostræ & perfunctionis ingrati reperiamur, tum ceteris Ecclesiis, tum & ei cui Te præfecimus legaliter, sicut Abbates constituere jus est & mos, consulentes, sedulò providemus, ut quod facimus ratum sit & firmum, ô dilecte & fidelis noster Walberte.

Damus igitur tibi tum Abbatiam de Eiham, tum etiam res, quæ infra dicentur, solemni dono, & hac pariter scripturâ investimus, ut post geminam investituram nihil sit, quod infirmare possit, & Chartæ hujus auctoritas sit tibi & Successoribus tuis & Abbatiæ tuæ validissimum munimen, & defensio adversus omnem vel manum vel linguam, in omni nostra terra & ditione, & ubique nunc, & ultra.

Damus porrò tibi, & scripto confirmamus Eiham antiquum Castellum, sicut nos recepimus de manu Herimanni Comitis, & sicut nos hactenus quietè & solidè tenemus, & aquam totam cum toto teloneo, & cum sex mansis de terra arabili, sicut sunt siti & positi; vel pariter vel separatim, pertinent tamen ad ipsum alodium: pasturam etiam totius clivi, id est, devexi montis; quod ab orientali plaga, post æquidium Autumnale, ipsas Ecclesias respicit, & extensum porrigitur in Austrum, & cæsuram, ubi fruteta occurrunt ruricolis, ad ædificandas sepes; dimidiam quoque decimam de Ecclesia S. Vedasti de inferiori Eiham: ad Dysbekam tria curtilia vestita, & tres mansos de terra arabili, & dimidium; ad Marcam duo curtilia vestita, & octodecim bunarios de terra, & partem prati de eleëmosyna Arnulphi; ad Swalmam unum curtile vestitum & octo bunarios terræ, cum dimidia aqua & dimidio molendino; ad *Eppingenhem* unum curtile vestitum, & sex bunarios terræ; ad Busmarias quatuor curtilia, & quindecim bunaria inter terram & pratum cum terra Machelmi, quam tenet de eleëmosyna uxoris meæ Adelæ: in Flandris quatuor ovilia instaurata pascuis, in loco videlicet qui Paradisus nuncupatur, nunc *Provise* dictus, quem claudit Fledum, quod dicunt Holdfledum; in Pago Atrebatensi Ecclesiam de Asilogiis, cum omni decima, quæ ad ipsam Ecclesiam pertinet, exceptâ eâ, quæ Altare sequitur; item de eleëmosyna conjugis meæ.

Ex auctoritate igitur potestatis nostræ præcipimus per omnem terram nostram & ditionem, ne quisquam de his omnibus tibi aut sancto loco quidquam detrahere præsumat, vel sibi ullatenus mancipare. Et hoc itidem per bannum nostrum interminamus: quòd si quisquam contra Deum & bannum nostrum facere præsumpserit, pro banno, vel mihi, vel heredi meo duodecim marcas auri persolvet, restituens sancto loco, & tibi, vel successori tuo capitale; insuper pro suo commisso decem libris additis.

Actum apud Insulam in præsentia Magnatum nostrorum.

Abbatum,

Erckenbaldi Atrebatensis, (*a*)
Fulconis Corbeiensis, (*b*)
Bovonis de S. Bertino, (*c*)

Nobilium,

Hugonis & Arnulphi de Aldenarda,

(*a*) *S. Vedasti.*
(*b*) *In Picardia.*
(*c*) *Audomaropoli.*

Rain-

Raingodi de Ganda, & Gerardi, & aliorum, anno ab Incarnatione Domini nostri milleſimo ſexageſimo tertio, Indictione primâ, regnante Philippo annis jam duobus. 1063.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritûs Sancti. LIETBERTUS gratiâ Dei Cameracenſium Epiſcopus, præſentibus loco & tempore, & futuris fidelibus, in Chriſto omnem ſalutem in æternum, & ultra.

Hominum genus, quod ſolum cum Angelis rationis honore præditum eſt, id maximè curabit rectè, ut Opificis ſui laudem & gloriam magnificando, ſupplici devotione perpetuet, & fraternis proſit profectibus. Atque hoc ſatis oportuno facimus modo, ſi Eccleſias & Monaſteria aut ipſi ædificamus, aut ædificatis tale adminiſtramus adjutorium, ut non deficiat in eis laus Dei de ore hominum, & Chriſtianæ religionis ſacer cultus, unde mortales ad beatitudinem aſpirant.

Eſt igitur in territorio Bracbatenſi locus quem dicunt EIHAM, qui jam pridem ſatis floruerat ſeculariter & membris & colonis, ſed & Eccleſiarum religioſâ honeſtate. Verùm bello inſurgente & invaleſcente, pompæ omnes interierunt, Eccleſiarum venuſtas migravit; ſed nondum ruina maceriæ.

Comes præterea BALDUINUS, & religioſa ejus conjux ADELA, divino caritatis ſpiritu viſitati, in eodem loco, pro priſtina reverentia Eccleſiarum, ob ſuam ſuorumque perpetuam ſalutem, Cœnobium ædificare cupientes, noſtram adierunt mediocritatem, quatenus ſuum inceptum noſtra adjuvaret hic indulgentia, hinc auctoritas. At nos hanc petitionem juſtâ ratione vigere conſiderantes, ad gloriam divinam, & noſtram Succeſſorumque noſtrorum, futurorumque ſervorum Dei in eodem loco, & omnium fidelium ſalutem, nihil difficiles ad petita fuimus.

Indulſimus ergo Cœnobio Fratrum liberrimam ab omni parte quietudinem, ut nihil à loco, nihil ab Abbate, & à Monachis & Eccleſiis, quæ ibidem ſunt, exigatur, nihil in loco & rebus eorum aliud aliquid ab aliquo diſponatur & cogatur, niſi ab Abbate. Non quiſquam ibi conventus, non convivia, non placita celebret aut ordinet, non quidquam vetet, nihil quidquam quilibet jubeat. Et quoniam id divinæ caritatis reverentiæ noſtra humilitas ſuppliciter concedit, ut nihil deſit ad id quod intendimus; poſſideant omnia Abbas & Monachi ſtabili jure, & ſine omni perturbatione Clauſtra ſua & Monaſterium, excluſis omnibus perſonis penitus à dominatione & coactione eorum: & idem jus, quod beatus Anteceſſor noſter Vindicianus loco ter & ampliùs B. Vedaſti concedendo indulſit, hoc idem nos imitando indulgemus Eihamenſi Cœnobio.

Mater quoque Eccleſia, id eſt, *B. Vedaſti*, de inferiori Eiham, ab omni reditu & inquietudine quieſcet; tantum tres ſolidos in Paſchâ nobis perſolvet, & Decanus noſter, ex conſenſu Abbatis, ibi Synodum in populum celebrabit.

Hîc invoco Succeſſores noſtros & omnes Fratres in Chriſto, ut in hac auctoritatis noſtræ conſtitutione, nihil ſolvi, nihil mutari, vel à ſe, vel ab aliquo vel patiantur vel permittant, obſecrati per ſanctum & venerabile nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.

Quod ſi aliquis inſanâ mente hæc aliquatenus negligenter accepit, ut ſaltem cogitet, horum quidquam ſolvere ad actum, hunc divini nominis formidandâ auctoritate, & totius S. Eccleſiæ, ſed & noſtrâ, irrecuperabiliter damnamus, & ab omni conſortio Sanctorum in hoc & in futuro ſeculo excommunicamus, ſicuti contemptorem divinæ gloriæ, & Eccleſiaſticæ reverentiæ invaſorem.

Eis porrò qui ſervaverint, & etiam augendo adjuverint, optamus & oramus fructum perpetuæ beatitudinis in Chriſto, & ut ratum & incommutabile deinceps in omne ævum conſtet, idoneorum teſtium & auctoritas & ſubſcriptio ſubjuncta eſt, quorum præſentia auditu & viſu omnia comprobat.

Signum Gerardi Præpoſiti & Archidiaconi.
S. Gerardi Senioris & Archidiaconi.
S. Guidonis Archidiaconi.
S. Gualteri Archidiaconi.
S. Franconis Archidiaconi.
S. Guarmondi Archidiaconi.
S. BALDUINI junioris Comitis.
S. Otberti.

S. Guiderici.
S. Gozwini.
S. Hugonis de Sengin.
S. Gualteri de Lens.
S. Alconis.
S. Hugonis, filii Willelmi.
S. Elberti.
S. Christiani.
S. Abbatis Erchembaldi Atrebatensis.
S. Abbatis Alardi * Laubacensis.
S. Abbatis Guirdrici de S. Gisleno.
S. Abbatis Alberti de Maricolis.

* *Aliàs Lobienius.*

Ego Frater Gualbertus ex ore Episcopi legi & subscripsi.

Actum Cameraci in Synodo, anno ab Incarnatione Domini nostri MLXIV. Indictione II. regnante Henrico anno XI. Præsulatûs Domini Lietberti anno XIV. 1064.

Idem *Balduinus Pius* Comes Flandriæ constituit *Arnulphum* Aldenardensem Pamelæ Dominum, ejusque Successores Subadvocatos Monasterii Eenamensis anno 1064. Diploma refert idem *Miræus* ibid. Cap. XXXIII. ut sequitur.

Balduinus, per Dei clementiam, Princeps Flandrensium Walberto Abbati de Eiham, ejusque Successoribus salutem. Quoniam Ecclesia Eihamensis, cui præestis, à me, & à conjuge mea Adela, præcipue fundata de mensa nostra, beneficia, quibus Monachi vivere debeant, accepit, dignum duxi Advocatiam ejusdem Ecclesiæ, in manu mea, & Successorum meorum Comitum retinere.

Sed quia vicini ejusdem Ecclesiæ nonnullas molestias ei inferunt, pro quibus ad nos sæpe recurrere vos oportet, nos verò circa curam nostri Principatûs occupati, de singulis minutis rebus non valemus ad adjutorium vestrum venire, aliâ viâ aggressi sumus vobis consultum facere.

Igitur Arnulpho de Aldenarda, qui vobis vicinus est, injungimus supplere vicem nostri, in parvis tantùm negotiis, nobis majora reservantes. Quod ut oportunè & fideliter agat, vel quicunque Successorum ejus Turrim Aldenardensem tenuerit, de redditibus ruricolarum, hospitum, aliorumque mancipiorum Ecclesiæ, pro quibus tuendis laboraturi sunt, centum solidos, per manus Abbatum, vel Monachorum, annuatim eis dari decernimus; eâ ratione, ut nec in Ecclesia, nec in omnibus his, quæ ad Ecclesiam pertinent, quidquam juris, vel districtionis amplius requirere præsumant.

Tanta enim libertate ipsam Ecclesiam donavimus, ut omnium hominum, & aliarum rerum, ad eam pertinentium, in tota nostra ditione, nullum alium Advocatum præter me, vel heredem meum Comitem Flandriarum, esse decreverim.

Si ergo præfatus Arnulphus, vel quisquam Successorum ejus, hanc constitutionem nostri Privilegii transgressus, bannum nostrum infregerit, pro contemptu nostro, & temeritate sua, mihi: vel heredi meo XL. marcas argenti persolvet, & Ecclesiæ, quod suum est, restituet.

Actum est hoc apud S. Audomarum, præsente conjuge meâ Adelâ, filiis meis Balduino & Roberto, Bovone Abbate S. Bertini, Hugone, Arnulpho de Aldenarda, Reingoto de Gand, anno Domini MLXIV. 1064.

Abbatia Eenamensis sita est medio ferè milliari ab Aldenardâ habens ad Orientem & Meridiem Sylvas & montes perquàm jucundos, ad Occidentem & Aquilonem flumen Scaldim & prata mirum etiam suâ amœnitate placentia, neque desunt fontes & arvus.

Anno 1139. dejecta est vetusta Eenamensis Ecclesia, & incepta est nova a *Snellardo* Abbate VI. Introducta est in hoc Monasterio Reformatio *Bursfeldis* anno 1522. & aggregatum est aliis exemptis Benedictinorum in Belgio Mo-

Monaſteriis anno 1620. & rem promoventibus Belgarum Principibus *Alberto & Iſabellâ.*

Abbatia Eenamenſis plurima in agro Antverpienſi, nominatim in pago *Turnino* (vulgo *Deurne*) viciniſque locis jura & prædia poſſedit, ſimulque hujus loci animarum curam, quæ Cœnobitis S. Michaelis Antverpiæ viâ emptionis anno 1308. a præfatis Eenamenſibus tranſcripta ſunt, quæ Abbatia S. Michaelis hodiedum ibidem poſſidet. Tabulas hujus tranſcriptionis profert *Baro le Roy* in Not. Marchionatus S. R. I. Cap. I. & ex eo Supplem. Dipl. *A. Miræi* ſequitur.

Ex Notitia Marchionatûs S. R. I. authore Barone le Roy.

Univerſis præſentes Litteras inſpecturis, GERARDUS Dei patientiâ Abbas, & eorundem Monaſterii Eyhamenſis Ordinis Sancti Benedicti Cameracenſis Diœceſis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Noverint univerſi, Nos ex urgenti neceſſitate ſolutionis debitorum noſtrorum vendidiſſe, effeſtucaſſe, tradidiſſe, ac perpetuo quitaviſſe, de conſenſu Virorum Venerabilium Vicariorum in ſpiritualibus & temporalibus Venerandi in Chriſto Patris Domini Domini P. Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopi in remotis agentes omnia & ſingula bona noſtra, jura, juriſdictiones, & minores juſtitias quocumque nomine cenſeantur, quæ habebamus vel habere potuimus, & Nobis ſeu noſtro Monaſterio competiverunt aut competere potuerunt, in Parochiis de *Deurne*, de *Borsbeeck*, de *Weſele*, de *Wynegem*, de *Wommelgem*, & de *Mercxem*, decima quæ de *Godtſenhoven*, vulgariter nominatur, & bona quæ in *Deurne* deur. H. Eechove dumtaxat exceptis, Religioſis viris Abbati & Conventui Monaſterii S. Michaelis Antverpienſis Præmonſtratenſis Ordinis, pro certa parte ab eiſdem Abbate & Conventu in numerata pecunia plenariè perſoluta, & in ſolutionem noſtrorum debitorum totaliter converſa, prout hæc, & alia in noſtris Sigillis & Dominorum Vicariorum Sigillo ſigillatis, dictisque Religioſis a nobis traditis plenius continentur.

Quæ quidem bona promiſimus & promittimus ipſis Viris Religioſis ab omni onere, ſervitio, calumpnia, penſionibus annuis, & quâlibet aliâ impeditione libera declarare & purgare, & ſpecialiter de receptione canum venaticorum Excellentiæ Principis I. Dei gratiâ Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgiæ Ducis, quam in Hova noſtra apud *Eeckhove* præfata perpetuo aſſignamus: eandem Hovam ad hoc ſpecialiter onerantes & obligantes.

In cujus rei teſtimonium Sigillum noſtrum præſentibus Litteris duximus apponendum, ſupplicantes inſuper Dominum Ducem, quatenus omnia præmiſſa, approbare, laudare, warandare & quantum in ipſo eſt ratificare dignetur. Et ob hoc ſuum Sigillum noſtris Litteris præſentibus apponere.

Et nos *Joannes* Dei gratia Dux Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgiæ, ad ſupplicationem Abbatis & Conventus Monaſterii Eyhamenſis prædicti præmiſſa omnia & ſingula quæ in Nobis ſunt, laudamus, approbamus & ratificamus, & dicto Abbati & Conventui Monaſterii S. Michaelis Antverpienſis legitimè warandare promittimus.

Et ob hoc Sigillum noſtrum & in teſtimonium omnium præmiſſorum Litteris præſentibus duximas apponendum. Datum anno MCCC. VIII. Die Diviſionis & Apoſtolorum. 1308.

Seculo IX. per deſtructionem & vaſtationem Normannorum antiquum Monaſterium *S. Fredegandi* quod fuit *Turnini* vaſtatum fuit; at aliud ibidem a Lotharingiæ Ducibus ibidem fundatum eſt, illud Eenamum tranſlatum fuit anno 1063. ex quo illa bona Turnini viciniſque in locis poſſederunt Eenamenſes.

Hæc Abbatia Eenamenſis non ſolum ſuperioribus ſeculis, ſed etiam noſtrâ ætate graves & diras belli ruinas & calamitates perpeſſa eſt, atque hunc tractum variarum gentium exercitus multum vaſtarunt & depopulati ſunt. Cæterum anno 1708. die 11. Julii e regione hujus Abbatiæ ex altera parte Scal-

dis & in vicinia Aldenardæ infeliciter ab Gallis & Hiſpanis contra Fœderatos prælıatum eſt.

Dominium pagi tam Superioris quam inferioris *Eename* eſt Abbatis hujus Monaſterii. Nundinas habet hic locus multum celebres poſtridiè *S. Laurentii*, in quibus omnis generis merces, & magna copia equi undequaque hic liberè inferuntur.

Eccleſia Parochialis Superioris Eenami (in quo ſita eſt hæc Abbatia) *D. Laurentio* Mart. ſacra eſt, at Inferioris Eenami *S. Vedaſto* Epiſc. Atrebatenſi. Utriuſque Eccleſiæ Patronatus ſpectat ad Abbatem hujus Monaſterii, & potitur ubivis decimis.

Anno 1618. unitum eſt Eenamum inferius in ſpiritualibus. Superiori Paſtori datur annuè portio congrua ab hac Abbatia.

Sequentem exactam ſeriem Abbatum Eenamenſium, ac infraſcripta diplomata, & alia ſuis locis exhibita, hactenus inedita, nobis gratioſè & benevolè communicavit Abbas Eenamenſis.

ABBATES EENAMENSES.

Ex Archivis Abbatia.

I. WALBERTUS, primus Abbas, Aſſumptus ex Abbatiâ S. Vedaſti Anno 1063. hic cum aliquamdiu præfuiſſet, reliquit hanc Abbatiam deſertam, & reverſus eſt ad ſuam Abbatiam.

II. LAMBERTUS I. aſſumptus ex Abbatia S. Bertini anno 1085.

III. LAMBERTUS II. ex eâdem Abbatia S. Bertini, qui ambo in Cœnobio Einamenſi mortui, & Sepulturam adepti ſunt.

IV. TANCARDUS. Vixit anno 1098. & 1101. non multo poſt iter Romanum aſſumpſit; ſed in ipſo itinere mortuus eſt.

V. GISLEBERTUS, Religioſus Abbatiæ Affligemienſis, dein Anno 1131. Abbas S. Petri Blandinienſis. Mortuus ibidem anno 1138.

VI. SNELLARDUS, ex Cœnobio Affligemienſi poſtulatus Abbas. Hic deſtructâ veteri Eccleſiâ, anno 1139. novam exſtruxit Baſilicam Einamenſem, exinde Abbatialem dignitatem exuit, & rediit Affligemium.

VII. WILHELMUS, qui Abbatiam hanc valdè tenuem in temporalibus invenit. Hic cum Theodorico Alſatio Flandriæ Comite ad bellum ſacrum profectus eſt.

VIII. ARNULFUS, ex Monacho & Priore Affligemienſi ab Einamenſibus in Abbatem poſtulatus eſt, cum diu laudabiliter rexiſſet, ab Affligemienſibus in Abbatem repetitus eſt anno 1168. hic attulit caput S. Cæleſtini Papæ anno 1160. & eodem anno interfuit tranſlationi corporis D. Cypriani Epiſc. & Mart. Rothnaci. Mortuus eſt Affligemii anno 1177.

IX. GISLEBERTUS II. ex Cœnobio Affligemienſi poſtulatus. Hic cum Reformationem Ordinis Ciſtercienſis introducere moliretur, plures paſſus eſt difficultates, tandem exauthoratus ad Ciſtercienſes tranſiit.

X. LAMBERTUS III. aſſumptus ex Abbatiâ S. Bavonis Gandenſis, ubi Prior hujus Cœnobii fuerat.

XI. LAMBERTUS IV. ex Conventu hujus Cœnobii in Abbatem aſſumptus, poſtea onus & dignitatem deponens ad Ciſtercienſes tranſiit.

XII. WALTERUS II. Hic Abbatiam Eenamenſem ædificiorum amplitudine de-

decoravit, tandem in Capitulo Eenamenſi honorificè ſepultus eſt anno 1206.

XIII. SIGERUS, ex Cœnobio Affligemienſi in Abbatem aſſumptus eſt, qui etiam in Capitulo condignam adeptus eſt ſepulturam anno 1227.

XIV. HENRICUS DE LONGO AGRO, vernaculè *Lanck-Velt*, qui plenus dierum obdormivit in Domino, Sepultus eſt ante Capitulum anno 1245.

XV. ARNULFUS II. Vir ſtrenuus & defenſor hujus Eccleſiæ, Abbatiali curâ renuntians, poſt aliquot annos mortuus eſt in Senectute bonâ anno 1260.

XVI. BALDUINUS. Hic Abbatiam Eenamenſem in redditibus & ædificiis ampliavit, poſtremo ad Cameracenſem Epiſcopum perrexit, in reditu apud Tornacum mortuus eſt, & in Eccleſiâ Eenamenſi honorificè ſepultus eſt ante altare S. Joannis Baptiſtæ.

XVII. GERARDUS I. præfuit annis XXXIII. & mortuus eſt plenus dierum.

XVIII. JOANNES DE MONTIBUS, ex Hannoniâ. Obiit anno 1300.

XIX. ÆGIDIUS dictus de SCHENDELBEKE.

XX. GISLEBERTUS DE JONGHE, Religioſus S. Petri Blandinienſis, vir in temporalibus & Spiritualibus expertus.

XXI. JOANNES II. ex Conventu hujus Monaſterii in Abbatem aſſumptus, annis præfuit XXXIII. Obiit anno 1366.

XXII. JOANNES YSERMAN, omnium votis electus fuit ex hoc Monaſterio in Abbatem, qui per Curiam Romanam confirmatus & benedictus eſt. Obiit anno 1390.

XXIII. GERARDUS GUISE, rexit Monaſterium annis IV. Sepultus ante oſtium Chori majoris obiit anno 1393.

XXIV. JOANNES DE THORALTO, dum XVI. annis præfuiſſet, mortuus eſt Sexagenarius anno 1420.

XXV. GODEFRIDUS DE SCORNACO, viâ reſignationis promotus in Abbatem, mortuus octuagenarius: Sepultus in tumbâ ſuâ anno 1465.

XXVI. WILHELMUS FABRI, Abbas digniſſimus, & quaſi novus fundator dici meretur, præfuit annis XXIV. vita functus anno 1491.

XXVII. GERARDUS III. ex Affligemio poſtulatus. Obiit & ſepultus eſt in Lotharingiâ in Eccleſia *B. Mariæ* anno 1497.

XXVIII. GODEFRIDUS DE BRACLE, receptor *D. Gerardi* ſui prædeceſſoris, & Præpoſitus, electus in Abbatem anno 1497. tranſtulit anno 1529. Rothnaci ex veteri feretro in novum Reliquias *S. Hermetis* Mart. Obiit plenus dierum ſenex anno 1538.

XXIX. OTHO AB HASTEN, Religioſus Affligemienſis a *Carolo V.* Cæſ. datus Coadjutor prædeceſſori. Obiit anno 1551.

XXX. PETRUS DE BECA. Obiit anno 1556.

XXXI. GERARDUS CANNART, ex Affligemio eligitur in Abbatem anno 1556. & moritur 7. Decembris anno 1559.

XXXII. ANTONIUS BYGIUS, hujus Cœnobii Prior, electus eſt in Abbatem Anno 1560. 24. Julii. Obiit ſequentis menſis die 5. ante benedictionem.

XXXIII. GABRIEL BACQUET, plurimas ſub ejus Præſulatu calamitates perpeſſa eſt Abbatia per iconoclaſtas. Obiit anno 1582. die 10. Julii rediens Atho Aldenardam: Sepultus in Eccleſiâ ibidem de Pame-

le in medio Chori ante ſummum Altare tamquam Patronus Eccleſiæ.

XXXIV. Simon de Warlusel, antea Abbas S. Adriani in Gerardimonte, inde electus Abbas Eenamenſis, inauguratus 15. Novembris anno 1582. Obiit Gandavi 12. Novembris anno 1587. ſepultus eſt in Choro Eccleſiæ de Pamele.

XXXV. Jacobus de Lannoy, qui collapſum Monaſterium reſtauravit, moritur Aldenardæ die Conceptionis B. M. V. Sepultus ibidem in Choro Eccleſiæ de Pamele anno 1593.

XXXVI. Carolus Philippus de Rodoan, Abbas adminiſtrator, dein Epiſcopus Middelburgenſis, dein Brugenſis. Obiit in hac Abbatiâ anno 1616. die 7. Julii. ſepultuſque eſt partim in Conventuali Eccleſiâ, partim Brugis apud S. Donatianum.

XXXVII. Hugo d'Enghien. obtinuit pro ſe & Succeſſoribus a *Paulo V.* anno 1618. Mitram & Pontificalia: Præfuit annis XXI. Obiit Aldenardæ 29. Julii anno 1637. Sepultus in Conventuali Eccleſiâ Eenamenſi.

XXXVIII. Petrus Ernestus Garnier hujus Abbatiæ Religioſus, per annos XXI. Præpoſitus tandem electus Abbas, præfuit annis XIX. Obiit anno 1657.

XXXIX. Antonius Loose Bruxellenſis, ex Priore inauguratus Abbas anno 1658. Vitâ exceſſit anno 1682.

XL. Ignatius du Smet, Aloſtanus ex familiâ ibidem conſulari, præfuit annis XXI. mortuus anno 1703.

XLI. Engelbertus Busleyden, Bruxellenſis ex Priore electus Abbas. Vitam exuit anno 1709.

XLII. Laurentius Reyngodt, Brugenſis ex Priore inauguratus Abbas anno 1703. in Congregatione generali Eenamenſi anno 1720. electus Præſes & Viſitator Monaſteriorum Benedictinorum in Belgio. Hic Abbatiam plurimum renovavit, & decoravit. Hodie laudabiliter præeſt.

Odo Epiſcopus Cameracenſis confert anno 1110. *Abbatiæ Einamenſi Eccleſiam de Pamelle in Aldenardâ.*

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti. Quoniam tanto quis glorioſiorem apud dominum obtinebit remunerationem quanto ſtudioſiorem circa ſacræ Religionis cultum adhibuerit Sollicitudinem, dignum duxi ego *Odo* Dei gratia Cameracenſium Epiſcopus, in diœceſi noſtrâ loca, quæ non erant religionis, quantulacumque potui virtute religioni dedicare. Itaque cum venerabilis Comes Flandriæ *Robertus* cum conjuge ſuâ *Clementia* nomine ſuo digna, in territorio noſtro licentiam novæ Capellæ conſtruendæ in Novoburgo apud Aldenardum ſupplici petitione requirerent, & ad opus atrii partem terræ determinatam liberam ab omni jure ſuo feciſſent, annuente filio ſuo *Balduino*, ac *Mathilde* filia *Arnolfi* junioris Aldenardenſis, quam terra eadem jure hæreditario contingebat, aſſenſum dedi, accepta prius licentia a *Godefrido* in cujus erat Parochiâ ſub teſtimonio Canonicorum ſuorum Ronnacenſium *Gilleberti* ſcilicet, *Thietbaldi* & aliorum. Conſiderans etiam ferventiſſimum animum cujuſdam viri timorati *Litberti* & uxoris ſuæ *Sigilindis* ad inſtaurationem ejuſdem loci, cum Archidiacono ipſius Parochiæ *Radulfo* & quibuſdam Abbatibus, & non parvâ multitudine Cleri, ac plebis ad ipſum locum acceſſi, & atrium a legatis Comitis Lamberto videlicet & Aſelino deſignatum in honorem Domini noſtri *Jeſu-Chriſti*, ejuſque piiſſimæ Genitricis *Mariæ* conſecravi, concedens baptiſterium & ſepulturam & cætera Parochialia jura eidem loco jure perpetuo, & ita finem ipſius Parochiæ dividens, quidquid diuturnior curſus fluminis Scaldi a citeriori termino ſe-

pa-

parat cum prato quod adjacet in jus terminale prædictæ Ecclesiæ cedat. Hanc quoque eandem Ecclesiam ab omnibus Episcopalibus obsoniis absolutam & solemni libertate donatam Eihamensi Ecclesiæ, & paternæ providentiæ dilecti filii *Gileberti* ipsiusque successorum prædictæ Ecclesiæ Abbatum ita subdere curavi, ut secundum augmenta eleemosynarum, & possessionum, adaugeri debeat & numerus monachorum inibi Domino nostro *Jesu Christo* ejusque piissimæ Genitrici serviturorum. Ad quorum usus Altaria ista * de Edelar & Leupengem, de Folkegem libera & imperſonata contradidi assensu & consilio ejusdem Parochiæ Archidiaconi *Rodulfi* & parentum suorum pro se recompensationes æternæ animarum Cameracensium Episcoporum; sed hoc tali conditionis nata facere procuravi quatenus Abbas prædictæ Ecclesiæ & annua obsonia Episcopo, ejusque ministris persolvat, & Synodali convocationi interſit, & Presbyteri eisdem altaribus servituri ab Episcopo curam animarum suscipiant. Ut autem firmum & inconvulsum hujus libertatis donatium permaneat, quisquis hoc sciens infringere tentaverit, Anathematis gladio percussus usque ad condignam satisfactionem marcescat, & præsens pagina cum Sigilli mei impressione, tum autentica testium subscriptorum annotatione corroborata non deficiat. Signum Rodulfi, Anselmi, Theodorici, Everardi Archidiaconorum. S. Fulgentii Abbatis. S. Sigebardi Abbatis. S. Ade Abbatis, S. Walberti Islensis. S. Eriebaldi Cameracensis Præpositi, S. Gerardi, Mazelini, Hugonis, Joannis, Rynardi Cameracensium Canonicorum. Actum est hoc anno Incarnationis Dominicæ M. C. X. Indictione III. Episcopatus Domini Odonis anno IIII.

* *Pagi sunt in Vicinia Aldenardæ.*

Paschalis II. Papa idem facit an. 1116.

Paschalis Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio Gilberto Eihamensi Abbati salutem & Apostolicam benedictionem. Oratorium S. Dei Genitricis Mariæ, quod in Cameracensis Episcopatu penes Novum Burgum apud Aldenardam a Religiosis conjugibus Lebberto & Sigelinde fundatum est, nos inter cætera Eihamensis Monasterii membra cum universis appendiciis suis juxta eorumdem fundatorum vota sub tutelâ Apostolicæ sedis pro tuâ petitione suscipimus. Volumus ergo ut oratorium ipsum ab Episcopalibus obsoniis absolutè in tuâ tuorumque successorum provisione permaneat & Parochialia jura ita liberè sicut ab Odone Cameracensi Episcopo constitutum, scriptum & confirmatum est, obtineat.

Porro illam fundatorum devotionem rationabiliter & stabiliter præcipimus observari, ut secundum augmenta Eleemosynarum, & possessionum adaugeri illic ad Dei servitium debeat & numerus monachorum. Nulli ergo liceat eundem locum, & ejus res temerariis vexationibus infestare, ut fratres illic commorantes Deo valeant quietius deservire. Datum Anagniæ XV. Kal. Novembris, Indictione IX.

Nicolaus Cameracensis Episcopus confert Abbatiæ Eihamensi Anno 1138. *Altaria de Bassilgi, de Tongra B. Mariæ & medietatem Altaris S. Martini de Tongra.*

In nomine Domini *Nicolaus* divinâ miseratione Cameracensium Episcopus tam futuris quam præsentibus in perpetuum debitâ officii nostri commonemur ut justis petitionibus acquiescentes prosperis Ecclesiarum successibus invigilemus, proinde petitioni venerabilis fratris nostri Snellardi Eihamensis Ecclesiæ Abbatis piè condescendentes Altare de Bassilgi, Altare de Tongra Beatæ Mariæ, medietatem altaris de Tongra S. Martini libera & sine persona salvis nostrorum & ministrorum nostrorum debitis, consilio Clericorum nostrorum eidem Ecclesiæ Eihamensi concedimus. Ut autem hæc illibata & inconvulsa præfatæ Ecclesiæ permaneant data conservantibus benedictione, in prævaricatores quoad resipuerint, Excommunicationis sententiam enuntiamus, atque canonica subsignatione & sigilli nostri subimaginatione hujus nostri decreti paginam assignamus. Signum Theodorici eorumdum Altarium Archidiaconi S. Joannis Alardi, Theodorici Archidiaconorum. S. Guidonis Præpositi. S. Gerardi Decani & Archidiaconi, Guidonis, Galteri, Gueremboldi. Item Gueremboldi, Willelini, Hugonis, Rotberti, Herewardi, Radulfi, Bartholomei, Eustacii Canonicorum. Actum Anno Incarnati Verbi M. C. XXXVIII. Indictione XV. Præsulatus Domini Nicolai secundo.

Ego Gueremboldus Cancellarius recensui.

Nota. Prædicta Altaria sunt hodie in Archiepiscopatu Cameracensi propè Athum Hannoniæ oppidum.

Clemens III. Papa confirmat anno 1190. *Abbatiæ Eihamensi Altaria de Roesbeke & de Dorne.*

Clemens Episcopus servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conventui de Eiham salutem & Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, quod vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu Altare quod in Ecclesiâ de Roesbeke in Episcopatu Tornacensi, & Altare de Dorna quod in Episcopatu Cameracensi Canonicè estis adepti, sicut illa justè & sine controversia possidetis, devotioni vestræ auctoritate Apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateran. XV. Kal. Julii Pontificatus nostri anno III.

Roesbeke, hodie Roosbeke in Diœcesi Gandavensi altero lapide a Cortraco. Dorne hodie Duerne propè Antverpiam. Possident hunc Pastoratum eumque administrant Cœnobitæ S. Michaelis Antverpiæ.

Eugenius III. Papa confirmat possessiones & Privilegia Abbatiæ Eenamensis Anno 1148.

Eugenius Episcopus servus Servorum Dei, Dilectis filiis Snellardo venerabili Abbati Eihamensi ejusque Successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Quoties illud a nobis petitur, quod Religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter, dilecte mi in Domino fili Snellarde Abbas justis postulationibus clementer annuimus, & prædecessorum nostrorum *Alexandri* & *Paschalis* bonæ memoriæ Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, *S. Salvatoris* Monasterium cui Deo auctore præsides & tam adjacentem ei Villam quam cætera omnia ad ipsum pertinentia sub *B. Petri* & nostrâ protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum justè & Canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma tibi successoribusque tuis & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

In Episcopatu videlicet Cameracensi (1) Ecclesiam S. Laurentii & S. Vedasti, pasturam montis eisdem Ecclesiis adjacentis. In Novoburgo apud Aldenardum (2) Cellam S. Mariæ cum Parochiâ suâ liberâ cum Ecclesiis ad eam pertinentibus, id est (3) *Edelar*, *Luepeghem*, *Folkenghem* cum Ecclesia S. Mariæ de superiori *Horenbeka*, Ecclesiam (4) de *Cervia* cum servis & ancillis ad eam pertinentibus, totam villam (5) *Helbekam* cum Ecclesiâ & omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam (6) de superiori *Bracla*, Ecclesiam (7) de *Wenlines*, Ecclesiam de (8) *Cimberfaca*, Ecclesiam de (9) *Melcines*, Ecclesiam de (10) *Mortsela* cum appendiis suis, Ecclesiam (11) de *Boucla S. Bavonis*, Ecclesiam de (12) *Tongra B. Mariæ*, jus quod habet in *S. Martini de Tongra*, Ecclesiam de (13) *Bassilgi* & medietatem ejusdem villæ.

In Episcopatu Tornacensi Ecclesiam, de *Harrizam*, Ecclesiam de Merch.

In Episcopatu Trajectensi Capellam *S. Mariæ Langbeca.*

In Episcopatu Atrebatensi duas partes decimæ messium de *Assilogiis Wlpra* & *Willelval*, in Flandriâ quatuor (14) *Bercarias* in loco qui paradisus dicitur, duas partes allodii de *Bossuut* supra Scaldam fluvium, Curiam de *Buri* cum allodio, Curiam de *Geron* cum terrâ Gerardi Camerarii, Curiam de *Astruis*, allodium de *Rugis.*

Quidquid vero libertatis & immunitatis ab Episcopis sive Principibus eidem monasterio rationabiliter collatum est, vobis nihilominus confirmamus. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surrep-

reptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem Fratres communi consensu vel Fratrum pars concilii sanioris secundum Dei timorem & Beati Benedicti Regulam de suo vel alieno, necesse fuerit collegio elegerint. Illud quoque adjungimus, ut vestri monasterii Advocato facultas non sit pro se personam aliquam in Advocatiâ supponere, per quam bona præfati Cœnobii dissipentur; sepulturam quoque ejusdem loci liberam esse decernimus, ut eorum qui se illic sepeliri deliberaverint devotioni & excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salvâ enim justitiâ matricis Ecclesiæ. Si vero Cameracensis sedes vel vacat, vel Catholicum, quod absit, non habet Episcopum, liceat vobis a quovis Catholico Episcopo Consecrationum Sacramenta suscipere.

Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit secundo tertiovè commonita, si non congrua satisfactione emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, & a Sacratissimo corpore & Sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eodem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hîc fructus bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Datum Remis per manum Guidonis S. Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii III. Nonas Aprilis, Indictione XI. Incarnationis Dominicæ an. M. C. XLVIII. Pontificatus vero Domini Eugenii III. Papæ anno IV.

Notæ hujus Diplomatis.

(1) Ecclesia S. Laurentii, est in Eename superiori, in quo sita est Abbatia. Ecclesia S. Vedasti est in Eename inferiori.

(2) Cella B. Mariæ in Novoburgo. Hodie est Ecclesia in Aldenardâ.

(3) Hodie Edelaer, Luepeghem, Volckegem, & Horenbeca B. Mariæ, pagi sunt in vicinia de Aldenardâ.

(4) *Cervia*, *Chievre* vetus Baronatus, & Hannoniæ Urbecula, distans Atho milliari, Sacello D. Virginis & Miraculis celebris.

(5) *Helbeka* hodie *Helbeque*, pagus inter Athum & Angiam Hannoniæ oppida.

(6) *Superior Bracla*, Vernaculè *Op-Brakel*, pagus in Comitatu Alostano ad limitem Hannoniæ in Decanatu Gerardimontensi.

(7) *Wenlines*, hodie *Weldene* ad Scaldim fluvium, in Decanatu Rothnacensi.

(8) *Cimbersaca*. Hodie *Semmersake* ad Scaldim fluvium, propè Gaveram.

(9) *Melcines*, *Melsene* ad Scaldim fluvium Priori loco vicinus in Episcopatu Gandavensi.

(10) *Mortsela*, *Moortzele* pagus in Decanatu Oordegemiensi.

(11) *Boucla S. Bavonis*, hodie *Boutla S. Blasii* in Decanatu Rothnacensi.

(12) *Tongra B. Mariæ* in Hannonia propè Chievre, locus miraculis Deiparæ clarus, cui vicinus est *Tongra S. Martini* ambo in Archiepiscopatu Cameracensi.

(13) *Bassilgi*, hodie *Bassilli*, pagus inter Athum & Angiam in Archiepiscopatu Cameracensi.

(14) *Bercaria*, locus *Berbicibus* alendis idoneus, alius tamen ab *Ovili*, prædii species etiam cum certâ agri quantitate. Vide *Du Cange* in Glossario Lat.

ELST, altero lapide ab Aldenardâ, antiquum Dominium Baronis de Pamele jam nominati.

Ecclesia tutelarem colit *S. Apolloniam* Virg. & Mart. cujus cultus & visitatio hic plurimum viget. Patronatus spectat ad Capitulum Rothnacense, quod possidet duas partes decimarum hujus pagi, tertia pars portio Parochi est.

Deservitur hæc cura Pastoralis per Pastorem de Michelbeke.

ERMELGHEM, Antiquitus *Hermelegem*, ad Scaldim fluvium Præfecturæ Gaveranæ, Dominium Comitis Egmondani.

In hoc pago Dominium est, quod suam jurisdictionem ac bassam (ut loquuntur) justitiam habet, spectat ad illustrem familiam Gandavensem in quâ Princeps Isegemiensis illud possidet, qui suum ibi ponit Prætorem & Scabinos super realibus jus dicentes.

Ecclesia Patronum veneratur *S. Mathæum* Apost., in eâ jus Patronatus spectat ad Abbatem Aquicinctinum Ord. S. Bened. ad Scarpam fluvium, ad quem spectat hujus pagi decima.

Deſervitur per Paſtorem Swalmæ omnium Sanctorem qui ſingulis diebus XIV. exceptis feſtis Marianis in eâ divina peragit, qui percipit a præfatâ Abbatiâ annuè competentiam XX. Librarum Flandric.

ETICHOVE. medio milliari ab Aldenardâ, ibi Caſtellum viſitur ſpectabile Dynaſtæ. Dominium quondam *Joannis de la Deuze*, qui ex *Margareta de la Motte* d'Inghoyeghem genuit *Franciſcum* Dominum de Etichove patrem *Jacobæ* ex *Agnete de la Hamayde*, dicta d'Anvaing, filiâ Adriani & Agnetis de *Herzelles*. Hæc *Jacoba de la Deuze* hanc Toparchiam in dotem attulit marito ſuo *Joanni de Kerckhove* Equiti Anno 1635. qui filius erat *Judoci de Kerckhove* Domini de *Vaulx*, nepos vero *Guilielmi* & *Iſabellæ de l'Eſpinoy*, ſororis *Philippi de l'Eſpinoy* Conſiliarii Cæſareæ Majeſtatis & Eccleſiæ *B. Rumoldi* Mechliniæ Decani defuncti 19. Julii 1557. & *Caroli de l'Eſpinoy* Domini de la Chapelle S. Ulric, quorum mentionem facit *R. P. Joannes Baptiſta Sollerius* in actis *S. Rumoldi* pag. 122. & 139. *Joannis* filius Dominus de Etichove duxit *Mariam Joannem de la Faille*, modo viduam *Franciſci d'Ongnyes* Baronis de Courrieres gubernatoris Aldenardenſis.

Hinc *Joannes Franciſcus de Kerckhove*, modernus Dominus de Etichove, de la Deuze, & Vaulx, qui ductâ filiâ Baronis de Exaerde numeroſa prole beatur. In *S. Michaelis* Gandavi pendet armarium honoris hujus familiæ cum VIII. hiſce quarteriis.

Kerckhove, *De Berch*, *l'Eſpinoy*, *Nigri*,
Heurne, *Heylbrouck*, *De Moor*, *Quickelberghe*.

Et infra leguntur ſequentia.

Ter eeren van Godt almaghtich / ende ſyne Weerdighe Moeder / en tot gedenckeniſſe van Joncker Joos van Kerckhove, **Heere van Vaulx / Zoone van Joncker** Guiliaume, **de welcke naer langhe ende veele loflelycke dienſten / als eerſten Secretaris deſer Stede ghedaen / ryp van jaeren / ende deughden overleden is den** XI. **van Mey** XV^c. XXIIII. **Ende van Jonckvrouwe** Joanna van Heurne, **ſyn huysvrouwe / eenighe dochter van Joncker** Jacques, **in wien het mannelyck hoir van wapenen ende oude geſlachte van Heurne geent ſyn / dewelcke overleden is den** XIX. **Julii** 1637. **Bidt voor de Zielen.**

Eccleſia tutelarem colit *S. Brixium* Turonenſem Epiſc. Ejus Patronatum gerit Abbas Lætienſis Ord. S. Bened. in Hannoniâ.

Decimarum participes ſunt pro unâ parte præfata Abbatia cum Parocho, pro

pro altera Abbatia Vallis Virginum Aldenardæ, & pro parte tertiâ Dynaſta.

Anno 1712. Parochus, conventione inita cum præfatis Decimatoribus, ceſſit ſuas inibi decimas, qui ipſi annuè ſolvere tenentur pro ſua portione, congruâ ſummam 500. flor.

HORENBECA S. CORNELII, vernaculè *Ste. Cornelis Hoorebeke*, primo lapide cum dimidio ab Aldenardâ, Præfecturæ Scornacenſis, Dominium Comitis Egmondani.

Eccleſia ut nomen præfert colit *S. Cornelium* Papam & Mart. Patronatus ejus ſpectat ad Abbatem Ninhovienſem Ord. Præmonſt. qui gaudet potiori parte decimarum, reliquæ ſpectant ad Parochum & varios ſeculares.

Deſervitur hæc cura Paſtoralis per Paſtorem Horenbecæ *S. Mariæ.*

HORENBECA B. MARIÆ, Præfecturæ Scornacenſis, Dominium Comitis Egmondani.

Eccleſia ut nomen indicat *B. Mariam* Virginem Deiparam ut Patronam veneratur. Patronatus ejus ſpectat ad Abbatem Eenamenſem Ord. S. Bened. Item Decima, & in iis Parochus habet ſuam portionem.

KERCKEM, primo lapide cum dimidio ab Aldenardâ. Hoc Dominium ſpectavit in fine ſeculi XIV. ad *Laurentiam de Eeſene*, quæ obiit 13. Januarii anno 1450. hæc nupſit *Joanni de Rocquengien* filio *Joannis* militis & *Mariæ de Cabillau:* a quo nati *Ludovicus*, *Margareta* & *Robertus* Toparcha de Montifaut, Kerckem, De le Heyde & Etichove, qui duxit *Iſabellam vander Gracht*, defunctam 10. Auguſti anno 1480. horum filia *Judoca de Rocquengien* Domina de Kerckem, & de le Heyde uxor fuit *Judoci Blondel de Joigni* Domini de Pamele defuncti anno 1509. filii *Odoardi* & *Iſabellæ d'Eſcornaix*, quorum poſteri memorantur infra ſub pago Meldene.

Hodie ejus Dominium eſt gentis de *Vinacourt* & in eâ Comitis de *Vletere*, conſtituit cum Marcke unum tribunal.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Petro* Apoſt. Patronatum ejus gerit Præpoſitus Capituli Rothnacenſis. Decima ſpectat ad Parochum.

LATHEM B. MARIÆ, Præfecturæ Gaveranæ, Dominium Comitis Egmondani.

Eccleſia ut nomen præfert tutelarem habet Virginem Deiparam, ſub Patronatu Capituli Cathedralis *D. Bavonis* Gandavi.

Decima eſt tripartita, cujus una triens ſpectat ad præfatum Capitulum, altera triens ad Eccleſiam, & tertia ad Parochum.

Deſervitur per Paſtorem Swalmæ omnium Sanctorum, qui ſingulis diebus XIV. hic rem divinam peragit & omnibus feſtis Marianis.

LUEPEGHEM, in vicinia Civitatis Aldenardæ a quâ vix diſtat horæ quadrante ad Scaldim fluvium, antiquum Dominium Baronis de Pamele ante nominati.

Eccleſia tutelarem veneratur *S. Amandum* Tungrenſem Epiſc. ejus Patronatum gerit Abbas Eenamenſis Ord. S. Bened.; ad quam Abbatiam ſpectat hujus pagi decima & ex iis annuè ſolvitur Parocho integra competentia.

MARCKE, primo lapide ab Aldenarda. Hoc Dominium primitus habuit Dynastas sui nominis, deinde se subinde intitularunt de *Lummene*, subinde de *Marcke*: Ex familia de *Lummene* transiit in familiam *Adorniam* Patriciam apud Genuenses, quæ Brugas ante aliquot secula advenit, hodie Nobilis familiæ de *Vinacourt*, & in eâ Comitis *De Vleter*.

Constituit cum Kerckem unum tribunal.

Brugis in Ecclesiâ de *Jerusalem* exstat Sepulchrale Monumentum *Hieronymi Adorne* Dynastæ de Marcke cum hac inscriptione.

Cy gist Messire Jerosme Adorne, *Chlr. Sr. de Niewenhove, Nieuvliet, Vive, Marque, Marquillies, Polvoorde, Baereghem, Walle, Overmalsache, Gentilhomme domestique de la sacrée Mat^é. de Charles V. Empereur des Romains lequel tresp. en l'an de Grace* 1558. *le* 11. *d'Octobre.*

Ecclesia inscripta est *S. Eligio*. Ejus Patronatus spectat ad Abbatem Lætiensem Ord. S. Bened. in Hannonia.

Decima est tripartita, cujus una triens spectat ad præfatam Abbatiam, altera triens ad Capitulum Cathedrale *B. Mariæ* Tornacense, & tertia ad Parochum.

Ibidem loci quadrante horæ ab Ecclesiâ est Capella D. Virgini sacra vulgo *Ten Berge*.

MATERNA, vernacule *Matere*, primo ferè lapide ab Aldenardâ, Præfecturæ Schornacensis, Dominium Comitis Egmondani.

Prioriſſa seu Mater Nosocomii Aldenardensis habet ibidem suum Majorem & Scabinos, super realibus jus dicentes.

Ecclesiæ tutelaris est *S. Martinus* Turonensis Episc. Ejus Patronatum gerit Abbas *S. Petri* in Monte Blandinio Gandavi, qui & opulentissimas in hoc loco possidet decimas. Pastor in iis suam habet portionem, & pro Supplemento competentiæ annuè percipit a præfatâ Abbatiâ 50. libras Flandr. Et Vice Pastor 25. Libras.

Anno 998. *Arnulphus* Comes Gandavensis cum *Lietgarda* uxore suâ & duobus filiis suis Ecclesiam in Villa de *Materne*, hodie *Matere*, Monachis Blandinienſibus dono dedit. Diploma refert *A. Du Chesne* in probationibus familiæ Gandavensis pag. 50. & ex eo profertur in Supplem. Diplom. *A. Miræi* parte II. Cap. XXII. novæ edit.

In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, Sanctæ & Individuæ Trinitatis, amen.

Cùm satis notæ traditioni teneatur hoc præsens seculum æternaliter non habere subsistere, nec vitam hominis perpetualiter in eo manere, honestam eam utilitatem Christiana providit sibi devotio, illuc unumquemque tendere, ubi futurus æternus foret cum Deo: atque cùm universis hoc arduum iter difficile foret scandere, Salvator omnium bonis actibus illuc currendo facile statuit perveniri eleëmosynas facientibus, & pauperes Christi sublevantibus, cùm maximè hiis qui terrenis patrimoniis cælestes thesauros hereditarunt.

Quapropter Ego in Dei nomine ARNULFUS gratiâ Dei Comes, unà cum Conjuge LIETGARDA, & Filio ADALBERTO consequi cupiens portiunculam beatitudinis cum hiis, qui patrimoniis suis Domino legaliter traditis cælestem pervenerunt ad hereditatem, salubre hoc visum est, ut ex bonis mihi à Deo clementer collatis, aliquam mihi providerem æternæ beatitudinis portionem.

Id-

Idcirco ad Monaſterium *Blandinium* vocabulo, à ſanctæ memoriæ Amando Patre in primitus conſtructum, & in honore Principis Apoſtolorum Petri, Doctoriſque Gentium Pauli conſecratum, proceſſu verò temporis ab ARNULPHO glorioſo Marchiſo nobiliori funditus reædificatum ædificio, pro remedio animarum noſtrarum, ad prædictum locum Deo Sanctoque Petro perpetuò poſſidendum contrado allodium meum id eſt Eccleſiam in Villa *Materna*, cum omni integritate ad ipſam pertinente, in culturis, terris, mancipiis his nominibus dictis, Goſelino, Otberto, Odulfo, Lamberto, Stemaro, Udone, Riperto, Theoderico, Tietboldo, Gherberto, Thieſelino, Uthelrico, Gerluida, Benemuf, Adulwino, Baldrico, Litardo, Bertſuinda, Berengero, Adalwit, & reliquis omnibus ad ipſam Eccleſiam pertinentibus, cum omni poſteritate eorum, & quidquid ſperetur pars hujus Eccleſiæ.

Hæc omnia à præſenti in futurum jugi ævo poſſidenda ipſis famulis Dei Regularibus inſtitutis in eodem Cœnobio ſervientibus contrado: quatinus hæc abſque ullius refragatoris infeſtatione hereditariò poſſideant, quo expeditiores ſint in exequendis mandatis ſecundùm Regulam Sancti Benedicti ſibi traditis, atque pro me meiſque Prædeceſſoribus Domini devotiùs exorent clementiam.

Si quis autem de Succeſſoribus meis, heredibus, aut proheredibus, injurioſus contradictor, ſeu quælibet extranea perſona huic Traditioni meæ contraire voluerit, in primis Dei Omnipotentis & Sancti Petri, & Sanctiſſimæ Virginis Amalbergæ, cujus etiam cognoſcitur prædicta poſſeſſio extitiſſe, deinde omnium Sanctorum incurrat iram & offenſam, æternæque maledictioni ſubjaceat, ac tam iniqua præſumptio non obtineat effectum, ſed hæc nunc Traditio firma permaneat.

Actum publicè Verbi Incarnati anno DCCCCXCVIII. Indictione XII. ROBERTO Rege regnante in Francia, Domno Abbate Rodboldo regente idem Cœnobium. 998.

Signum ipſius ARNULFI, qui hanc Traditionem fecit, & firmari petiit.
S. BALDUINI Junioris Marchiſi.
S. ADALBERTI Comitis, Filii Arnulfi.
S. THEODERICI Comitis, Filii Arnulfi Comitis.
S. Balduini,
S. Huberti:
S. Walcheri,
S. Geldolfi & Filii ejus.
S. Walkeri,
S. Stephani,
S. Widonis,
Item Stephani,
Heregaudi,
Aſſerici,
Bernardi,
Goteri,
Gerardi,
Lietberti,
Item Lietberti,
Gonteri,
Ego quoque Wicardus Monachorum indigniſſimus, vidi, & notavi.

Ex hoc Diplomate conſtat quod olim hujus loci Domina fuerit, ejuſque Patrimonium *S. Amalberga*, uti & in ejus vitâ vernaculo Sermone conſcripta refert *Jacobus Hendricx.* S. T. L. Parochus in Merlebeke.

Eſt in Eccleſiâ de Maternâ etiamnum Capellania Caſtralis titulo *S. Amalbergæ* in memoriam habitationis *S. Amalbergæ* munificentiſſimè dotata, in Patronatu Domini Scornacenſis, ad honorem hujus ditionis, quam diva ſuo domicilio cohoneſtavit, non minus quam priſci Lotharingiæ Principes. Ejuſdem Divæ exſtat ibidem juxta cœmiterium inſignis Capella.

Hic pagus eſt permagnæ & vaſtæ extenſionis, complectitur ferè M. CC. terræ bonaria, & copioſum habet populum, numerat enim M. Communicantes.

MELDEN, Gallis *Meaulne*, primo lapide ab Aldenardâ ad Scaldim fluvium. Caput eſt Dynaſtiæ inter duos amnes *Marcam* & *Roſnam*, a Curiâ feudali Heinsbergenſi in Ducatu Juliacenſi dependentis. Cæteri pagi ſunt Nieukercke, Marcke, Kerckem, Berchem, Quareſmont, Sulſike, Etichove &c. Hæc Dynaſtia ab *Iſabellâ de Aldenardâ* Dominâ de Pamele pervenit ad filium *Guilielmum de Mortaigne* Berum Flandriæ, occiſum in pugnâ Creſſiacâ. Anno 1346. ſine liberis: cujus ſoror *Maria de Mortaigne* Flandriæ Bera Domina de Pamele, eandem Dynaſtiam transmiſit ad filium *Joannem Du Fay* dictum Aldenardenſem a *Meyero* ad annum 1379. memoratum, in cujus præjudicium *Jolanthis de Mortaigne Mariæ* ſoror, maritum ſuum *Goſwinum de Helnoit* in hominem feudalem terrarum inter *Marcam* & *Roſnam* a *Godefrido* Domino Heinsbergenſi Anno 1368. recipi procuravit. Tandem mortuo *Joanne Jolanthis* ejus amita, has ipſas terras donavit & ceſſit Anno 1384. filio ſuo *Ludovico de Keſnoit*, qui ſimiliter periit ſine liberis in prælio de Azincourt Anno 1415. eique ſucceſſit ſoror *Maria du Queſnoy* Flandriæ Bera, Domina de Pamele, cui Dominus Heinsbergenſis Anno 1416. terras inter *Marcam* & *Roſnam* in feudum ac verum homagium conceſſit, uxor fuit *Joannis Blondel* Domini de Nery & Cantelem, quorum filius natu major *Joannes Blondel* harum terrarum inveſtituram quidem accepit anno 1421. ſed prævaluit donatio propter nuptias facta a matre filio natu minori *Odoardo* ducenti anno 1419. *Iſabellam d'Eſcornaix*. Hic *Odoardus* Dominus Pamelæ & terrarum inter *Marcam* & *Roſnam*, propriis expenſis reparari curavit Anno 1437. Monaſterium Viridis Vallis in Sylvâ Zoniâ. A quo natus *Judocus Blondel* in iiſdem terris inveſtitus anno 1456. Ejus filius ejuſdem nominis, dictus *Joigny*, harum terrarum inveſtituram accepit Anno 1510. habuitque Sororem *Joannam Blondel*, dictam *Joingny*, uxorem *Philippi vander Gracht* Domini de Melſene, in Concilio Flandriæ Senatoris, defuncti Anno 1545. *Jacobus Blondel* dictus *Joigny* Judoci filius Baro de Pamele in iiſdem terris inveſtitus fuit 1. Octobris Ao. 1556. & improles obiit Anno 1574, a quo dicta Baronia de Pamele, cum Dominiis de Meldene & Nieukercke devenit ad *Annam vander Gracht* præfati *Philippi* filiam, & ab illâ ad gentem de *Locquengien*. Siquidem *Annæ* filius *Philippus de Locquengien* Baro de Pamele, poſt graviſſimas lites in magno Senatu Belgico ventilatas, tandem arreſto lato 2. Junii 1618. prætactas Toparchias obtinuit. Fratrem habuit *Antonium de Locquengien*, patrem *Caroli* Baronis de Melsbroeck. *Philippo* ſucceſſit *Guilielmus de Locquengien* Baro de Pamele, a quo natus *Philippus Franciſcus*, qui Toparchias de Meldene & Nieukercke vendidit anno 1651. *Gaſpari Franciſco vander Heyden*, quarum inveſtituram accepit Anno 1652. quemadmodum ejus filia *Barbara Antonia Auguſtina vander Heyden* Ao. 1693. quæ modo nupta eſt *Joanni Adriano* Baroni *De Bylant*, cujus ſtemma Genealogicum invenies apud *C. Butkens* in Annalibus Genealogicis familiæ de *Lynden* pag. 372. Ita extractum ex actis & probationibus operoſæ litis de Toparchiis Meldene & Nieukercke in Magno Senatu Belgico.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Martino* Turonenſi Epiſc. Patronatus ejus ſpectat ad Capitulum Metropolitanum *B. Mariæ* Cameracenſe.

Decima ſpectat ad idem Capitulum, in quâ Parochus ſuam habet portionem.

MEYLEGEM, Præfecturæ Gaveranæ ad Scaldim fluvium. Dominium Comitis Egmondani.

Ec-

Ecclesia Patronum colit *S. Martinum* Turonensem Episc. Patronatus ejus spectat ad Archiepiscopum hujus Diœcesis jure Ordinario.

Universa ferè hujus pagi decima spectat ad Parochum.

Hæc Cura Pastoralis longo temporis tractu deservita est per Pastores de Berleghem, sed anno 1701. proprium nacta est Parochum.

MICHELBEKE, Præfecturæ Sottegemiensis. Dominium pridem gentis Egmondanæ, a qua illud circa medium præcedentis seculi titulo emptionis acquisivit cum Dominio de *Oudenhoven B.Mariæ*, *Petrus de Blondel* Sanctioris Concilii Senator, dein Præses, in quâ stirpe hactenus perseverat.

Ecclesia dicata est *S. Sebastiano* Mart. Ejus Patronatum gerit Cantor Ecclesiæ Collegiatæ *S. Hermetis* Rothnaci. Decima est tripartita cujus duæ trientes spectant ad præfatum Capitulum, tertia triens portio Parochi est.

NUYKERCKE, Latinè *Nova Ecclesia*, primo lapide ab Aldenardâ, vetus Dominium Baronis de Pamele. Vide de eo latius sub pago de Melden supra pag. 260.

Ecclesia dicata est Virgini Deiparæ in Cælos Assumptæ, sub Patronatu Capituli Metropolitanæ Cameracensis, ad cujus Capitulum spectat hujus pagi decima, exceptâ portione Parochi; olim propter numerosum populum in spiritualibus dismembrata a Parochiâ de Melden, ratione cujus dicta est nova Ecclesia, eique hoc nomen adhæsit.

PAUWE-LATHEM, Latinè *Lauthem Parvum*, Præfecturæ Gaveranæ, Dominium Comitis Egmondani.

Ecclesiæ tutelaris est *S. Gangulphus*. Decima est tripartita, duæ trientes spectant ad hanc Ecclesiam, altera triens est Parochi, quæ pridem partim spectavit ad Capitulum S. Crucis Cameraci cum Patronatu Ecclesiæ: Verum hanc decimam cum Patronatu anno 1701. præfatum Capitulum cessit Curæ Pastorali, uti similiter dictum in Pago de Berlegem, a cujus Parocho deservitur.

QUARESMONT, primo lapide cum dimidio a Rothnaco & altero ab Aldenardâ, nuper Dominium Principis Nassavii, quondam gentis de Ligne, quod per nuptias *Ernestinæ* Principis *de Ligne* cum *Joanne* Comite Nassavio, in illustrem stirpem Nassaviam devenit cum *Orroir*, *Sulseke* & *Ruyen*, quæ loca huic multum vicina sunt, constituentes simul unum tribunal & unum Magistratum excepto *Orroir*.

Anno 1715. emptionum tabulis illa Dominia acquisivit *D. Joachimus de la Serre* Cantor & Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Gandavensis, qui obiit anno 1717.

Ecclesia tutelarem colit *S. Amandum* Tungrensem Episc. Patronatus ejus spectat ad Abbatem *S. Theodorici* prope Remos in Galliâ, quæ Abbatia cum anno 1695. annexa est mensæ Archiepiscopali Remensi, eo jure utitur præfatus Archiepiscopus.

Decima est bipartita, cujus hodiè una medietas est Parochi, nam ea pars, quæ fuit præfatæ Abbatiæ *S. Theodorici*, dein pretio vendita est anno 1335. a præfatis Monachis Benedictinis, Monialibus Ord. *S. Claræ* de Peteghem cum aliis bonis, cessa est anno 1706. Parocho, altera medietas spectat ad varios seculares.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

ROOSBEKE, Præfecturæ Scornacensis, Dominium quondam gentis *Lummeniorum*, modo Comitis Egmondani.

Ecclesia Virgini Deiparæ inscripta est sub Patronatu Abbatis *S. Petri* Gandavi. Decima est tripartita, cujus una triens spectat ad hanc Abbatiam, altera ad Ecclesiam, & reliqua ad Parochum.

Olim hæc Ecclesia fuit appendix de *Weyligem*, erecta dein propter numerositatem populi in Parochialem, & sensim aucta est, adeo ut licet *Weyligem* sit Matrix Ecclesiæ Roosbecanæ, ea sensim decreverit, hæc autem surrexerit, & supergrassa sit tandem matrem.

ROSIGNIES, vernaculè *Roosenaken*, antiquitus *Russignies*, medio milliari a Rothnaco, ad fines hujus Diœceseos & limitem Hannonicum, ad *Rosnam* fluvium, vetus peculium gentis *Montmorenciæ*. Incolæ utuntur linguâ Gallicâ.

Ecclesia *S. Amando* Episc. sacra est sub Patronatu Capituli Rothnacensis. Decima spectat ad præfatum Capitulum & Parochum.

RUYEN. De hoc Dominio vide supradicta in pago de *Quaresmont*.

In sacris hic pagus longo temporis tractu administrata fuit per Pastores de Berchem, a quâ Parochiali distat integro milliari versus limitem Hannonicum & numerosiorem eo habet populum, estque majoris extensionis quam pagus de Berchem, complectitur enim 785. bonaria terræ.

Anno 1715. zelo & industriâ incolarum hujus loci, constructum est in eo a fundamentis novum templum Parochiale, dicatum *S. Cornelio* Papæ & Mart. Patronatus ejus spectat ad Abbatem *S. Theodorici* juxta Remos in Galliâ; quæ Abbatia cum anno 1695. annexa est in perpetuum mensæ Archiepiscopali Remensi; eo jure utitur præfatus Archiepiscopus.

Decima pro potiori parte spectat ad hanc Abbatiam, reliqua ad varios seculares, Pastori de Berchem qui hactenus illius curam habuit, solvitur annuè ex præfatæ Abbatiæ Decimis integra portio congrua.

Vetus Baronatus.

SCORNACUM, Gallicè *Escornaix*, vernaculè *Schooriſſe*, Antiquus Baronatus, Præfecturæ Schornacensis caput, primum familiæ cognominis, dein per plura secula Procerum Gaveranorum Dominium, inter quos multum eminet *Arnoldus de Gavere*, plurimum carus *Joannæ* Flandriæ & Hannoniæ Comitissæ, quem ad Flandriæ & Hannoniæ gubernacula adhibuit durante captivitate *Ferrandi* sui mariti in Galliâ anno 1214.

Ludovicus Maleanus Flandriæ Comes anno 1378. præter Equestrem balteum, etiam Baronis titulum *Arnulpho de Gavere*, Domino de Schoriſſe & de Croiselles, conferendum omnino censuit, propter insignem Aldenardæ contra Gandenses novatam operam.

Deinde fuit Scornacum seculo XV. per nuptias *Joannæ de Gavere* Dominæ de Scornaco cum *Simone de Lalaing*, Domino de Montigni illustris familiæ de *Lalaing*, a quâ item seculo XVI. jure nuptiali *Florentii de Berlaimont* cum *Margareta* Comitissa de *Lalaing*, Domina de Scornaco transiit in præ-nobilem familiam de *Berlaimont*. Ejus Epitaphium exstat in libro *des Armoiries de la Toison d'or* pag. 28.

Inde *Ludovicus Comes Egmondanus* Eques Aurei Velleris &c. itidem per nuptias *Mariæ Margaretæ* Comitissæ & hæredis de *Berlaimont* anno 1621. illud suæ stirpi Egmondanæ asseruit, in quâ illustri stirpe hactenus perseverat.

Arx

Arx hic olim ſplendida & valida commodaque fuit, latâque in gyrum foſſâ cingebatur; at nunc ferè vetuſtate & incuriâ collabeſcit, cujus Schema exhibet A. Sanderus in Flandriâ Illuſtratâ tom. II. prout erat circa medium præcedentis ſeculi.

In Eccleſiâ hujus Parochialis exſtant Sepulchralia monumenta Dynaſtarum ſequentia cum hiſce inſcriptionibus.

In Sacello *S. Mariæ Magdalenæ* ad dextum Chori latus.

Cy giſt Madame Jaquelinæ de Gavere, *Dovagiere de Sotteghem, Dame d'Eſcornaix, Romagies &c. Veufve de Noble & puiſſant Seigr.* Jean de Luxemburg, *Seigr. du dit lieu, qui treſpaſſa en Portugal l'an* 1486. *le dixſeptieme du mois d'Avril, & la dite Dame treſpaſſa l'an* 1505. *le ſeiſieme du mois de Mars. Priés pour leurs ames.*

Quarteria;

Luxembourch, Melun, Beaulx, Abbeville.
Eſcornaix, Ligne, Aumont, Barbanſon.

Ad ſiniſtram Chori partem.

Cy giſt Arnoul de Gavere, *Chlr. Seigneur d'Eſcornais & de Dieudonne, & Romagies & de Frayel, qui treſpaſſa l'an de grace* 1476. *le* 2. *de Septembre.*

Cy giſt Sibille de Ligne, *Dame d'Eſcornaix, de Dieudonne & Romagies, & de Frayel, que treſpaſſa l'an de grace* 1468. *le* 26. *Juillet. Priez pour leur ames.*

Cy giſt Ernoul de Gavere, *Chlr. Seigneur d'Eſcornais & de Dieudonne, & de Romagies, & de Frayel, qui treſpaſſa l'an* 1463. *Pries Dieu pour ſon ame.*

Cy giſt Marie d'Aumont, *Epouſe au deſſus dit Sr. heretiere de Brakele & de Sallardinghe, que treſpaſſa l'an deſſus dit* 1. *d'Octobre.*

In Eccleſiâ Abbatiæ Belloprati Virginum Ord. Ciſterc. in Urbe Duacenâ exſtat ſequens Epitaphium.

Cy giſt Meſſire Charles *premier Comte de Lalaing, Baron d'Eſcornaix, Seigneur de Brakele & de S. Aubin en Douay en ſon temps Conſeiller & Chambellan des treshaut & treſpuiſſant Prince Maximiliain Roy de Romains, de Don* Philippe de Caſtille, *& de l'Empereur* Charles V. *du nom, Chevalier de l'Ordre de la Toiſon d'or, Gouverneur & Capitaine du Chaſteau & ville d'Audenarde, fit pluſieurs voyages tant en*

guerre qu'en paix. Et ſudit ſa femme Jaqueline de Luxembourg, *eurent pluſieurs beaux enfans enſemble & ayant toute ſa vie vecu Catholicquement comme vraye amateur de Nobleſſe, treſpaſſa Chevalier ſans reproche a l'aage de* 59. *ans au dit Chaſteau d'Audenarde le* 18. *de Juillet* 1525.

Epitaphium *Caroli de Lalaing II.* Comitis de Lalaing viſitur in Eccleſiâ *S. Aldegundis* pagi de Lalaing, & profertur in libro *Le Blaſon & Armories de la Toiſon par Maurice* pag. 133.

Aldenardæ apud Recollectas in Choro ſolebat exſtare monumentum Sepulchrale *Joannis de Gavere* Domini de Schornaco cupreâ laminâ obductum cum militari ejus effigie & hâc Epigraphe.

Cy giſt Meſſire Jehan de Gavere *Sr. d'Eſcornay.* Obiit Anno 1301. 29. Martii. *Cy giſt Dame* Willeme de Wavrin *ſa femme.*

Item ibidem aliud monumentum Sepulchrale cum hac inſcriptione.

Cy giſt Haut & Noble Meſſire Arnoul de Gavre, *Chlr. Sre. d'Eſcornay & Daſchare.* Obiit anno 1316. 18. Septembris.

Et Haute & Noble Dame Cathline de Rode *Dame d'Eſcornay, & Daſchare.* Obiit Anno 1314. 12. de May.

Quoad rem ſacram Eccleſia Patronum veneratur *S. Petrum* Apoſt. titulo ad Vincula, ſub Patronatu Abbatis *S. Amandi* Ord. S. Bened. ad Scarpam fluvium.

Decima eſt tripartita, cujus una tertia ſpectat ad præfatam Abbatiam cum pluribus agri poſſeſſionibus, altera tertia ad Parochum, & reſtans tertia ad varios ſeculares, niſi quod de tertiâ hujus tertiæ ſit quæſtio inter hæredes *Dominici van Huffel* & Paſtorem de Kerckem.

Ibidem exſtat *Hoſpitale* pauperum infirmorum titulo *S. Margaretæ.* Fundavit illud anno 1420. *Margareta de Ghiſtella* Domina Schornacenſis, in Choro Eccleſiæ Parochialis ſepulta, vidua *Arnoldi de Gavera*, quæ pluribus bonis hoc Hoſpitale dotavit, eamque fundationem confirmavit *Joannes de Gavera* Epiſcopus Cameracenſis huic Hoſpitali Moniales aliquot Ord. *S. Auguſtini* præſunt. Curam hujus Hoſpitalis gerit Archiepiſcopus hujus Diœceſis, & computus bonorum fiunt a Prioriſſâ coram ſolo Archiepresbytero hujus diſtrictus, & duabus Sororibus ex ſenioribus.

In hoc Hoſpitali adventantes olim excipiebant peregrinos. In eo eſt Capellania a Dominis fundata, cujus poſſeſſor ad quinque miſſas in ſingulis anni hebdommades tenebatur, quemadmodum & in ipſo caſtro, & Eccleſiâ Parochiali Scornacenſi titulo *S. Mariæ Magdalenæ* omnes Caſtrales. In Eccleſiam Parochialem munifica cum primis fuit, eique varia beneficia aſſignavit *Jaquelina de Gavera* Domina de Sottegem & Scornaci, quæ obiit Anno 1505. cujus Epitaphium ſupra exhibuimus.

SEGHELSEM, olim in Diplomatibus *Singulfi-villa*, & ſignanter in Di-

Diplomate anni 1150. quo *Eugenius III.* confirmat bona & poſſeſſiones Abbatiæ Lobienſis in Supplem. Diplom. *A. Miræi* parte III. cap. LV. Pagus eſt Præfecturæ Scornacenſis, Dominium Comitis Egmondani, diſtans a Scornaco medio milliari.

Eccleſia tutelarem colit *S. Urſmarum* Epiſc. ſub Patronatu Abbatis Lobienſis Ord. S. Bened. ad Sabin fluvium.

Decima eſt tripartita, cujus una triens ſpectat ad hujus loci Parochum, reliquæ duæ trientes ad præfatam Abbatiam.

In Chronico Lobienſi, Gallico idiomate edito per *Ægidium Waulde*, Montibus 1628. 4. poſt vitam *S. Urſmari* pag. 356. legitur quomodo ſeculo IX. per incurſiones Normannorum bona & poſſeſſiones Abbatiæ Lobienſis in pluribus locis direpta & vaſtata fuêre, præcipuè pagus *Singulfi-Villa* (hodie Seghelſem) propè Aldenardam, ubi erat Eccleſia dicata *S. Petro* & *S. Urſmaro*, proviſa XII. Canonicis ibidem inſtitutis & fundatis; ita ut ibidem nil remaneret niſi ruina. Memoria hujus vaſtationis adhuc recens erat tempore *Fulcuini* Abbatis Lobienſis anno 966. qui narrat, quod certa perſona adhuc in vivis erat, de quâ non exſtat aliud indicium quam ſolummodo ejus nomen, qui appellabatur vulgo *Brouderkin*, quem nos diceremus *Frêro*, ſive latinè *Frater*, qui dicebat ſe cognoviſſe hos Canonicos, & quod ipſorum Præpoſitus vocaretur *Sparnanus* vel *Sparnatus*. Ita præf. Chron. Lobienſe. Eadem ferè leguntur in geſtis Abbatum Lobienſium, authore *Fulcuino* Abbate Cap. XVI. in Specilegio d'Achery novæ edit. Pariſ. 1723. tom. 2. pag. 735.

SULSIKE, milliari cum dimidio ab Aldenardâ. Dominium olim gentis de *Ligne*, dein jure dotali ad Naſſavios devenit, uti latius dictum in pago de Quareſmont; inde anno 1714. emptione illud acquiſivit *Joachimus de la Serre* Cantor & Canonicus Cathedralis Gandavenſis, conſtituit cum Quareſmont & Ruyen unum tribunal.

Eccleſia Patronum veneratur *S. Joannem* Apoſt. & Evang. ad portam Latinam, Patronatus ſpectat ad Capitulum Metropolitanum Cameracenſe, ad quod ſpectat hujus pagi decima, in quâ Parochus ſuam habet portionem.

SWALMÆ MONACHORUM, vernaculè *Munnincx Swalm*, vetus peculium Abbatis Bavoniani, in cujus juribus ſucceſſit Epiſcopus Gandavenſis, fertur fuiſſe Patrimonium *S. Bavonis*. Situs eſt hic pagus ad rivulum *Swalmam* qui non longe hinc ſeſe in Scaldim exonerat.

Hic pagus eſt ex illis XXII. qui proprium Comitis vocantur Vernaculè *s'Graven-propre*.

Eccleſiæ tutelaris in hoc loco eſt *S. Mathæus* Apoſt. ſub Patronatu Epiſcopi Gandavenſis. Decima ſpectat ad Capitulum Cathedrale Gandavenſe, ex qua ſolvitur Parocho integra competentia.

Exſtat ibidem Sacellum quod vulgo vocatur *Ste. Pieter ten Berghe*.

A. Miræus in Donat. Belg. Lib. I. Cap. XVII. novæ edit refert Diploma quo *S. Henricus* Imp. anno 1003. confirmat poſſeſſiones Monaſterii *S. Bavonis* Gandenſis, in quo inter cætera recenſet. „ In pago Bragbatenſi „ Villam *Swalmam*, cum Eccleſiis duabus & omnibus adjacentibus ejus.“

SWALMÆ OMNIUM SANCTORUM, ſive *Swalma Inferior* Vernaculè *Neer-Swalm*, vulgo *Alder Heyligen Swalm*, primo lapide cum

dimidio ab Aldenardâ, ad Rivulum *Swalm*, Præfecturæ Gaveranæ, Dominium Comitis Egmondani.

Ecclesia inscripta est omnibus cæli Sanctis, quorum festum die 1. Novembris ad lucrandas in eâ largas Pontificias Indulgentias magnâ celebritate, devotione, & populi affluentiâ celebratur.

Patronatus hujus Parochialis spectat ad Archiepiscopum hujus Diœceseos, jure Ordinarii. Decima universa spectat ad Parochum.

VOLCKEGEM, medio milliari ab Aldenardâ. Jurisdictio Suprema, quam altam justitiam vocant, spectat ad gentem *Triestiam* Dominos de *Ruddershove*, qui modo *Theodorus Trieſt* Vir Nobilis & Consularis Gandavensis, Dominium secundarium sive Bassa Justitia spectat ad Baronem de Pamele.

In Ecclesiâ Parochiali *D. Jacobi* Gandavi legitur sequens Epitaphium.

Hier licht begraven Edele ende Weerde Jan van Kethulle, F°. Jans, **in syn leven Heer van Asschye / ende Volckegem / die starf den** 25. **dach van November Ao.** 1524. **Ende Mejonckvr.** Margriete vander Poorten F^a. Franchoven, **syn geselnede / die starf den** 8. **dach van Sept.** 1538.

Quarteria.

Kethulle, Onredens, Vander Poorten, Dixmude.

Ecclesia tutelarem colit *S. Martinum* Tungrensem Episc. sub Patronatu Abbatis Eenamensis.

Decima in tres dividitur partes æquales, quarum una spectat ad præfatam Abbatiam Eenamensem, reliquæ duæ ad Parochum. Deservitur per Pastorem de Edelaere, a quâ Parochiali vix distat horæ quadrante.

WELDENE, olim *Wenlines* in Diplomatibus, primo lapide ab Aldenardâ ad Scaldim fluvium qui Gandavum tendit, duobus jam olim Dominis dominatur, unde duo ibidem sunt tribunalia, habentque suam jurisdictionem locis & personis distinctam. Unum Dominium est Comitis Egmondani ratione sui Baronatus Scornacensis, alterum est, quod nuper fuit familiæ *N. D'Hane*, quod acquisivit titulo emptionis a *Guilielmo Ernesto a Gandavo*, Baronis Arcis *S. Joannis* vulgo St. Jans Steene ex familia Gandavensi. Hoc Dominium anno 1715. emptionis tabulis devenit ad *Nicolaum* Overstraeten Mercatorem Alostanum, pretium fuit 13000. flor.

Ecclesia dicata est S. Martino Turonensi Episc. sub Patronatu Abbatis Eenamensis, dono *Odonis* Episc. Camerac. anno 1110. ut patet ex hoc Diplomate. Decima spectat pro potiori parte ad hanc Abbatiam, in quâ Pastor habet octavam partem & universas decimas lini; in Novalibus vero per primum triennium integras decimas, quæ dein devolvitur ad præfatam Abbatiam, in quâ ut ante habet octavam partem.

In

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Odo divinâ miseratione Cameracensium humilis Episcopus, præsentibus & futuris in perpetuum. Cum a Salomone qui ait fili memorare in omnibus noviſſima tua, & in æternum non peccabis. Ad animarum ædificationem invitemus generaliter nobis, quibus est Ecclesiarum commissa sollicitudo, specialius est insudandum, ne ea quæ Spiritus Sancti gratiam parvitati nostræ gratis credita sunt gelidè dispensemus, cum secundum Apostolum omnibus, maximè domesticis fidei misericordes & benefici esse debeamus. Proinde ad animæ nostræ & prædecessorum nostrorum salutem. Communicato Archidiaconorum nostrorum & Clericorum consilio. Reverendi filii nostri Gileberti Eihamensis Abbatis petitioni condescendentes Altare de *Wenlines* Salvis per omnia nostris & ministrorum nostrorum debitis, liberum & impersonatum Ecclesiæ Eihamensi assignamus. Eo utique canonicæ institutionis tenore. Ut Consilia nostra Abbas adeat, & Presbiter qui in eo cantaturus est curam de manu nostra recipiens, nobis & ministris nostris de Synodalibus respondeat. *Ex Archivis Abbatiæ Eenamensis.*

Ad hanc igitur traditionis nostræ immunitatem perpetuo consistendam. In prævaricatores anathematis gladium denudamus, atque subsignato canonicorum nostrorum testimonio, per hanc sigilli nostri subimaginationem insignimus. S. Radulfi, Johannis Anselli Archidiaconorum. S. Erleboldi Præpositi. S. Erleboldi Decani. S. Balduini. Mazelini Canonicorum. Actum est hoc Anno Incarnati Verbi M. C. X. Indictione III. Præsulatus vero Domini *Odonis* Anno V.

WEYLEGEM, Dominium Comitis Egmondani, pagus exiguæ extensionis & magis Vicus quam pagus dici potest, complectitur enim tantum sub se 74. terræ bonaria, & incolas habet perpaucos.

Ecclesia tutelarem habet *S. Margaretam* Virg. & Mart. Ejus Patronatus est Abbatis *S. Petri* Gandavi.

Olim fuit Matrix Ecclesiæ Roosbecanæ quæ ævo isto dicebatur Capella de Weylegem, modo Roosbeca matrem supergressa est, & superavit. Deservitur a Pastore de Bost.

FINIS DECANATUS ROTHNACENSIS.

HISTORIA
SACRA ET PROFANA
ARCHIEPISCOPATUS
MECHLINIENSIS.

DECANATUS OORDEGEMIENSIS.

BALEGEM, Antiquitus *Badelgem*, Præfecturæ Rodenſis, dudum ſpectavit ejus Dominium ad Dynaſtam ditionis Rodenſis, de gente *Rodrigues*, nuper jure uxorio ex eâ gente devenit ad *Ignatium de la Tour Taſſis* & *Joannem Baptiſtam de Heccart* Dom. *de Meaulne*, Conſulem oppidi Aldenardenſis. Conſtituit cum pago de Scheldewiendeke & Moortzele unum tribunal. Hic pagus eſt magnæ extenſionis, continet enim ferè mille bonaria terræ.

In Balegemio ſitum eſt Dominium de *Bottele* cum Prætorio ab aliquot ſeculis poſſeſſum a gentilibus de *Bette*, quod dein per nuptias *Eliſabethæ de Bette* cum *Ludovico de Rodoan* Domino de Berleghem devenit in familiam de *Rodoan*, inde viâ emptionis in familiam *D'Hane*, in quâ illud hodie poſſidet *Sebaſtianns d'Hane De Bercè* Senator Concilii Flandriæ.

Viſitur in eodem pago Toparchia, & vetus Prætorium, quod ſplendidum olim fuit, vulgo *Eeſſeghem* vel ipſis parietinis & ruderibus ſuis adhuc hodiè exſtantibus multum conſpicuum, ſpectans ad gentiles de *Bette*, qui modo Marchio de Lede.

In Eccleſiâ Cathedrali Gandavi viſitur Monumentum ex nigro marmore perelegans, cum hac inſcriptione.

D. O. M.

Generis Nobilitate animique virtute Clariſſ. Viro ac *D. Simoni Bette* Domino a Bottele, domi & militiæ magnis muneribus perfuncto, ejuſdemque Conjugi Dnæ. *Eleonoræ de Watripont*, ab antiquâ proſapia Nobilis Matronæ, deſideratiſſ. ſuis parentibus mæſti liberi poſuerunt. Obiit ille Anno XV^c. LIII. Nov. 2. Hæc vero Septemb. 2. XV^c. XLVII.

Quarteria circumcirca hæc appoſita.

Bette, Trieſt, vande Meerſch, Angrelles, Varnewyc, Lovendeghem, Munte d'Holland, Maſſeme, Wadripont, Keghele, Du Quen, van Stalle, Le Croix, Clocman, Lannoy, Cabillau.

Quoad

Quoad rem ſacram Eccleſia tutelarem colit *S. Martinum* Turonenſem Epiſc. Ejus Patronatus ſpectat ad Capitulum Metropolitanum Cameracenſe, ad quod etiam ſpectat potior pars decimarum hujus pagi, reliquæ earum partes ſpectant ad Parochum, cui inſuper præfatum Capitulum ſolvit annuè in Supplementum competentiæ XLV. Libras Fland. item ſpectant ad Marchionem de Rodes, Abbatiam Ninhovienſem & varios ſeculares.

Incepit nuperis annis in hac Eccleſiâ ſpecialis cultus & Veneratio *B. Joſeph* ſponſi Virginis Deiparæ, in cujus feſto ſolemnis agitur ſupplicatio.

In hac Parochiali eſt Capellania *B. Mariæ* gravata miſſa Sabbathinali, unita Paſtoratui Anno 1680.

Intra limites hujus pagi eſt Capella B. M. V. medio milliari diſtans a Parochiali, in qua diebus Rogationum fit ſtatio, & feria II. Paſchatis annuè habetur concio.

BAMBRUGGE, pagus Comitatus Aloſtani, a quo oppido diſtat milliari cum dimidio. Ejus Dynaſta uſufructuarius nuper fuit *N. van Hulte*, poſt cujus mortem 1721. rediit ad familiam *Deynaert*. Conſtituit cum Burſt, Sonnegem & Cottem unum tribunal.

Eccleſia ſacra eſt *S. Lamberto* Tungrenſi Epiſc. Ejus Patronatus ſpectat ad Abbatiſſam de Foreſto Ord. S. Bened. in Suburbano Bruxellenſi, ad quam ſpectat potior pars decimarum, quam acquiſivit dono ab *Ægidio de S. Auberto* Anno 1209. uti ſuo loco pluribus dicetur in pago de Burſt, cujus Parochialis eſt appendix.

BAVEGEM, olim *Bavingem*, locus in antiquis Diplomatibus Bavonianis natiſſimus, ſub Præfectura Rodenſi. Vetus Abbatiæ Bavonianæ Dominium, in cujus juribus ſucceſſit Epiſcopus Gandavenſis.

Eccleſia Patronam veneratur *S. Wilgefortem* Virg. & Mart. nobis Belgis *Oncomera*, vernaculè *Sinte Omcommer*. Patronatus eſt Epiſcopi Gandavenſis, uti Abbatis Bavoniani. Longo temporis tractu fuit appendix Eccleſiæ Parochialis de Vliederzele, a quâ ſeparata eſt anno 1719. & proprium nacta eſt Deſervitorem. Univerſa Pagi Decima eſt Capituli Cathedr. S. Bavonis Gandavi, quod ſacro hujus Eccleſiæ Miniſtro hactenus annuè ſolvit competentiam 300. flor.

BAYEGHEM, Præfecturæ Gaveranæ, Dominium Comitis Egmondani.

Eccleſia ſacra eſt *D. Bavoni* Gandenſium Patrono. Ejus Patronatum gerit Abbas Aquicinctinus Ord. S. Bened. propè Duacum, qui & poſſidet potiorem partem decimarum, reliquæ earum partes ſpectant ad Parochum & varios ſeculares, Parocho inſuper annué ſolvuntur a præfatâ Abbatiâ pro Supplemento competentiæ ſex Libræ Flandricæ.

Hæc Parochia licet diſtincta ſit a Parochiâ de Munte eique contiguâ communem tamen cum illa Paſtorem habet, qui alternis vicibus in iiſdem Eccleſiis rem divinam operatur.

Anno 1096. *Manaſſes* Cameracenſis Epiſc. donat Abbatiæ *S. Petri* de Dickelvenna ad Gerardimontem tranſlatæ altare de *Badengeyn* (quod hodie *Bayeghem* nuncupatur), quod diploma exhibuimus in Gerardimonte: Præſumendum itaque eſt, quod permutatione bonorum, vel alias præfata Abbatia *S. Petri* tranſtulerit Patronatum & jus decimarum cum aliis bonis in præfatam Abbatiam Aquicinctinam, cujus hæc Abbatia colonia ſeu filia eſt.

Huic Parochiali in Spiritualibus ſubeſt Vicus de *Makegem*, qui in temporalibus ſubeſt pago de Schelderode Præfecturæ, Rodenſis Dominio.

BORSBEKE, Gandavenſis familiæ vetus Dominium, qui modo Princeps Iſegemienſis &c. Eſt clientela Comitis Aloſtani, a quo oppido diſtat altero lapide.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Antonio* qui ſpeciali cultu hic loci veneratur & colitur, ipſo Divi feſto & Dominicâ ultima Auguſti cum ſolemnis peragitur ſupplicatio, totoque anni tempore ad eundem Divum peregrinatio perſeverat non ſolum a vicinis; ſed etiam a maximè diſſitis populis.

Anno 1694. die 11. Maii Eccleſia igne fortuito de cælo lapſo & turris cum aliquot vicinis ædibus conſumpta ſunt; ſed e ruinâ ſuâ jam ſurrexit.

Decimarum præcipuam partem poſſidet Abbatia de Foreſto Ord. S. Bened. propè Bruxellas, dono *Ægidii de Sto. Auberto* Ao. 1209. cujus donationis diploma exhibeo in pago de Burſt; ſextam vero decimarum partem donat Ao. 1232. *Balduinus* Comes Aloſtanus Capellaniæ Caſtri Gandavenſis ſive Veteris Burgi, qui & hodie illas decimas poſſidet.

Præfata Abbatia de Foreſto ſolvit hodie annuè ex ſuis decimis competentiam 400. flor. Parocho.

BOTTELAER, altero lapide a Gandavo, Præfecturæ Rodenſis, ad cujus Marchionem ſpectat hujus loci Dominium.

Eccleſia tutelarem habet *S. Martinum* Turonenſem Epiſc.; ſed cum circa Annum 1643. hic cæpit vigere cultus *B. Annæ*, ea exinde ut Patrona & tutelaris agnoſcitur & colitur, præcipuè vero feriâ 3. poſt Pentecoſten & in ipſo Divæ feſto cum Novenâ.

Noſtrâ ætate illic ex peregrinorum & piorum eleemoſynis ac oblationibus ampla & illuſtris exſtructa eſt Baſilica *D. Annæ* ſacra, in quâ magnus populi concurſus & peregrinatio perſeverat; ita ut hic locus prodigiorum & benefactorum celebris evaſerit.

In hac Parochiali eſt Capellania *S. Crucis* unita Paſtoratui anno 1611, item Capellania *B. Mariæ* Virg. unita eidem Paſtoratui Anno 1684.

Patronatus hujus Parochialis ſpectat ad Abbatem *S. Petri* Gandavi.

Decima pro majori ſuâ parte ſpectat ad præfatam Abbatiam *S. Petri*, ſola enim ſexta earum pars ſpectat ad Parochum, in quibuſdam tamen agris habet duas partes decimarum, at vero ubique novales, cui inſuper in Supplementum competentiæ dantur annuè a præfatâ Abbatiâ XXX. Libræ Flandr.

Hic loci eſt Vicariatus F. F. Ordinis Carmelitarum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo, fundari cæptus Anno 1667. a *Bertolpho de Paix*, & *Judoca de Paix* ejus ſorore, qui ad hoc pium opus inſigne prædium cum XXX. circiter bonariis terræ & ſylvis hîc & in viciniâ ſitis ſub certis oneribus in perpetuum contulerunt, cum conſenſu & amortiſatione Catholicæ ſuæ Regiæ Majeſtatis, & dein Anno 1671. ad effectum deductum ſub certis conditionibus & limitationibus inter D. Archiep. Mechl. ex parte Paſtoris loci ex unâ parte, & Patres Ord. B. M. V. De Monte Carmelo ex parte alterâ, quas conditiones hujus loci Paſtor nobis gratiolè communicavit, & viſum eſt hic referre.

Con-

Conditiones Concordati inter Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum D. Archiepiſcopum Mechlinienſem loco Paſtoris unâ ex parte & Patres Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo ex alterâ parte.

I. Totis viribus omnes Carmelitæ commorantes in Bottelaer devotionem erga, S. Matrem *Annam* in Eccleſiâ Parochiali de Bottelaer promovebunt, nec ullos directè aut indirectè ab illâ avocabunt, idque ſecundum mentem fundatoris prout patet ex Supplicâ Regiæ Majeſtati oblatâ Bruxellis 23. Maii. 1667. hic pro majori claritate adjectâ.

Repreſenté a ſon Excellence le Marquis Caſtel Rodrigo 23. de May 1667. Remonſtrent tres humblement Bertolf de Paix, & Joſine de Paix frere & ſœur demeurant a Gand, que pour avancer l'honneur de Dieu & le culte de S. Anne, dont l'Image miraculeuſe eſt honoré au village de Bottelaer Diœceſe de Malines diſtant deux lieux de la ditte ville de Gand, & pour l'affection qu'ils portent a l'ordre de noſtre Dame du Mont Carmel, ils ont intention de faire batir un petit Convent pour douze, ou quinze Religieux du dit Ordre en la maiſon qu'ils ont au dit Bottelaer, & de leur donner vint ſix, ou trente bonniers de terre ſitué au dit lieux pour leur ſubſiſtence, affin que les dits Religieux puiſſent aider le Paſteur & ſon Chapelain a entendre les confeſſions de pelerins, qui y accourrent de toute part. Ce pour quoy il ſupplient tres humblement voſtre Excellence de leur donner permiſſion de faire les dittes fondations & devotion, & leur en faire depecher les lettres d'Octroy & amortiſſement au convenable, que faiſant &c.

II. Ne ædificatio, ornatus, & intertentio dictæ Parochialis Eccleſiæ impediantur, nonquam directè vel indirectè impedient eleemoſynas, quas in conſcientiâ putabunt ædificationi, ornatui & intertentioni dictæ Eccleſiæ Parochialis a devotis ad *S. Annam* confluentibus deſtinari.

III. Ad requiſitionem Paſtoris & non aliter quam de illâ expreſſâ mittere tenebuntur ad Parochialem duos confeſſarios Dominicis, & Feſtis diebus, feriis tertiis totius anni, ac reliquis ſolemniis octavarum devotionis *S. Annæ* diebus, ac concionatorem decies per annum juxta determinationem Paſtoris, cujus erit præmonere Superiorem octiduo ante.

IV. Nonquam in Eccleſiâ Conventuali Catechiſmum faciant.

V. Dominicis & Feſtis diebus, omnibus feriis tertiis totius anni, ac reliquis ſolemnium Octavarum devotionis *S. Annæ* diebus tenebuntur in Eccleſiâ Parochiali celebrare ſtatutis a Paſtore horis uſque ad quatuor ſacra ſub ſtipendio octo aſſium ſolvendo ex obligationibus ratione cujuslibet ſacri, quod officium non poterunt Reverendi Patres præſtare niſi requiſiti a Paſtore, qui etiam poterit pauciores quam quatuor aut nullos vocare; ſi autem reliquerit vocatis intentionem liberam celebrandi, ſolventur cuilibet tres aſſes.

VI. In Conventuali Eccleſiâ ne populus a Parochiali avocetur Dominicis & Feſtis diebus ad ſacrum non pulſabitur niſi nolâ, nec R. R. Patres celebrabunt unquam ab horâ decimâ uſque ad undecimam, ſimiliter non celebrabunt a Dominicâ Reſurrectionis uſque ad feſtum omnium Sanctorum ab horâ ſeptimâ uſque ad Octavam, & ab eodem feſto omnium Sanctorum uſque ad Dominicam Reſurrectionis ab horâ octavâ uſque ad nonam. Diebus autem devotionis *S. Annæ* octavis earum & omnibus

bus feriis tertiis toto tempore matutino Ecclesia Conventualis clausa manebit.

VII. Vesperas decantare non poterunt nisi illis & Catechismo in Ecclesiâ Parochiali absolutis, id est non ante horam quartam pomeridianam.

VIII. Editui Ecclesiæ Parochialis mensæ Sti. Spiritus Dominicis & Festis sub solemni sacro Conventuali, & sub privatis aliis in Ecclesiâ dictorum patrum quæstuare seu eleemosynas colligere poterunt, Quæstore Conventus sequente.

IX. Truncum seu gazophilatium debitis seris obserratum in quo piorum eleemosynæ reponantur in ædificationem, ornatum Ecclesiæ Parochialis, in Conventuali Ecclesiâ loco congruo poterunt constituere juxta nostram determinationem.

X. Venerabile non exponent totâ quindenâ Paschatis, nec Communionem distribuent, multo minus diebus quibus clausa manebit Ecclesia Conventualis.

XI. Supplicationibus publicis dictæ devotionis cum crucibus & Conophæis suis omnes Religiosi Conventus legitimè non impediti tenebuntur interesse cum a Pastore requirentur.

XII. Dicti Patres Carmelitæ nec per se, nec per alias ullas oblationes aut eleemosynas ob missas in Ecclesiâ Parochiali celebrandas recipient inscio vel invito Pastore.

XIII. Non poterunt dicti Patres in suâ Ecclesiâ vel Oratorio ullum sepelire secularem, nisi prius celebratis in Ecclesiâ Parochiali exequiis per Pastorem loci aut ejus vicarium, & salvis manentibus Domino Pastori, aliisque omnibus Ecclesiæ Parochialis ministris iisdem juribus ac si defunctus in Ecclesiâ ipsâ Parochiali sepeliretur.

Si super præmissis (quod Deus avertat) aut aliis inde dependentibus vel annexis oriatur aliqua difficultas, super quâ decisio vel interpretatio aliqua requiratur, R. R. P. P. Carmelitæ uti & Dominus Pastor pro se & successoribus hisce promittunt, quod stabunt judicio & decisioni Illustrissimi Domini Archiepiscopi & Successorum ejus privativè ad omnes, nec ab eo appellabunt, ad eum effectum renuntiantes omni privilegio contrario, has autem supradicti concordantes signabunt atque R. R. P. P. procurabunt approbationem illius in primo Capitulo, uti & a Generali Ordinis ubi fuerint requisiti, quæ omnia subscripti acceptarunt hinc inde.

F. Franciscus Bonæ spei Provincialis.
F. Daniel a Sta. Maria primus Definitor.
F. Sebastianus a Sto. Paulo secundus Definitor ac S. T. Professor.
F. Joseph a Jesu Maria tertius Definitor ac Magister Novitiorum.
F. Leo a Sto. Laurentio quartus Definitor.
F. Jacobus a Sto. Antonio assistens R. Adm. Patris Provincialis.

Concordat cum Originali quod attestor Bruxellis hac 7. Septembris 1671. & erat signatum F. Jacobus a Sto. Antonio assistens R. Adm. Patris Provincialis.

Hæc Copia est conformis cum originalibus conditionibus signatis a Reverendis Patribus Provincialis ac Definitoribus, & asservatis in archivis Archiepiscopatus, & erat signatum. Quod attestor Jac. Ottaert Notarius Apostolicus 1671.

Exinde rescriptum est D. Pastori dicti loci de Bottelaer ex parte Illustrissimi D. Archiep. in hunc modum.

Con-

Conceſſit Illuſtriſſimus D. Veniam aperiendi Oratorium in Bottelaer iis conditionibus, quas ſperat ſufficientes pro conſervatione & adjutorio Eccleſiarum Parochialium, commendat utrique parti pacem & concordem in vineâ Domini laborem. Ego autem R. V. ad obſequia paratiſſimus ſervus Alb. de Scleſſin, mitto conditiones, quas Illuſtriſſimus D. ita vult obſervari, ut ceſſet ſupra-dicta venia ſi ullâ in parte infringatur. Mechl. 10. Septembris 1671.

BREYVELDE, ſive *Grootenberghe*, Præfecturæ Sottegemienſis, Dominium Comitis Egmondani.

Eccleſia ſacra eſt *S. Petro* Apoſt. titulo ad Vincula. Patronatum ejus obtinet Abbas *S. Martini* Ord. Præmonſtr. apud Caſteletum Picardiæ oppidum, qui modo Archiepiſcopus Senonenſis.

Decima pro ſua medietate ſpectat ad *N. Felleri* Advocatum Tornaci, una quarta competit Capellaniæ caſtrali in Sottegem, alteram quartam habet Parochus cum medietate decimarum lini.

Deſervitur hæc cura Paſtoralis per Paſtorem de Erteghem.

BURST, primo lapide cum dimidio ab Aloſto, viâ quâ itur Aldenardam. Jus uſufructuarium hujus Dominii pertinuit nuper ad N. van *Hulte*, poſt cujus mortem anno 1720. rediit ad familiam de *Deynaert*, prout Bambrugge, Sonnegem & Cottem qui vicus eſt in vicinia. Hæc Dominia ſunt in Clientelâ Comitis Aloſtani, & inter illos XXII. cenſentur qui vulgo Proprium Comitis appellantur, vulgo *'s Graven-Propre*, & conſtituunt ſimul unum tribunal. In hoc pago Dominium habet Abbas Truncinienſis item Curiam cenſualem, qui ſeſe extendit in Bambrugge, Sonnegem, Cottem, Vlierzeele & Baveghem, ſuum habens Baillivum & Scabinos ſuper realibus jus dicentes.

Eccleſia tutelarem colit *S. Martinum* Turonenſem Epiſc. Patronatus ſpectat ad Abbatiſſam de Foreſto, cui & potior competit pars decimarum dono *Ægidii de S. Auberto* anno 1209. cujus Diplomatis prima & ultima verba ſolum recitantur ab *A. Miræo* in Not. Eccl. Belg. Cap. CC. XXXIV. veteris edit. quod integrum apud nos exſtat, quodque inſeri permiſimus in Suppl. Dipl. *A. Miræi* parte I. Cap. XVI, cujus hic eſt tenor.

Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus, quibus præſens Scriptum videre contigerit, quod Ego Ægidius, Miles Dominus de Sancto Auberto, & M . . . Uxor mea, omnes decimationes in Parochia de *Burſta* & *Bambrugghe* & *Vleckem* & *Borsbeka*, cum omnibus eorumdem decimationibus, appendenciis, & omnibus novalibus, nunc temporis & impoſterum ad Nos pertinentibus, ſub teſtimonio proborum Virorum, liberè & abſolutè in eleëmoſynam Eccleſiæ contulimus Foreſtenſi;

Fide & juramento ante fores Eccleſiæ de *Hautrive* Feriâ ſextâ ante Aſcenſionem Domini præſtitis, quod nec à Nobis, nec à noſtris Succeſſoribus præfata Eccleſia de *Foreſt* aliquam calumniam pateretur. Et pro injurioſo delicto Foreſtenſi Eccleſiæ à Nobis illato, bonarium dimidium terræ contulimus eidem Eccleſiæ apud *Burſt*, Donationem vero decimarum & terræ prædictæ ſub periculo omnium bonorum noſtrorum apud *Burſte*, Sigillo Dominæ Comitiſſæ & noſtro promiſimus legitimè confirmari.

Nomina verò Teſtium, qui interfuerunt huic venditioni & Donationi, ſunt hæc:

Willemus Præpoſitus de Foreſt, qui ex parte Eccleſiæ Foreſtenſis fidei & juramenti interpoſitionem cum donatione ab utriſque, ſcilicet Ægidio Milite & M . . . Uxore ſuſcepit;

Willemus, Presbyter de Aloſt,
Henricus & Rogerius Fratres,
Segerus & Rogerius, & alii quam-plures idonei, & competentes.

1119. Actum Incarnationis Dominicæ anno milleſimo centeſimo, nono-decimo, menſe Majo.

Præfata Abbatia de Foreſto Anno 1680. ceſſit Paſtoratui has ſuas decimas de Burſt, Bambrugge & Vlackem ſub annua penſione 300. flor. præfatæ Abbatiæ præſtandâ & cætera onera exſolvenda quibus decimæ ſunt ſubjectæ.

Capellania Caſtralis Gandavenſis, ſive veteris Burgi in hoc pago, ac Bambrugge, & Borsbeca gaudet ſexto manipulo decimarum, excepto lini, quæ ſolæ competunt Parocho, præfata Capellania has decimas acquiſivit dono *Balduini de Aloſt* anno 1232. ut patet hoc Diplomate.

FERDINANDUS, Flandriæ & Hannoniæ Comes, omnibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem. Noverit univerſitas veſtra, quod *Balduinus de Aloſt* in præſentiâ noſtrâ conſtitutus coram nobis & hominibus noſtris ſpontaneâ voluntate werpivit pro ſe & ſucceſſoribus ſuis omne jus, quodquod habuit vel habere poterat in decima de Burſt, quod ſpectat ad Capellaniam Caſtri Gandenſis, renuntians omni juris auxilio, quod ſibi unquam poſſit competere in decimâ prædictâ. In ejus rei teſtimonium noſtris præſentibus litteris ſigillum noſtrum fecimus apponi. Actum Gandavi anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſecundo menſe Septembri.

Viget in hac Parochiali cultus *S. Eligii* Epiſc. 29. Junii & 1. Decembris.

Cæterum præfata Abbatia Truncinienſis in hoc pago ampla & non exigua rura, & in vicino pago de Sonnegem poſſidet, Dono *Iwani* Comitis Aloſtani & uxoris ejus *Lauretæ* filiæ *Theodorici Alſatii* Comitis Flandriæ Anno 1139. cujus donationis Diploma proferemus infra in pago de Sonnegem.

CHERSCAMP, altero lapide ab Aloſto, pagus Comitatus Aloſtani, Dominium ſupremum ſive alta juſtitia (ut loquuntur) hujus pagi ſpectat ad gentiles de *Cordes*, qui hodie *Lancelotus de Cordes*, Toparcha de Wichelen &c. Media & baſſa juſtitia, & Dominium fundi ſive *Seigneurie Fonciere* ſpectat ad Præpoſitum & Dominam Monaſterii de Tuſſchenbeka Ord. Præmonſtr.

Hic pagus eſt ex illis XXII. qui proprium Principis, vulgo *'s Graven-Propre* vocantur; eſt ex aliquâ ſui parte ſylvoſus, & glebâ non adeo felice, utpote qui miricetum olet.

In hoc pago item eſt Dominium de *Boyeghem* habens inibi ſuam juriſdictionem perſonis & locis diſtinctam quod Anno 1698. devenit ad *Petrum Huens*, in qua ſtirpe perſeverat.

Eccleſia tutelarem colit *S. Dionyſium* Mart. Patronatus ejus ſpectat ad Præpoſitum & Dominam Monaſterii præfati de Tuſſchenbeka, cum pagi decimâ.

Nicolaus Epiſc. Camerac. confert anno 1248. Altare de Cherſcamp. Abbati & Conventui Truncinienſi & anno 1252. Abbas & Conventus Truncinienſis conferunt Præpoſito & Sororibus de Cherſcamp hoc Altare, quæ diplomata nos ipſi in præfato Monaſterio vidimus. Ex virtute hujus donationis hanc curam Paſtoralem adminiſtrarunt hactenus Præpoſiti hujus Monaſterii.

Hic

Hic loci Anno 1138. fundatum fuit Monaſterium Virginale Ord. Præmonſtr. ab *Ywani* Aloſtenſis viduâ.

Quis porro fuerit *Ywanus* Aloſtenſis incertum, non fuiſſe *Ywanum* Comitem Aloſtenſem, qui paulo ante Truncinienſes Canonicos in Regulares converterat, annorum ratio videtur repugnare, cum *Meyerus* tradat eum obiiſſe Ao. 1144. & *A. Miræus* Anno 1146.

Si vera ſint quæ Annales domeſtici Truncinienſes tradunt, quæ eum obiiſſe tradunt anno 1138. poſſet ejus vidua hoc Cœnobium fundaſſe eodem ſcilicet anno quo hic *Ywanus* obiit, interim res manet incerta, præcipuè cum antiqua Monumenta hujus Cœnobii in turbis Belgicis deperdita ſint, ex quibus hoc erui poterat.

Cæterum quem locum Cœnobio ſuo ea vidua legaverat, poſteritas mutavit & anno 1256. ceſſit in loco vicino dicto *Tuſſchenbeke*; hâc præſertim ratione, quod ita circumquaque ſerpentes omnia infeſta redderent, ut ne altaria quidem ab hoc malo eſſent tuta. Obit tamen adhuc Præpoſitus, quem hodie ab Abbate Grimbergenſi accipiunt Paſtorale munus in Cherſcamp, ne omnino primæ inſtitutionis memoria abolita videatur.

Denique ſolebat a tempore fundationis hoc Cœnobium ſubeſſe Abbati Truncinienſi, eique manſit ſubjecta uſque ad annum 1705. quo præfatus Abbas ceſſit Abbati Grimbergenſi ejuſdem Ordinis, & abdicavit ſe omni ſuo jure, quod in præfato Monaſterio & paſtoratu de Cherſcamp ipſi competebat, & ita hodiè ſubeſt præfato Abbati Grimbergenſi, qui in eo e ſuis Præpoſitum conſtituit, qui ſimul curam Paſtoralem de Cherſcamp adminiſtrat.

SERIES PRÆPOSITORUM IN TUSSCHENBEKA.

Wedericus, Præpoſitus.
Henricus, Prior in Cherſcamp.
Guilielmus, Prior de Cherſcamp Anno 1229.
Franco, Præpoſitus in Tuſſchenbeke Ao. 1256.
Walterus Wulfs.
Norbertus Aſca. Obiit anno 1368.
Joannes de Laet. Obiit anno 1372.
. . . . . *Vanden Abeele.* Ao. 1448.
Martinus de Gavere. Anno 1473.
Joannes Rouffens. Anno 1508.
Adrianns Adriaens. Anno 1514.
Rolandus Sanders, dein poſtulatus Abbas Diligemenſis XXXIII.
Gerardus vanden Berghe. Obiit Ao. 1524.
Ludovicus Cottem. Anno 1540.
Joannes Claes. Anno 1573.
Franciſcus de Moor. Anno 1605.
Guilielmus Groenincx, Can. Abbatiæ Ninhovienſis. Anno 1637.
Guilielmus de Stroopere. Obiit Anno 1638.
. . . . . *Moerbeſius.* Anno 1642.
Georgius Snick. Anno 1661.
Amandus Annè. Anno 1677.
Franciſcus de Grave, dein alibi promotus obiit Anno 1695.
Philippus Ronſe, dein alibi promotus obiit anno 1695.
Claudius Stuperaert, dein Anno 1693. electus Abbas Truncinienſis.
Paulus Droesbeeck, uſque ad annum 1705. quo Præpoſitus conſtitutus eſt ab Abbate Grimbergenſi qui ſequitur.
Guilielmus de Vos, dein anno 1720. Paſtor in Berchem propè Bruxellas.
Siardus Coſyn ex Suppriore Abbatiæ Grimbergenſis præſens Præpoſitus.

Hanc Seriem Præpoſitorum ex tabulâ penſili in Abbatiâ Truncinienſi nos ipſi anno 1720. excepimus, exceptis duobus ultimis.

In hoc pago exſtat Capella *S. Crucis* (vulgo *Bruyne Cruys Capelle*) quæ a febricitantibus multum inviſitur & frequentatur, quæ ditata eſt Venerandis Reliquiis *S. S. Crucis*, in quâ feriâ ſextâ per annum ſacrum peragitur, magna autem in eâ ſolemnitas eſt Dominicâ V. poſt Paſcha & per Novenam in quâ magnus illic accurſus eſt vicinorum.

DICKEL, tertio lapide a Gandavo, pagus Comitatus Aloſtani, in ſacris & profanis ſubeſt Abbati *S. Petri* Gandavi.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Hilduardo* de quo pluribus egimus in pago de Dickelvenne in Decanatu Rothnacenſi.

Decima hujus pagi fuit præfatæ Abbatiæ *S. Petri* quam nuperis annis ceſſit huic Paſtoratui. Deſervitur hodiè per Paſtorem de Swalme Monachorum, qui alternis vicibus ibidem rem divinam operatur.

EERDEGEM, ſive *Erondegem* primo lapide ab Aloſto. Liberum eſt Allodium, neque in Clientela vel fide tenetur ullius, niſi Dei & ſolis. Habet altam, mediam & infimam juſtitiam. Dominium hujus loci longo temporis tractu fuit penes gentiles de *Schoutete* alias van *Zuyle*, cujus gentis originem & majores exhibet *D. Lindanus* in ſuâ Teneræmundâ, ab his devenit ſeculo XVII. viâ emptionis in familiam *De Wilde* cum medietate pagi de Ottergem, in quâ illud nuper poſſedit *Emanuel Guilielmus de Wilde*, poſt cujus mortem Anno 1716. ejus filio obvenit.

Reliqua medietas de Ottergem ſpectat ad familiam Gandavenſem & Oordegemio ſubcenſetur.

Eccleſia ſacra eſt *D. Petro* Apoſt. titulo ad vincula. Ejus Patronatus eſt Abbatis *S. Adriani* Ord. S. Bened. in Gerardimonte, ad quem etiam ſpectat non exigua pars decimarum, præcipua autem earum pars ſpectat ad Epiſcopatum Antverpienſem; hæc autem olim fuit Abbatiæ *S. Bernardi* ad Scaldim, quæ dum Anno 1649. dotavit Epiſcopatum Antverpienſem, aſſignavit ei inter cætera bona hanc decimam de Eerdegem, quam olim pretio acquiſierat a præfatâ Abbatiâ *S. Adriani* in Gerardimonte, quæ tamen notabilem partem decimarum hic loci & in Ottergem ſibi reſervavit & hodiè poſſidet, uti antè dictum.

Cæterum *Nicolaus* Epiſc. Camerac. dum Anno 1142. dotat præfatam Abbatiam Gerardimontenſem inter alia „ confirmat quod *Odo* Epiſcopus con- „ tradidit Altare de *Goldegem* (ita namque antiquitus vocabatur Eerdegem) „ cum appendentiis ſuis Impa & Ottergem. " Verba ſunt Diplomatis quod recitat *A. Miræus* in Donat. Belg. Lib. II. Cap. XLIV. novæ edit.

Appendix hujus Parochialis eſt *Ottergem*, cujus Eccleſia inſcripta eſt Converſioni *S. Pauli* Apoſtoli.

ELENE, medio milliari a Sottegemio Dominium nuper gentis de *Lannoy*, tenetur in clientelâ Principis de *Gavera*.

Hæc Toparchia Anno 1707. emptione publicâ cum vicino pago de Leeuwergem devenit ad *Ludovicum Heyne*, in quâ familiâ perſeverat, conſtituit cum Leeuwergem unum tribunal. Vide de eo plura infra in præfato pago de Leeuwergem.

Eccleſia ſacra eſt Virgini Deiparæ. Ejus Patronatus eſt Archiepiſcopi hujus

Dioe-

Diœceſis jure ordinarii. Decima eſt tripartita, cujus duæ trientes ſpectant ad Dynaſtam, & tertia triens ad Parochum.

Capellania Caſtralis, quæ eſt ad collationem Toparchæ, gravata eſt ſecundum reductionem *Alphonſi de Berghes* Archiep. Mechl. duabus ſacris hebdommadatim.

ERTEGHEM, ſive *Ertwetighem* Præfecturæ Sottegemienſis, Dominium Comitis Egmondani. In hoc pago eſt Dominium de *Hermais*, olim *Heremeis*, Clientelâ Curiæ Sottegemienſis Comitis Egmondani, hodie ſpectat ad *Joannem Franciſcum de la Faille*, Toparcham de Eekeloo, Aſſene-de, Marie Lierde &c.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Georgio* Mart. Patronatus ejus ſpectat ad Abbatem Montis *S. Martini* Ord. Præmonſtr. apud Caſtelletum Picardiæ oppidum, qui hodie Archiepiſcopus Senonenſis. Hic cum Paſtore decimas hujus loci poſſidet; unicuique ſuus eſt decimarum diſtrictus. Paſtor inſuper ſolus habet decimas lini & in Supplementum competentiæ annuè XLI. Libras Flandr. a præfato decimatore.

FORESTUM, vernaculè *Vorſt*, ſecundo lapide a Gandavo ad Scaldim fluvium, qui Aldenardâ tendit Gandavum, Præfecturæ Gaveranæ, Dominium Comitis Egmondani.

Eccleſia tutelarem colit *S. Martinum* Turonenſem Epiſc. ſub Patronatu Archiepiſcopi hujus Diœceſis jure ordinarii.

Decimarum participes ſunt Parochus pro parte majori & Eccleſia, habens notabilem diſtrictum decimarum.

GONTRODE, primo lapide cum dimidio a Gandavo, Præfecturæ Rodenſis, ad cujus Marchionem ſpectat hujus loci Dominium, conſtituit cum Lantscautere unum tribunal.

Eccleſia *D. Bavoni* ſacra eſt. Patronatus ejus ſpectat ad Epiſcopum Gandavenſem, uti jurium Abbatis Bavoniani Succeſſor.

Viget hic cultus VII. Dolorum Virginis *Mariæ*. Anno 1712. Decorata eſt hæc Parochialis ab Epiſcopo Gandavenſi Venerandis Reliquiis *S. S. Crucis*.

Hujus pagi decima ſpectat ad eleemoſynariam Capituli Cathedralis Gandavenſis, ex quibus Parocho annuè ſolvitur integra competentia.

Præfata Eleemoſynaria, & Capitulum hic loci poſſident plurimas agri poſſeſſiones.

GODTVEERDEGEM, ſive *Grootveerdegem*, olim *Godefordeghem*, Præfecturæ Sottegemienſis, Dominium Comitis Egmondani.

Eccleſiæ tutelaris eſt *S. Paulus* Gentium Apoſtolus, ejuſque Patronatum gerit Epiſcopus Gandavenſis jure Abbatis Bavoniani.

Decima pro potiori parte competit Parocho; reliquaram participes ſunt Capitulum Cathedrale Gandavenſe, Abbatia de Byloka Ord. Ciſterc. Gandavi, & Capellania Caſtralis de Sotteghem.

GYZEELE, per Syncopen, antiquitus *Gyzenzeele*, ſecundo lapide a Gandavo, Præfecturæ Rodenſis, ad cujus Marchionem hujus loci ſpectat Dominium.

Eccleſia *D. Bavoni* ſacra eſt, ſub Patronatu Epiſcopi Gandavenſis, uti jurium Abbatis Bavoniani ſucceſſor.

Universa hujus pagi decima spectat ad Capitulum Cathedrale Gandavense, ex quibus Parocho annuè solvitur competentia LV. Librarum Flandric.

Solebat hæc cura Pastoralis administrari per Pastorem de Gont-Rode a quo distat medio milliari; sed anno 1720. proprium accepit Parochum.

Hujus Parochialis appendix est LANTS-CAUTERE, in Diplomatibus *Lants-Cultra* legitur, secundo item lapide a Gandavo, præfecturæ Rodensis, ejusque Marchionis Dominium.

Ecclesiæ Patronus colitur *S. Blasius* Episc. & Mart. cujus sacris Lipsanis nuper ditata est. Viget in eâ specialis cultus, veneratio & peregrinatio *S. Agathæ* Virg. & Mart., maximè in ejus Divæ festo V. Februarii & per Novenam, prout & toto anni tempore, & in gratiam peregrinantium missa celebratur in honorem hujus Divæ singulis diebus Lunæ.

Ad curam Pastoralem nominaret Antistes Gandavensis, uti Abbas Bavonianus.

Decimæ tripartitæ sunt, cujus duæ trientes spectant ad hanc Ecclesiam, & tertia ad Parochum, qui hanc curam Pastoralem deservit, qui hodie est Pastor in Gyzeele, qui ibidem alternis diebus sacris rem divinam operatur.

HAUTHEM S. LIVINI, in Diplomatibus *Holthem* legitur appellatum, Vernaculè *Ste. Lievens-Hauthem*, cui Divo hic locus sacer est, tertio lapide a Gandavo, Dominio ejus potitur Episcopus Gandavensis, ut titulorum & jurium Abbatis Bavoniani successor.

Advocatia hujus pagi antiquitus fuit pænes Berlegemios, e quibus *Gerardus* Dominus de *Berlegem Miles* (verba sunt Diplomatis) & *Beatrix* ejus uxor Anno 1202. transcripserunt hanc Advocatiam Abbati & Conventui *S. Bavonis* Gandavi, quam tenebant a Domino *Gerardo de Rode* milite, ex quibus consequitur quod ea sit in clientelâ Marchionis de Rode. Ita ferè *Espinoius* in suis de Flandriæ Nobilitate commentariis Gallicis pag. 265.

Hunc pagum acquisivit Abbatia *S. Bavonis* circa annum 976. permutatione cum pagis de Norderwyck & Itegem in Taxandriâ, teste Diplomate *Ottonis II.* Imp. apud *A. Miræum* in Donat. Belg. Lib. I. Cap. XIV. novæ & antiquæ edit., & ita sentit *W. Bosschaerts* Can. Abbatiæ de Tongerlo in suo Tractatu de Frisiæ Apostolis pag. 132.

Forum habet Spatiosum, inque eo annalis nundinatio celebris & famosa Duplex die 30. Junii & 12. Novembris festo *S. Livini*, ambæ mercatu celebres, & vectigal, quod in illis Ecclesiæ penditur, dono accepit olim a Dynastis Berlegemiensibus.

Ecclesia quæ *S. Michaeli* Archangelo sacra, est structuræ valde antiquæ & Sepultura *S. Livini* Gandensium Apostoli multum celebris, quem apud Escam pagum non longe hinc dissitum homines impii multis vulneribus sauciatum, atque etiam obtruncarunt Anno 633. uti fusè diximus, cum hunc pagum in Decanatu Gerardimontensi descripsimus;

Porro sepulti sunt decenter in hoc loco ab ejus discipulis *S. Livinus* cum Brixii corpusculo, ac juxta eos seorsim Sancta Martyr *Craphaildis*. *Theodoricus* Cameracensis Episcopus propter celeberrima miracula locum visitavit anno 842. cumque majora quam audierat reipsa experiretur, quarto Calendas Julias corpora Sanctorum *Livini* & *Brixii*, omni cum reverentiâ & gaudio de terrâ sustulit, & loco celebriori decenter collocavit. Postmodum anno 1007. *Eremboldus* Abbas, qui peregrinum *Macarium* suscipere meruit,

ruit, metuens Sanctorum corporibus in loco minus tuto, ex *Hauthem* Gandavum ad ſuum monaſterium tranſportavit ſacra illa pignora, omni ex parte integra. Quando communem lætitiam Deus etiam præſentibus miraculis magnopere promovebat. Ita ferè *J. Molanus* in Indiculo Sanctorum Belgii.

Anno 1171. tranſlatio ſecunda facta eſt in Cœnobio Gandavenſi per *Walterum* Tornacenſem Epiſcopum ſub *Bettone* Abbate, qui ibidem tunc præſens exiſtens, caput & corpus integrum *B. Martyris Livini* per manus præfati Epiſcopi oſtenſum cum devotione videre promeruit.

Viſitur etiamnum in hâc Eccleſiâ ejus tumulus ingentis molis cum caveâ ſubterraneâ, verſibus aliquot additis, ſed pro more illius ſeculi rudioribus, quibus ſignificatur tumulum bellicis furoribus everſum, per *Jacobum* dictum de Bruxella Abbatem Monaſterii *S. Bavonis* fuiſſe reſtauratum, qui obiit anno 1474.

Verſiculi inſcripti tumulo S. Livini.

O Livine Pater tu Cœlicolis ſociatus.
Expers ſorde luti, maculamine purus,
Iſto concluſus ſaxo, per ſacra quieſcit.
Carnea membra quibus locus iſte paratur Olympo.
Angelicis qui dicatis manibus tua viſcera ſumit.
Sub ſexcentenis annis decies tribus auctis
Quem mala guerra dedit everſum funditus anno
Milleno Domini, ſic ciphra (jcl3) peracta
Sed pietas non parva viri cunctè venerandi
Præfati non immeriti, Jacobus cui nomen
Abbatis tunc Gandenſis, Sanctique Bavonis
Reſtituit Chriſto præſentia tempe decori,
Dum ſimul (jcl3) cifras facientia ſcribo,
Cujus amore preces profundas altiſonanti.

In tumbâ & ſub effigio *S. Livini* poſita ſunt hæc verba.

Servientibus Angelis piè ſepelitur.

J. Meyerus accuratus Annalium Flandriæ ſcriptor refert, quod annua ſupplicatione a Gandavenſibus olim huc itum cum Reliquiis *S. Livini.*

Patronatus hujus Parochialis ſpectat ad Gandavenſem Antiſtitem jure Abbatis Bavoniani. Decima univerſa ſpectat ad ejus capitulum Cathedrale, ex qua Parocho annuè ſolvitur competentia LXX. librarum Flandric.

Cæterum fertur Monachos. Bavonianos antiquitus hic loci & vicinia per ſe divina officia juſto numero, & velut Prioratum conſtituentes, perfeciſſe; dein autem hic & in vicinis locis de *Vlierzeele*, *Baveghem* & *Gyzeele* conſtituiſſe Vicarios.

Denique in hoc loco fons monſtratur atque Sacellum quadrante ferè ab Eccleſiâ, erectum ad perpetuam Martyrii *S. Livini* memoriam, quouſ-

que Sanctus decollatum caput tuliſſe fertur, quod multum viſitatur XII. Novembris.

HAUTHEM PARVUM, vulgo *Letter Hauthem*; ſed melius dictum puto *Lutter Hauthem*, quaſi *Parvum Hauthem*, reſpectu *Hauthem S. Livini* ſuperius deſcripto, a quo diſtat horæ quadrante, Præfecturæ Rodenſis, Dominium Abbatis *S. Petri* Gandavi.

Eccleſia dicata eſt exaltioni S. Crucis. Ejus Patronatus ſpectat ad præfatum Abbatem S. Petri, ad quem etiam ſpectat hujus pagi decima, cum certo diſtrictu in Bavegem, quæ totales decimæ plerumque relinquuntur Paſtori hanc curam deſervienti, hodie dantur annuè LVI. Libræ Flandr. qui hanc curam adminiſtrat, qui eſt Parochus de Hauthem *S. Livini*.

Viget hic cultus *S. Cornelii* Papæ & Mart. & ad eum fit plurium peregrinatio pro Epilepſia ſive morbo caduco.

HERZEELE, pagus & vetus Dominium Comitatus Aloſtani, altero lapide cum dimidio ab Aloſto, quod olim cognomen dedit illuſtri familiæ de *Herzelles*, quæ hîc & alibi multum principabatur, & per plura ſecula per proceres de *Herzelles* poſſeſſum fuit.

Circa Annum 1481. *Ludovicus Maleanus* Comes Flandriæ Dynaſtiam de *Herzelles*, quod *Sigerus* Dom. *de Herzelles* rebellium Gandavenſium partes ſecutus fuerat, ſuo fiſco addixit,* eamque dein Anno 1412. *Joannes Burgundus* Comes Flandriæ *Sigeri* cognato *Joanni de Roubais*, Equiti, ejuſque Conſiliario & Archi-Camerario intuitu meritorum ejus, & ob egregia ei præſtita ſervitia, hoc Dominium conceſſit, & in perpetuum donavit. Hic *Joannes* dein a *Philippo Bono* Duce Burgundiæ inſtitutione Ordinis Aurei Velleris, inter primos Equites aſcitus eſt Brugis Anno 1429. Conjugem duxit *Agnetem de Lannoy* Dom. d'Ablancourt. Hic fatis conceſſit die 7. Junii anno 1449. ætatis 90. Floruit ſub tribus Burgundiæ Ducibus *Philippo Audace*, *Joanne Intrepido*, & *Philippo Bono*. Illa vero obiit die 8. Julii anno 1464. Ambo ſepulti in Sacello *S. Joannis Baptiſtæ* Eccleſiæ Parochialis de *Roubais*.

* *Meyerus in Annal. Fland. Ao.* 1381.

Succeſſit horum filius *Petrus* Dom. de *Roubais*, *Herzelles* &c. natus & baptiſatus in Herſelles 1. Auguſti 1415. Duxit *Margaretam de Guiſtelles* Dominam de Brœucq, & Waſquehal. Ille obiit 7. Junii anno 1498. hæc anno 1495. die 7. Octobris. Ambo ſepulti in Sacello S. Crucis Eccleſiæ de Roubais.

Petrus ditionum ſuarum hæredem reliquit *Iſabellam*, ea *Jacobum Luxemburgium* Richeburgii Toparcham & *Petri S. Pauli* Comitis & *Margaretæ de Baux* filium per nuptias ſibi conjunxit. Ex eo matrimonio non ſupermanſit niſi *Jolendis* filia unica, & hæres. *Jacobus* pater obiit 20. Auguſti Anno 1487. Conditus in Abbatiâ de Cherſcamp Ord. Ciſterc. in Arteſiâ. *Iſabella* vero vidua piis operibus intenta fundavit & dotavit Anno 1488. in pago de Roubais Noſocomium pro duodecim egenis & membrorum uſu captis mulieribus perpetuo nutriendis. E vivis abiit Anno 1502. die 25. Maii, ſepulta in eodem Noſocomio.

Poſtea hoc Dominium per conjugium præfatæ *Jolendis* ejus filiæ cum *Nicolao Werchinii* Barone, Seneſchallo Hannoniæ, in Werchinii domum tranſiit, & ab eâ ſubinde rurſus per nuptias *Jolendæ de Werchin* cum *Hugone de Melun* primo Principe d'Eſpinoy, in eam familiam tranſlatum, & tandem

in

in Lignienſis Principis familiam devolutum eſt hujus pagi Dominium.

De hoc Dominio longo temporis tractu litigium fuit in Magno Senatu Belgico inter Illuſtres familias *De Melun-Eſpinoy*, & *de Ligne*, & tandem anno 1720. adjudicatum fuit cum pluribus aliis Dominiis & bonis Principi *de Ligne*, dein amicabili conventione brevi poſt Pariſiis inita, cum approbatione Cæſareæ & Catholicæ Majeſtatis & Regentis Regni Galliæ eidem Principi de *Ligne* cum aliis Dominiis remanſit.

Vide *I. Buzelinum* in Gallo Flandriâ Lib. I. Cap. XVI. ubi pluribus agit de hoc loco in pago *Roubaiſiâ*.

Caſtrum hic olim fuit Dynaſtarum ſplendidum, & validum, latâque in gyrum foſſâ cinctum, modo pro magna ſuâ parte dirutum & collapſum, cujus pars etiamnum viſitur, item ejus parietinæ & rudera. Hujus ſchema exhibetur in Flandriâ Illuſtratâ *A. Sanderi* tom. II. pag. 511.

Forum habet hebdommadarium die Mercurii, & annale feria IV. poſt Paſcha.

Eccleſia tutelarem colit *S. Martinum* Turonenſem Epiſc. Anno 1147. *Nicolaus* Camerac. Epiſc. contulit altare hujus loci Abbati *S. Giſleni* Ord. S. Bened. in Hannonia ad Supplicationem *S. Bernardi*, item ſimul altare de Raiſſegem & Oomberge. Hujus Donationis Diploma excepimus ex Chartulario præfatæ Abbatiæ ut ſequitur.

NICOLAUS, divinâ miſeratione Cameracenſis Epiſcopus, tam futuris quam præſentibus in perpetuum, ex Pontificali adminiſtratione ſollicitudini noſtræ incumbit, ut Eccleſias, quæ ſub obedientiâ noſtrâ ſub Religionis titulo Domino ſerviunt, ex his quæ nobis collata ſunt, benigne & affluenter largiamur. Suſcepta igitur dignè & ut decuit Reverendi fratris noſtri *Egerici* Cellenſis Abbatis ſupplicatione, audita Venerabilis Domini *Bernardi* Claræ Vallenſis Abbatis cohortatione, Altare de Herzella, Altare de Raſſenghien, Altare Hunbergis, quæ duo dimidias Eccleſias eſſe conſtat, Eccleſiæ Beati *Giſleni* in Cella, cui præeſt, libera & imperſonata concedimus; ad arcendas itaque quorumlibet importunitates, data conſervatoribus benedictione, in prævaricatores quoad reſipuerint, excommunicationis ſententiam exponimus, atque Canonicâ ſubſignatione noſtrâ ſubimaginatione hujus noſtri decreti paginam confirmamus.

S. Theodorici ejuſdem altarium Archidiaconi. S. Joannis Alardi, Eurardi Archidiaconorum. S. Gerardi Decani & Archidiaconi. Galteri, Guerunboldi, Gerardi Sacerdotum. Bartholomei, Guellelmi, Radulphi, Cirici, Galteri Levitarum, Adam, Euſtacii, Roberti, Galteri, Mathæi, Hugonis Sublevitarum. Actum anno Incarti verbi M. C. XLVII. Præſulatus Domini Nicolai XI. Ego Guerinboldus Cancellarius recenſui.

Anno 1423. die 18. Julii vendidit præfata Abbatia Decimam hujus pagi præfato *Joanni de Roubais* Dynaſtæ de Herzelles, & ex iis decimis dantur annuè Parocho a Dynaſtâ in Supplementum competentiæ XX. Libræ Flandr. In hac venditione ſimul comprehendebantur XVIII. bonaria terræ & omnes cenſus quos præfata Abbatia hic loci percipiebat.

Hic loci olim fundatum fuit Hoſpitale, incertum nobis a quo, pro IV. Religioſis virginibus, quibus emortuis deſiit inhabitari. Anno 1646. die 10. Octobris bona hujus Hoſpitalis per *Jacobum Boonen* Archiep. Mechl. annexa ſunt Capellaniæ *S. Joannis* Caſtrali hujus Parochialis, hac inter alias conditione, quod præfatus Capellanus teneatur ad miſſam matutinalem diebus ſacris, & aſſiſtere officio divino in Parochiali, item obligatus ſit ad duas miſſas hebdommadatim, & ad reparationes ſacelli hujus Hoſpitalis &c.

In hoc pago quadrante horæ ferè a Parochiali eſt Capella *S. Rochi* cujus

festum hîc celebratur in populo, ac in eâ per Octavam missa celebratur & laudes vesperi decantantur, & ad eam in diebus Rogationum fit statio. Circumcirca portam hujus Capellæ legitur hæc inscriptio.

Constructerunt Sancto 1636.
Quod votum est tempore pestis 1635.

HILLEGEM, Antiquum Dominium Abbatis *S. Petri* Gandavi, qui & Patronatum Ecclesiæ possidet, quæ inscripta est *S. Bartholomæo* Apost.

Hic loci possidet præfata Abbatia opimum prædium, quod vocant *Het Hof ten Daele*. Ad hanc Abbatiam spectat potior pars decimarum, sexta enim earum pars est Parochi, cui insuper in Supplementum competentiæ solebant annuè solvi a præfatâ Abbatiâ XVII. Libræ Flandr. Abbatia de Biloka Ord. Cisterc. Gandavi inibi habet exiguum districtum decimarum.

Hæc Cura Pastoralis, quæ longo temporis tractu communem habuit Pastorem cum Oomberge, Anno 1711. iterum proprium suum accepit Parochum.

Anno 1718. Parochus cessit præfatæ Abbatiæ omnes suas decimas & terræ possessiones, cui solvit præfata Abbatia annuè competentiam 400. flor. cui & novam domum Pastoralem procuravit. Præfata Abbatia de Biloka ratione suarum decimarum contribuit in præfatâ competentiâ partem decimam.

Huic Parochiali subest in spiritualibus. Dominium de *Cottem* quod caret Ecclesia Parochiali, quod anno 1723. acquisivit emptionis tabulis a familia Deynaert cum Dominiis de Burst & Bambrugge *Franciscus van Schille* Advocatus Senatus Flandriæ.

Cæterum notat *A. Sanderus* in suo Gandavo pag. 292. quod *Brunhardus* dedit *S. Petro* quidquid habuit in *Hildegem* sub *Foleardo* Abbate Anno 825.

HUNDELGEM, ab Hunnis nomen sortitum volunt, gentis *Rymiorum* antiquum Dominium. Seculo XV. possiderunt illud *Masminii* unde invenio Ao. 1389. *Philippum Masminium* Eeckæ & Hundelgemii Dominum, cujus exstat in Ecclesiâ Collegiata *B. Mariæ* Teneræmundæ in saxo ad parietem hæc sepulchralis inscriptio.

Hic jacet nobilis vir Dominus *Philippus de Masmines*, Eques, Eeckæ Dominus & Hundelghemi, Magnus Prætor Urbis & territorii Teneræmondensis, qui obiit vigesimo sexto Junii anno CIↃ. CCCXCI.

Devenit hoc Dominium in præfatam familiam Rymiorum initio seculi XVI. per nuptias *Barbaræ Clayssons* De Waellebeke Dominæ de Hundelgem cum *Gerardo de Rym* Consiliario Senatus Flandriæ. Hodie illud Dominium possidet N. de *Waesberge* & *N. Werebroeck* qui jurisdictionem Dominicalem exercet per duos annos & tertio anno præfatus *N. De Waesberge*.

Ecclesia sacra est *S. Amando* Tungrensi Episc. Ejus Patronatum possidet Capitulum Rothnacense.

Decima est tripartita, cujus duæ trientes spectant ad hoc Capitulum, altera triens

triens ad Parochum, qui eſt Paſtor Swalmæ Monachorum, qui hanc curam Paſtoralem adminiſtrat, & ſingulis diebus XIV. in eâ rem divinam celebrat. Præfatus Parochus in Supplementum competentiæ habet annuè a præfato Capitulo Rothnacenſi 50. florenos, & tres ſaccos tritici.

LEEUWERGHEM, Baronatus titulo olim celebre Dominium inter Aloſtum & Aldenardam æquali ferè diſtantia trium milliarium, prout & a Gandavo Ninhovia & Gerardimonte.

Primitus hoc Dominium nomen dedit clariſſimæ familiæ de *Leeuwergem*, & per nuptias a Sottegemienſibus devenit ad *Maſminios*, inde a variis poſſeſſum fuit, quos recenſet *A. Sanderus* tom. II. in Flandriæ Illuſtratæ auctuario parte II. pag. 20. Initio ſeculi XVII. devenit hoc Dominium jure uxorio ad *Philippum de Laloo* Equitem Ord. *S. Jacobi*, dein per nuptias *Iſabellæ de Laloo* hæredis Dominiorum de Leeuwergem Elene &c. tranſiit ad *Valentinum de Lannoy* Urbis Hulſtanæ Præfectum &c. a quâ ſtirpe anno 1707. devenit cum Dominio de Elene emptione publicâ ad *Ludovicum d'Heyne* Dominum de Waterdyck; pretium fuit 36000. flor. Independens eſt ejus loci Toparcha ac liberum ut vocant allodium ſub ſe continens Elene &c. extendit etiam latè juriſdictionis ſuæ alas in pagos circumvicinos Hillegem & Oomberge; conſtituit cum Elene unum tribunal.

Ornatur hoc Dominium inſigni Prætorio, quod præcedenti ſeculo multum reſtauravit & ornavit præfatus *Valentinus Lannoy*, & ejus filius *Eugenius de Lannoy*, prout & hodiè collapſum pulchre indies reſtauratur per præfatum *Ludovicum d'Heyne*. Prætorii hujus ſchema exhibet prout fuit præcedenti ſeculo *A. Sanderus* Flandriæ Illuſtratæ parte II. pag. 20.

In hac Eccleſiâ Parochiali unicum viſitur Sepulchrale Monumentum cujus eſt hæc inſcriptio.

Ob. Monumenti & Ill. *P. de Laloo*. Hujus Dominii Toparchæ, hic ſepulti. Obiit VIII. Idus Decemb. anno M. DC. XX.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Amando* Tungrenſi Epiſc. Ejus Patronatum gerit Abbas *S. Petri* Gandavi.

Decima ſpectat ad Parochum, etiam ea pars exigua Abbatiæ de Biloka Ord. Ciſterc. Gandavi.

Viget in hac Eccleſiâ ſpecialis cultus & peregrinatio *S. Eligii* Epiſc. die 25. Junii, & per octavam, cujus venerandis Reliquiis ditata eſt hæc Parochialis.

LEMBERGE, primo lapide cum dimidio a Gandavo, præfecturæ Rodenſis Dominium, ſpectans ad gentem *Trieſtiam*, quod hodie poſſidet *Theodorus Trieſt* Eques, Vir Conſularis Gandavi &c.

Eccleſia tutelarem colit *S. Aldegundim* Virg. Patronatus ejus ſpectat ad Abbatem Eenamenſem Ord. S. Bened. dono Burchardi Epiſc. Camerac. anno 1126. cujus Diploma proferemus infra in pago Moortzele.

Decima eſt tripartita cujus duæ trientes ſpectant ad Dominam N. de *Jeghem* altera ad Parochum, qui eſt Paſtor in Bottelaere, a quo deſervitur hæc cura Paſtoralis, qui inſuper habet decimas novales.

MASSEME, Gallis *Maſmines*, utrumque in Diplomatibus legitur, Gandavum inter & Aloſtum æquali ferè diſtantiâ. Principatus titulo illuſtrè Dominium, quod olim Nobiliſſimæ familiæ de *Maſſeme* dudum nomen dedit. Datus eſt hic pagus Anno 1228. cum Calckene & Laerne pagi ditionis Teneræmundanæ a *Roberto* Advocato Atrebatenſi & Teneræmundæ Domino in compenſationem dotis Sorori ſuæ *Machtildi* cum *Gilleberto Sottegemio* Raſſengemii Domino, ut patet ex Diplomate apud *A. Miræum* in Donat. Belg. Lib. I. Cap. C I. novæ edit. cujus hic eſt tenor.

Ego ROBERTUS, Advocatus Atrebatenſis, Betuniæ & Teneræmondæ Dominus, notum facio tam præſentibus quàm futuris, quòd omnia quæ habebam in Parochia de CALKENE, quæ Ego tenebam, & quæ à me tenebantur, dedi in feudum Domino *Gilberto de Sottenghem*, liberè cum omnibus juſtitiis majoribus & minoribus: excepto manſo de *Raveſchoot*, ſicut eſt modo clauſum, exceptis etiam quindecim bonariis waſtinæ.

Et ſciendum, quòd homagia, quæ Ego in dicta Villa habebam, mihi remanent. Et ſi homines mei ibidem manentes, exercitus meos vel equitaturas non fecerint, ſicut debent, vel ad placita mea non venerint; Ego pro forefacto tali, ſicut homines mei judicaverint, potero pendeare ſuper feodum, quod mei homines tenent de me & nullam aliam Juſtitiam majorem vel minorem in dicta Villa habebo.

Dedi etiam dicto Gilberto ſimiliter in feodum omnia, quæ habebam in Parochia de *Laerne*, & quæ Ego tenebam, & quæ à me tenebantur: exceptis ſervis & hominibus Advocatiæ, quos Ego habeo in dicta Villa. Bona autem omnia cum alodio, quod dictus Gilbertus habebat in Parochia de *Maſſeme*, & quod habebit in poſterum, recepit ipſe à me in feodum.

Et ſciendum quòd dictam Donationem ei feci pro mille libris, quas ei debebam de maritagio *Machtildis* Sororis meæ, quam ipſe habet in uxorem. Et quia Ego *Michael* Flandriæ Conſtabularius, & Ego *Walterus de Ghiſtelle*, de aſſenſu Domini Roberti de Betune, & Domini Gilberti de Sottenghem, prædictæ rei fuimus ordinatores, ad ipſorum petitiones, & prædictorum teſtimonium, ſigilla noſtra præſenti Scripto duximus apponenda.

1228. Actum anno milleſimo ducenteſimo viceſimo octavo, menſe Martii.

Hoc Dominium manſit in hac ſtirpe uſque ad initium ſeculi XVI. cum per nuptias *Andreæ de Jauce* Domini de Maſtain cum *Margaretâ de Maſſeme* filiâ hereditariâ *Roberti de Maſſeme* & *Iſabellæ de Leeuwergem*, devenit in prædictam familiam de Jauce dictam Maſtain, in qua ſtirpe permanſit uſque ad annum 1559. quo *Maximilianus Villani a Gandavo* nupſit *Philippæ de Jauce* dictæ Maſtain, quæ ei in dotem attulit Dominia de Maſſeme, Weſtrem, cum Oordegem & ipſorum dependentiis, quibus nuptiis devenit in familiâ Gandavenſi, in qua hactenus permanſit. Contractum antenuptialem refert *A. Du Cheſne* in probationibus Genealogicis familiæ Gandavenſis pag. 644.

Porro recenſetur hoc Dominium inter illuſtres & primarias clientelas Curiæ feudalis Teneræmundanæ. Decoratum eſt titulo Principatus in favorem *Balthaſaris Philippi Villani a Gandavo* Anno 1652. a *Philippo IV.* Hiſp. Rege Diplomate dato Madriti die 1. Auguſti, ei uniendo & annexando Calckene, Wettere, Oordegem, Weſtrem & Smetlede.

Erectum in Baronatum.

SE-

SERIES DYNASTARUM ET PRINCIPUM DE MASSEME.

THEODORICUS, Dom. *de Maſſeme* duxit *Mabiliam*, ſuſtulit *Theodoricum*, *Gerardum de Maſſeme* & *Beatricem*. Signat litteras *Theodorici* Comitis Flandriæ Anno 1150. & 1151.

GERARDUS DE SOTTEGHEIN, filius *Goſſuini* Dom. de Raſſenghien duxit *Beatricem* filiam hæreditariam *Theodorici* Dom. de Maſſeme, Laerne &c. An. 1199. quæ ei procreavit *Giſelbertum* Dominum de Raſſenghien & Maſmines, & *Guilielmum*, qui ſubſcripſit acta cum fratre An. 1229. Hic Gerardus reliquit uxorem ſuam *Beatricem* viduam Anno 1221.

GISELBERTUS DE SOTTEGEM, Dom. de Raſſegem duxit *Machtildem* filiam *Guilielmi* de Bethunæ, Sororem *Roberti de Bethunæ* Advocati Atrebatenſis Dom. de Bethunæ & Teneræmundæ, quæ ei apportavit in dotem An. 1228. Maſſeme, Calckene & Laerne, & quædam bona ſita in Wettere a præfato fratre ſuo *Roberto*. Procreavit *Gerardum* Dom. de Raſſeghem, *Robertum de Sottegem* Dom. de Leeuwerghem & Elene, *Giſelbertum* Dom. de Maſſeme, Laerne &c. & *Machthildim* filiam unicam. *Robertus* præfatus ſine liberis mortuus An. 1271. inſtituit ex aſſe hæredem fratrem ſuum *Giſelbertum* Dom. de Maſſeme *Machtildis* uxor *Giſelberti* de Sottegem manſit vidua An. 1238. vel ut *A. Miræus* vult An. 1243.

GISELBERTUS DE SOTTEGEM, alias de Raſſeghien Dom. de Maſſeme &c. filius præfati *Giſelberti*, duxit *Margaretam Dixmudanam*, ſuſtulit *Gerardum* qui ſequitur.

GERARDUS DE RASSEGHIEN, Dom. de Maſſeme, Calckene, Laerne & in Wettere &c. Duxit *Iſabellam de Maldeghem* Dom. de Eecke & Weſſeghem hic obiit 1338. die 7. Maii, illa vero An. 1326. die 10. Januarii, Sepulti in Maſſeme. Huic filius fuit *Gerardus* qui ſequitur.

GERARDUS II. Dom. de Maſſeme, Laerne, & in Wettere duxit *Margaretam de Axelles*, ex quâ

GERARDUS III. *de Raſſeghem* Dom. de Maſſeme, Laerne, Berleghem &c. Duxit *Catharinam de Maldeghem* filiam *Philippi de Maldeghem* & *Mariæ de Grimberghes*, & *Moerſeke*, cujus dote *Berlegemii* Dominium accepit. Signat cum Patre pactum dotale Fratris ſui An. 1366. ex quâ inter alias proles procreatus

WALRAVIUS, Dom. de Maſſeme, Berleghem &c. Duxit *Margaretam de Maerſchalck* filiam *Roberti Tincke* Mareſcalli Comitis Flandriæ Dom. de Blaeſvelt & *Beatricis de Flandria* filiæ naturalis *Ludovici Maleani* Comitis Flandriæ, ex quâ ſuſtulit *Robertum* qui ſequitur & *Iſabellam*.

ROBERTUS, Dom. de Maſſeme, Berleghem, Hemelverdeghem, Uytberghe, Lierde S. Martini & S. Mariæ, Parike, Weſtrem &c. Eques Aurei Velleris. Duxit Anno 1430. *Iſabellam de Leeuwerghem* filiam *Roberti de Leeuwerghem* & *Joannæ de Ghiſtelles*, quæ ei procreavit filiam unicam *Margaretam* hæreditariam de Maſſeme &c. *Robertus* cæſus eſt in prœlio contra Leodienſes apud Bovinas Anno 1430.

MARGARETA, Dom. hæreditaria de Maſſeme &c. Duxit *Andream de Jauche* Dom. de Maſtain An. 1429. ſuſtulit inter alias proles *Jacobum* qui ſequitur. *Andreas* obiit An. 1456. ambo ſepulti Brugeletti.

JACOBUS DE JAUCE, Dominus de Maſtain, Brugeletti, Maſſeme &c. Duxit 1. *Philippam de Lannoy* filiam *Balduini de Molenbaiſæ* ex qua ſuſtulit *Franciſcum* qui ſequitur. 2. nuptiis duxit *Joannam de Barbançon. Jacobus* obiit An. 1499. *Philippa* vero An. 1500. omnes ſepulti Brugeletti.

FRANCISCUS DE JAUCE, Baro d'Heyne Dom. de Maſſeme, ſupremus Prætor Gandavenſis obiit 22. Auguſti 1529. Duxit *Iſabellam vanden Eechoute* dictam de Grimberghe filiam hæreditariam d'Angrelles & Atreppe; filiam reliquit unicam *Jodocam de Jauce. Iſabella* obiit anno 1544. ambo ſepulti in Eccleſiâ de Maſſeme.

JUDOCA DE JAUCE, Dom. de Maſſeme &c. nupſit *Chriſtophoro de Rochendorff*, & *Gunderſtorfi* Comiti, Condati Domino, Mareſcallo Auſtriæ hæreditario, peperitque filiam in infantiâ mortuam, obiit ſine liberis.

GABRIEL DE JAUCE, Comes de Lierde, Baro d'Heyne & Poucques, Dom. de Maſtain, Herimez, Maſſeme &c. filius *Antonii* Dom. de Maſtain. Succeſſit hæreditariè in Dominiis *Judocæ de Jauce.* Duxit *Catharinam de Lannoy* filiam *Philippi* Equitis Aurei Velleris, & *Franciſcæ Barbanſoni*, ex quâ ſuſtulit tres filias, primogenitam *Philippam* Dom. de Maſſeme &c.

PHILIPPA DE JAUCE, Dom. de Maſſeme, Weſtrem, Oordeghem, & eis annexa uxor Anno 1559. *Maximiliani Villani a Gandavo.* Iſegemii Comitis creati Ann. 1582. Baronis de Raſſenghien, S. Jean Steene, Calckene, Wettere &c. Obiit An. 1583. ſepultus in Lomme prope Inſulas. Suſtulit inter alias proles *Jacobum Philippum* primogenitum.

JACOBUS PHILIPPUS VILLANUS a Gandavo Comes Iſegemii, Baro de Raſſenghien, Dom. de Maſſeme &c. Obiit An. 1628. Duxit anno 1586. 1. nuptiis *Odiliam de Claerhout*, filiam *Jacobi* Baronis de Maldeghem &c. & *Franciſcæ d'Ongnyes*, quæ obiit An. 1595. & 2. nuptiis An. 1596. *Iſabellam de Berghes* filiam *Ferrici de Berghes* Baronis Grimbergæ, & *Annæ Sterk* Dom. de Boucquoy, Wynegem, Stabroeck, Lichtaert &c. ex primis nuptiis primogenitus fuit qui ſequitur.

PHILIPPUS LAMORALDUS VILLANUS a Gandavo Comes d'Iſeghem, Baro de Raſſenghien, Dom. de Maſſeme &c. obiit 6. Januarii An. 1631. Duxit *Iſabellam Margaretam De Merode*, filiam *Philippi* Baronis de Frentz, Vice-Comitis Iprenſis, Dom. de Middelbourg & *Joannæ de Montmorency* Baronis de Croiſelles. Ex quâ ſuſtulit *Maximilianum* ſine liberis defunctum An. 1636. *Balthaſarem Philippum* qui ſequitur & alias proles.

BALTHASAR PHILIPPUS VILLANUS a Gandavo Comes d'Iſenghien, de Middelbourg, & d'Ongnyes, Vice-Comes Iprenſis, Baro de Raſſenghien, de Croiſelles, & de Glaion, Dom. de Maſſeme &c. Eques A. V. Gubernator Ducatus Geldriæ &c. Mortuus 27. Februarii 1680. Creatus Princeps de Maſmines Anno 1652. Duxit in Hiſpaniâ *Ludovicam Henricam* filiam *Didaci Sarmiento de Sotomayor* primi Comitis de Salvatierra &c. & *Eleonoræ de Luna*, mortua An. 1675. die 17. Sept. am-

ambo ſepulti Venlonæ in templo F. F. Minorum. Inter proles utriuſque ſexus, procreavit *Joannem Alphonſum* primogenitum, natum Bruxellis An. 1655.

JOANNES ALPHONSUS VILLANUS a Gandavo Princeps de Maſmines Comes de Middelbourg, d'Ongnyes, Baro de Raſſenghien, de Frents &c. creatus a Rege Galliæ Anno 1678. Princeps d'Iſenghien. Obiit Pariſiis 6. Julii anno 1687. Duxit anno 1677. *Mariam Thereſiam de Crevant d'Humieres* filiam primogenitam *Ludovici* Mareſcalli Ducis de Humieres & *Ludovicæ-Antoniæ-Thereſiæ de la Chaſtre*; ex qua procreavit inter cæteras proles utriuſque ſexus *Ludovicum* primogenitum.

LUDOVICUS VILLANUS a Gandavo princeps d'Iſenghien & de Maſmines &c. Mareſcallus Campi & exercitus Regis Chriſtianiſſimi, natus Inſulis An. 1678. die 16. Julii. Duxit 1. an. 1700. *Annam Mariam Ludovicam Principiſſam* de Furſtenbergh, defunctam ſine liberis menſe Januarii 1706. 2. An. 1713. *Mariam Ludovicam Carolinam Pot de Simiane* Marchioniſſam de Rhodes in puerperio exſtinctam An. 1714. & 3. An. 1721. filiam *Antonii Grimaldi* Principis de Monaco, Ducis de Valentinois & *Mariæ de Lotharingia* d'Armagnac.

Sequuntur inſcriptiones Sepulchrales Dynaſtarum de *Maſſeme* quæ ad notitiam noſtram poſt exactam inquiſitionem pervenerunt.

In Eccleſia Parochiali de Maſſeme fuêre olim plura monumenta Sepulchralia Maſminiæ Dominorum, quæ in turbis Belgicis funditus everſa ſunt *D. Lindanus* in ſuâ Teneræmundâ Lib. I. Cap. VI. N. 73. exhibet hæc bina ſubſequentia Epitaphia hic olim fuiſſe.

Septimo die menſis Maii obiit *Gerardus*, Dominus de Maſmines, Miles, cujus anima per Domini miſericordiam requieſcat in pace Amen. Anno CIↃ. CCC. XXXVIII.

Decima Januarii obiit Domina *Eliſabeth de Maldeghem*, Domina de Eecke & Weſſeghem: uxor quondam Domini *Gerardi de Maſmines*, militis, Orate pro anima ejus. Anno CIↃ. CCC. XXVI.

Gerardi gentilitia inſignia erant *Dixmude*, *Axele*, *Maſſeme*, *Nevele*.

Uxoris autem *Maldeghem*, *Rode*, *Ghiſtele*, *Reyghers-Vliet*.

Hæc Monumenta exſtiterunt in anteriori Eccleſia hujus Parochialis humi ante aram Virginis Deiparæ, laminâ cupreâ obducta, cum eorum imaginibus ad vivum expreſſis, quam laminam uti & aliorum alibi hæretica pravitas & rapacitas cum ingenti antiquitatum cognoſcendarum damno abſtulit. Lapis Cæruleus adhuc hodie viſitur. Ita didici ex antiquo Manuſcripto libro ante turbas Belgicas conſcripto & nobis ab amico Nobili Viro gratioſè communicato.

In Choro Eccleſiæ Parochialis Brugeletti prope Athum Hannoniæ oppidum exſtant hæ Sepulchrales inſcriptiones.

Cy giſt Meſſire Andrien de Jauſſe, *Sr. De Maſtain, De Bruggelette, de Herimez, qui treſpaſſa l'an* 1456. *le jour de . . . . .*

Cy giſt Marguerite de Maſmines, *Dame de Maſmines & de Maſtain, qui treſpaſſa . . . . . .*

Ibidem.

Cy giſt Meſſire Jacques de Jauſſe, *Chlr., Sr. De Maſtain, de Herimez, de Bruggelette, Maſmines, Weſtrem, Emelveerdegem, Lierde, de Saſſignies, Court a Bois, Ayſcouſé &c. qui trep. le* 20. *Janvier l'an* 1499. *Et de Dame* Philippe de Lannoy, *ſon Epouſe, qui treſp. en l'an de grace* 1500. *le* 10. *jour de Novembre. Priez pour leurs ames.*

Viſitur Malminiæ in Villâ Principis Iſegemienſis e regione Eccleſiæ lapis Monumenti Sepulchralis olim parieti inſerti in hac Parochiali in turbis Belgicis everſi, ex nigro marmore aureis litteris adhuc hodie clarè conſpicuis *Franciſci de Jaſſe* dicti Maſtain, Maſminiæ Domini &c. illic conditi, cujus eſt hæc inſcriptio: prout nos ipſi vidimus & excerpſimus ut ſequitur.

Cy giſt Noble homme François de Jaſſe, *Chevalier, Sr. de Maſmines, Baron d'Heyne, en ſon temps Grand Baillu de Gand, qui treſpaſſa l'an M. D. XXIX. le XXII. d'Auguſtus.*

Monumentum erat illuſtre Equeſtri effigie expreſſum.

In Choro F. F. Minorum Venlonæ ad latus Aræ Principis viſitur inſigne Marmoreum Sepulchrale Monumentum, cujus hæc eſt inſcriptio.

D. O. M.
Hic requieſcit Domina
D. Principiſſa *Ludovica Henriquez Sarmiento*
Juncta
Avito ſanguine Legionis, Caſtellæ & Portugalliæ Regibus.
Affinitate Regibus Arragoniæ, Navarræ, & Comitibus Foixii.
Conjugio Illuſtma. utriuſque ſexus prole fæcundo.
Excellmo. *D. Balthaſari Philippo de Gand*
Ex veteri Biliuſiæ, & Saxoniæ familia oriundo,
Principi de Maſmines, & Glaion, Comiti de
Iſenghien, & Middelbourgh, Vice-Comiti Iprenſi &c.
Equiti Aurei Velleris, Regiæ Catholicæ Majeſtatis.
Cubiculario, Gubernatori Capitanio generali Ducatus
Geldriæ, & Comitatus Zutphaniæ.

Qui

Qui hoc Monumentum Excell^mæ. Conjugi
Sibique commune ſtatuit.
Illa e vivis abiit Venlonæ 17. Septembris 1675.
Ille 27. Febr. 1680. Defunctam ſecutus eſt,
Uterque ut Deum aſſequatur
Bene precare Viator
R. I. P.

Olim ſplendidum hîc habuêre Prætorium Maſminiæ Domini, cujus ruderâ & fundamentâ adhuc conſpiciuntur; ſed priſtinis bellorum motibus everſum, dirutum, & ſolo æquatum eſt. Pinguior & præcipua hujus Dominii pars ſpectat ad Maſminiæ Dominum. Domus Pitzenburgica, Equitum Teutonicorum in Urbe Mechlinienſi non pauca rura & agros hic loci poſſidet cum univerſâ pagi decimâ, de quâ mox plura.

Bavoniani Monachi Gandavi hic & alibi plurima bona olim poſſiderunt, & fortaſſe omnia, quæ *Arnulphus* Flandriæ Comes ſuæ diviſit nobilitati, teſte *D. Lindano* in ſuâ Teneræmundâ Lib. III. Cap. VII. N. 30.

Quoad rem ſacram Eccleſia inſcripta eſt *S. Martino* Turonenſi Epiſc. Ejus Patronatus olim ſpectavit cum tertiâ parte decimarum ad Capitulum *S. Crucis* Cameraci, quod deinde totum ſuum jus tranſcripſit Domui Pitzenburgicæ præfatæ, ſub annuo cenſu IX. flor. & VII. ſtuferis cum dimidio monetæ modernæ, prout nos ipſi ex Chartulario Domus Pitzenburgicæ excepimus; vigore cujus tranſcriptionis poſſidet hujus Eccleſiæ Patronatum cum tertiâ parte decimarum, eoque titulo plures Ord. Teutonici hujus Domus Presbyteri hanc curam Paſtoralem adminiſtrarunt; ultimus autem Anno 1605. ex quo tempore ſine interruptione deſerviri cœpit per Paſtores de Weſtrem uſque ad An. 1710. quo nos ipſi hanc deſerviturам abdicavimus, & exindè proprium cœpit habere deſervitorem.

In Choro hujus Parochialis Sepulturæ locum nactus eſt *Chriſtophorus Baro de Lutzenrode*, Commendator in Pitzenborch, ſub grandi cæruleo lapide, cujus eſt hæc inſcriptio.

Hier leydt begraven den Hooghweerdigen en Welgeboren Heer / Heer Chriſtofel, **Baron van Lutzenrode des Lofweerdighen Duytſchen Orden Ridder / Commandeur van Pitzenborch binnen Mechelen / mitsgrs. Raedt van ſyne doorluchtige Hooghеyt den Aerts-Hertogh** Leopoldus Willem, **etc. die ſterf den** 22. **September** 1657. **Wiens ziele Godt genadich ſey.**

Quarteria.

Lutzenrode. Gimminich. Sebach. Hathfelt.
Coetshauſe. Viſchel. Broel. Orsbach.

In extremitate hujus Dominii Gandavum versus olim fuit Hospitale, erectum & fundatum a *Beatrice* Domina de Masseme circa annum 1220. ad vagos hospitandos & pauperes reficiendos. Diploma fundationis profert *A. Miræus* in Not. Eccles. Belg. Cap. CLII. novæ edit. cujus hic est tenor.

Notum sit omnibus, quòd ego *Beatrix* Domina de Masseme, per consensum Filiorum & Filiarum mearum, ad consulendum animæ meæ & cari Mariti mei *Gerardi* de Sottengheem piæ memoriæ in wastina mea jacente prope Masseme, ad vagos hospitandos & pauperes reficiendos, novam Domum, scilicet Hospitale, feci constrùi & ædificari.

Ad eamdem verò Domum sustentandam novem jugera terræ de præfata wastina, & duos manipulos liberæ decimæ Allodii mei in Masseme in perpetuum contuli.

Ad opus autem Capellani, in eadem Domo celebrantis, sexdecim mensuras terræ ad *Willemskerke* jacentes, quas Godefridus tenuit tribui.

Ut hoc autem ratum permaneat, præsens Scriptum Sigillo nostro & Sigillis Filiorum meorum feci communiri.

Verum hoc Hospitale succedentibus temporibus desiit, & tandem in oblivionem abiit; ita ut hodiè nulla ejus exstet memoria, bona, & duæ partes decimarum de Masseme, quæ erant hujus Hospitalis, dein occupavit præfata Domus Pitzenburgica, quæ hodie etiam cætera bona hujus Hospitalis possidet; sed quo jure aut titulo, hactenus indagare non potuimus.

MELLE, in Diplomatibus *Melna* legitur, distat primo lapide a Gandavo viâ Alostanâ, amæno cumprimis loco ad Scaldim fluv. sita, Præfecturæ Rodensis dominium, ad cujus Marchionem de gente *Rodrigues* hodie spectat; in sacris protendit se ultra Scaldim in pago de Heuldene, qui vicus ea ratione vocatur *Den Melle-hoeck.*

In hoc pago prætoria sua habent non parum venusta cumprimis *Jacobus Coppieters* Dom. de Hollebeke, situm in vico Quaetrecht, item N. Bellemans situm juxta novam viam lapideam, item *Livinus Triest* Dom. de Ronsele, situm ad Scaldis ripam.

Hic loci viluntur vestigia insignis olim Prætorii, nuper *Ludovici de Melun* Marchionis de Richebourg, hodie ejus hæredis Marchionis de Becelaere, quod olim inhabitavit *Sigerus Cortracensis*, famosus ille & inter Magnates potens, diversus hic erat ab illo, quem vulgo *Courtrosyn* vocant, cui anno 1837. ad Castrum Rupelmondæ cervix jussu *Ludovici Nivernensis* Flandriæ Comitis fuit præcisa, in hoc autem prætorio fundata fuit Capellania Castralis cum onere trium missarum hebdommadatim, fundata præcipuè in decimis hujus pagi a præfato *Sigero Cortracensi* Mellæ Domino, quæ & Capellania de *Courtrosyn* hodiedum nuncupatur. Spectavit ejus collatio nuper ad præfatum Marchionem de *Richebourch*, post cujus mortem ad ejus filiam nuptam Marchioni de Becelaere de gente de *Woestyne* hoc jus cum cæteris ibidem bonis devolutum est.

Ecclesia sacra est *S. Martino* Turonensi Episc. Ejus Patronatum gerit Persona hujus Parochialis, qui Personatus Anno 1643. per Illustrissimum *D. Jacobum Boonen* Archiep. Mechl. erectus est in Canonicatum in Ecclesiâ Metropol. *D. Rumoldi* Mechliniæ.

Decimarum varii sunt participes, etiam sæculares, quarum non exigua portio spectat ad præfatum Personatum, quem modo potitur *Alexander Ludovicus Roose* J. U. L.

In hoc pago conspicitur jucundo situm loco ad Scaldim, Cœnobium Canonicorum Regularium *S. Augustini* Congregationis & Capituli Windesemensis,

sis, quod ad Annum 1531. (ut archiva docent) fundavit Vir Nobilis *Ludovicus van Hole* Civis Gandavensis, vocaturque Cœnobium *B. Mariæ Ten Hole* in Parochiâ de Melle ditionis Aloſtanæ. Fundat autem illud in suo fundo, & dotat de suis bonis pro VIII. Canonicis, quorum sex erunt Sacerdotes, aliisque duo non Sacerdotes, donec de numero eidem loco de pluribus bonis fuerit prospectum, sub uno Priore ad VII. horas Canonicas quotidiè decantandas, celebrandumque solemne sacrum, pro anima sua, ac majorum suorum, nec non posterorum benefactorum. Factum id coram Scabinis Gandavensibus sexta Julii Anno 1431. Litteræ sunt conscriptæ Flandrico idiomate, quæ apud nos latent.

Exstant etiam litteræ erectionis sub *Joanne* Episc. Camerac. 21. Januarii eodem anno. De hac fundatione ulterius tractat *A. Sanderus* Flandriæ Illustratæ tom. II. pag. 503. & cujus Iconismum illic exhibet.

Seculo XVI. hoc Cœnobium tumultibus Belgicis & bellorum motibus mirum in modum attritum est, ac pro magna sua parte exustum, ac totaliter ferè in cineres abiit; ita ut Religiosi exulare compulsi sint, & aliquot annis dein in Xenodochio Urbis Hulstanæ se continuerint, ex quibus ruinis rebus pacatis nonnihil surrexit & respiravit, ædificiis & templo reparatis aut exstructis.

Cæterum hoc Cœnobium Colonia est seu filia *Busci Domini Isaaci* Diœcesis Cameracensis ac Comitatus Hannoniæ Monasterii propè Nivellas. Sepultus hîc fundator *Ludovicus van Hole Franciſci* filius ante aram Principem; sed lapis Sepulchralis, & litteræ per turbas Belgicas evanuerunt, inscriptionem tamen hujus Sepulchralis Monumenti invenimus in libro Manuscripto ante motus Belgicos exarato ut sequitur.

Hier licht Lodewyck van Hole, **F'.** François, **die dese Clooster dede fonderen op syn erve ter eeren van Godes / ende gaf daertoe lant ende renten / om daer mede te singen eeuwelyck de seven getyden / over syne Ziele ende alle Zielen / die starf int jaer** 1448. **den** 29. **dach van December.**

PRIORES MONASTERII IN MELLE.

Ad hanc Coloniam plantandam venit de mandato *Joannis de Liedekercke* Episc. Camerac. ex Monasterio Silvæ-Isaacanæ *Henricus Nulaets* cum quinque Religiosis *Joanne Maseselle*, *Joanne de Merica*, *Joanne de Poperinge*, *Joanne Hofmackere*, & *Joanne Vrancx*, a quibus primus Prior electus est.

Joannes de Merica, sive *vander Heyden*, qui ibidem obiit An. 1447. die 6. Martii.

Joannes Pinsalinck, Religiosus Septifontium, inde Ao. 1448. electus Prior in suæ Professionis Monasterio, in quo obiit An. 1470.

Joannes Vrancx. Obiit Anno 1475. die 26. Februarii.

GERARDUS FABRI.
PAULUS BRUNGAERTSOEN.
JUDOCUS DE PONTE. Obiit An. 1511.
GERARDUS TRIEST. Obiit 20. Martii An. 1534.
BARTHOLOMÆUS MEERBEKE. Obiit An. 1548.
JACOBUS GOETHALS. Obiit An. 1550.
CORNELIUS VANDER MOUREN. Obiit 27. Septembris.
JOANNES DE BRUNE. Obiit Anno 1565.
CORNELIUS SERLAMBRECHTS. Obiit An. 1595. die 20. Martii.
FRANCISCUS TORRENTIUS. Obiit Anno. 1605.
JACOBUS COIANUS. Obiit Anno 1617.
HENRICUS VAN HOLE. Obiit Anno 1634.
REYNERUS HALSBERGHE. Obiit An. 1646.
MELCHIOR MATTON. Obiit An. 1678.
JACOBUS MARIEN, Religioſus Monaſterii de Bethleehem, inde Anno 1683. electus prior in Monaſterio ſuæ Profeſſionis, in quo obiit An. 1702.
JOANNES BAPTISTA COCK. Obiit Anno 1703.
JOANNES BAPTISTA PAIGE, ex Monaſterio Rubeæ Vallis. Ceſſit Anno 1713.
LAURENTIUS FLORIS, ex Monaſterio Septifontium, electus Prior Anno 1713. qui hodiè præeſt.

Hanc Seriem ex Tabulario hujus Monaſterii manu propriâ excepimus, & nonnullos in eo omiſſos, ac alibi inventos ſuo loco addidimus.

MERELBEKE, in Diplomatibus *Marlebeca* legitur, primo lapide a Gandavo, quem irrigat Scaldis fluvius, qui Aldenardâ Gandavum tendit, pagus hic partim arabilis, partim Saltuoſus eſt, continet ultra mille terræ bonaria.

Hoc Dominium tranſiit initio ſeculi XVII. e gente *vander Cameren*, in qua dudum hæſerat, in gentem *Trieſtiam*, ex qua illud primus acquiſivit *Antonius Trieſt* Eques, & Conſul Gandavenſis.

Dominium inſigni Prætorio hortoque inſtructum eſt, quod hodie potitur *Theodorus Trieſt* Eques, Vir Nobilis & Conſularis Gandavenſis.

In hac Parochiali in Sacello *S. Eligii* viſitur Monumentum Sepulchrale *N. Vander Cameren* ejuſque Conjugis tumbâ elevatâ, litteris pleriſque obſoletis & fractis obiit Ao. 1372. qui fundavit in hoc Sacello tria ſacra hebdommadatim.

Ante aram principem apud F. F. Recollectos Gandavi in magno ſaxo cæruleo humi legitur hæc inſcriptio Sepulchralis.

M. S. Sta Viator & lege, hunc ſibi poſteriſque ſuis locum delegit vivus, quem tegeret mortuus *Antonius Trieſt Judoci* filius, Eques Auratus Lovendegemii, Ruddershove, Merelebeke, & Lemberghe Toparcha. Vir præſtantiſſimis animi virtutibus, dotibus, & patriæ ſuæ Conſulatibus ſummâ cum laude clarus, pluribus dignum intercepit mors Anno 1621. 23. Aprilis cum vixiſſet ipſe annos 75. optimus maritus, optima præ-

præfuit conjux *Anna de Vos*, Nob. V. *Joïs* Eq. Aurati Dñi de Herlebaut filia, non hic, ſed in D. Bavonis majorum ſuorum Monumento illata Ao. 1577. 24. Oct.

Quarteria,

Trieſt, Van Hoyen, Borluut, Gorges.
De Vos, Schoriſſe, Blaſere, Vos.

Eccleſiæ tutelarem colit *S. Petrum* Apoſtolorum Principem, ædificata fertur a *Roberto Friſio* Flandriæ Comite teſte Chronico Aldeburgenſi & J. Meyero in ſuis Flandriæ Annalibus. Ejus Patronatum gerit Abbas *S. Petri* Gandavi dono *Odonis* Epiſc. Camerac. Anno 1108. cum ſuis appenditiis, ſcilicet Bottelaers, Schelrode & Munte, quæ hodie Parochiales Eccleſiæ ſunt, & jam dudum ſuos habuere Parochos.

Decima eſt tripartita cujus duæ trientes ſpectant ad præfatam Abbatiam, reliqua triens ad Parochum cum novalibus.

In hoc pago (teſte *A. Sandero* in ſuo Gandavo pag. 453.) per aliquot annos moratæ ſunt Moniales Cœnobii *Ter Haeghen* Ord. Ciſterc. An. 1269. animo hic ſtabilem ſedem ponendi, quam dein Anno 1272. prope Axelam poſuerunt, indeque propter illuviones aquarum recedere compulſæ ſunt, & Gandavum ſe receperunt, quæ Abbatia ibidem floreſcit.

Viget hic cultus & Veneratio *S. Eligii* Epiſc. ibique Capella huic Divo ſacra, & peregrinatio populorum.

MOORTZELE ſecundo lapide a Gandavo, Præfecturæ Rodenſis, ad cujus Marchionem pridem ſpectavit, nunc ad ejus natos indiviſim devolutum eſt. Hallucinatur *A. Sanderus* in Flandriâ Illuſtratâ Tom. II. pag. 508. dum putat hunc pagum eſſe qui eſt *Moorſele* prope Aloſtum, in quo quievit *S. Gudula* Bruxellenſium tutelaris & Patrona, cum ab eo diverſus ſit.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Amando* Turgrenſi Epiſc. Ejus Patronatus ſpectat ad Abbatem Eenamenſem Ord. S. Bened. prope Aldenardam.

Burchardus Epiſcopus Cameracenſis anno 1126. confert Abbati Eihamenſi Altare de Lembergis, uti patet ex hoc Diplomate a moderno Abbate nobis transmiſſo initio hujus anni 1725.

Ex Archivis Abbatiæ Eenamenſis.

In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. *Burchardus* divinâ miſeratione Cameracenſium Epiſcopus tam futuris quam præſentibus in perpetuum. Scripturâ atteſtante quæ ait vide cui benefeceris, & erit gratia in donis tuis. Multa commonemur ne indiſcetè largiamur. Conſilio itaque Clericorum noſtrorum ſupplicationi filii noſtri Giſleberti Eihamenſis Abbatis condeſcendimus, & Eccleſiæ S. Salvatoris cui præeſt, & noſtræ ſollicitudini incumbit. Altare S. Amandi de Mortſela & Altare S. Aldegundis de Lembergis, libera & ſine perſonâ ſalvis noſtris & miniſtrorum noſtrorum debitis, conceſſimus. Ad arcendas verò quaslibet importunitates, in prævaricatores quoad reſipuerint Anathema expoſuimus, atque canonicâ ſubſignatione noſtrâ, quod ſubimaginatione hujus noſtri decreti paginam aſſignavimus. S. Anſelli eorumdem Altarium Archidiaconi. S. Joannis Archid. S. Erliboldi Præpoſiti & Archid. S. Theodorici Archid. S. Girardi Archid. Signavi Giſlebert Abbatis. S. Oilardi Decani. S. Rotberti Cantoris. S. Hadewini. Widonis. Radulfi. Runiordi. Hugonis. Gualcheri. Lamberti. Bernardi. Petri Canonicorum. Actum anno incarnati verbi M. C. XXVI, indictione IIII. præſulatus Domni Burchardi XI. Ego Gueremboldus Cancellarius ſubſignavi.

Decimarum participes ſunt pro duabus tertiis præfata Abbatia Eenamenſis cum Parocho, quas per interim ceſſit totaliter Parocho, tertia pars eſt ſecularis ſpectans ad viduam *N. Gillis*, Advocati Gandavi.

Hic loci plura fuêre Nobilium Prætoria Gandenſium, interque ea quod gentis erat *Sanderiæ* non parum eminebat; ſed bellorum & temporum injuria multum attrita ſunt.

MUNTE altero lapide a Gandavo, Præfecturæ Rodenſis Dynaſtia, contigua præfatæ Parochiæ de *Moortzele*, peculium Marchionis Rodenſis. Manſit per plura ſecula penes gentem Nobilem & Conſularem Gandavenſem, cognominem *De Munte*, quæ connubia cum variis Nobilibus familiis Gandavi & alibi contraxit, teſte l'Eſpinoyo in ſuis de Nobilitate Flandricâ commentariis Gallicis ſignanter pag. 278. & 613.

Prætorium illic viſitur ſpectabile quod dudum fuit penes Barones de Brouchem dein Baronis de Riviere, ejusdem Prætorii incolæ, conditi in hac Eccleſiâ, quorum armaria in Eccleſiâ illic viſuntur. Ab hac familiâ nuper emptione publicâ devenit ad N. Borchgrave cum non exiguâ parte decimarum, & pluribus agri poſſeſſionibus; hodie ſpectat ad *N. van den Bende*.

Eccleſia ſacra eſt *S. Bonifacio* Moguntinorum Epiſc. & Mart., ſub Patronatu Abbatis *S. Petri* Gandavi, decorata nuper Venerandis Reliquiis S. S. Crucis cum Indulgentiis Anno 1718. a Sancta Sede obtentis.

Decimarum potior pars ſpectat ad Parochum cum Novalibus, cui præfatus Abbas ceſſit ſuas quas illic poſſidebat decimas, cum onere quod excedit portionem congruam, reparationis Eccleſiæ.

Cæterum plurimi in hoc pago poſſident exiguum diſtrictum decimarum quos nimis longum foret recenſere, cum ſint numero XV.

OOMBERGE ſive *Homberghe*, *Eſpinoyus* vocat *Oyenberghe* pag. 273. Nobiliſſimæ (ſi verbis utar *J. van Waesberghe* in ſuo Gerardimontio) *Dammanorum* Familiæ, vetus peculium Gandavi, *Meyeri*, *Marchantii*, *Guicciardini*, aliorumque hiſtoricorum paginis commendatæ in Clientelâ Baronis Boularienſis.

Hoc Dominium primitus invenio fuiſſe penes gentem *D'Oyenberghe*, deinde per nuptias in familiam de *Lombeke*, dein per ſimiles nuptias circa Annum 1408. ad gentiles *vander Meerſch*, huic Ao. 1442. item jure nuptiarum ad *Nicolaum vander Sickelen* Dom. de Nazarette & Zeeuwerghem, inde iterum per nuptias obvenit *Joanni Pignon*, a quo hoc Dominium emptionis tabulis ſuæ familiæ acquiſivit circa annum 1530. *Joannes Damman* cognomento dives, Vir Nobilis & Conſularis Gandavi.

Erectum in Vice-Comitatum.

Hoc Dominium erectum eſt in Vice-Comitatum in gratiam *Gaſparis Damman* Equitis a *Philippo IV.* Hiſp. Rege Anno 1645. Diplomate dato, Madriti die 17. Januarii. Ibidem eſt inſigne Dynaſtarum prætorium, quod nobis exhibet *A. Sanderus* in Flandriâ Illuſtratâ tom. II. pag. 526.

Porro hoc Dominium annis plurimis poſſedit noſtrâ ætate *Carolus Damman*, præfati Gaſparis filius, poſt cujus mortem ſine liberis defuncti, Anno 1721. die 18. menſis Junii, devenit jure ſucceſſionis ad *Carolum Franciſcum de Preudhomme d'Ailly* Baronem de Poucques, Sororis præfati *Caroli* filium, qui cum brevi poſt ſcilicet ultimâ Auguſti ejusdem anni cœlebs fatis conceſſit, ejus Hæreditas & ampla poſſeſſio devoluta eſt ad *Marcum Antonium Albertum de Preudhomme d'Ailly*, Vice-comitem Neoportenſem, qui vix anno elapſo,

elapſo, vita ſimiliter exceſſit Anno 1722. de 11. Septembris relicto filio unico, annorum quatuor.

In Eccleſiâ Cathedrali D. Bavonis Gandavi viſitur inſigne monumentum marmoreum in ſacello trium regum, Parieti inſertum *Joannis Damman* Toparchæ d'Oomberge &c. cum hac inſcriptione.

D. O. M.

Memoriæ & Virtuti Nob. V. *Joanni Damman* Oomberghæ, Varnoiſer, Burghgracht, Vromenhove Domino, qui difficillimis temporibus Gandavi Patriæ ſuæ Primarius Conſul, eademque æquitate ſummâ cum fortitudine & conſtantiâ egregiè perfunctus, Regi fidus, Civibus juxta ac magnatibus carus, omnibus gratus, vitâ & honore defunctus cœlo animam, terræ corpus hic reliquit, aſſitâ ſibi dulciſſimâ conjuge Nob. Matr. *Joanna van Waelbrouck* Dña de Houthage, obierunt ipſe V. menſis Julii An. Sal. Chr. 1581. iſta 24. Novemb. 1605.

Nundinæ annales hic binæ celebrantur, poſtridie feſti inventionis S. Crucis die IV. Maii, & XXX. Julii.

In ſacris Eccleſia tutelarem colit *S. Martinum* Turonenſem Epiſcopum. Patronatum hujus Parochialis obtinuit Abbatia *S. Giſlini* Ord. S. Bened. Anno 1147. dono *Nicolai* Epiſc. cum decimis Anno 1438. prædicta Abbatia ceſſit has ſuas quas hic poſſidebat decimas Toparchæ, ſimul cum decimis pagi de Raiſſegem ſub annuo cenſu XIV. Librarum Flandricarum hodiernæ monetæ, qua ratione poſſidet Toparcha hujus Abbatiæ decimas in hoc pago pro duabus trientibus, reliqua triens eſt Parochi.

Chorus hujus Parochialis multum reſtauratus & decoratus eſt per præfatum *Carolum Damman* Dynaſtam Anno 1701. ut ſaxum indicat exterius parieti inſertum, cujus eſt hæc inſcriptio.

1701.

D. O. M. *Cette Cheur a eté baſty par ordre & liberalité de Haut & Illuſtre Seigneur, Monſeigneur* Charle Damman, *Viſcomte d'Oomberghe, & d'Eſſche, Seigneur de Vilaines &c. a la plus grande gloire de Dieu, & de la Ste. Vierge Marie.*

OORDEGEM. Caput hujus Decanatus. Situs eſt hic pagus viâ novâ lapideâ loco eminentiori, tertio lapide a Gandavo. Dominium ejus jam dudum fuit in illuſtri familiâ Gandavenſi, in quâ per nuptias *Maximiliani Villani a Gandavo* cum *Philippa de Jauce* dicta *Maſtain* cum aliis vicinis dominiis Anno 1559. devenit, uti diximus pluribus in pago de Maſſeme ſupra, in quâ Nobili ſtirpe perſeverat.

Hic pagus poſſidetur in Clientelâ Comitis Aloſtani, in temporalibus ſubcenſetur huic Dominio medietas ferè pagi de *Ottergem*, licet in ſacris totus ſubſit Parocho de Eerdegem, uti ſuo loco ſupra diximus.

Porro in hoc pago eſt Dominium de *Landegem*, clientela Abbatiæ Affligemienſis. Anno 1708. emptione publicâ illud acquiſivit *Petrus Huens*, habetque inibi ſuam juriſdictionem perſonis & locis diſtinctam. Excercet per ſuum Baillivum & Scabinos hujus loci Dynaſta juſtitiam Civilem, non autem Criminalem, quia ſi quemquam criminis accuſatum, convictum & condemnatum habeat, illum tradit Baillivo de Oordegem ut ſententiam in executionem mittat.

In hac Parochiali exſtant inſcriptiones ſepulchrales Dominiorum de *Landegem* ſequentes.

Theodorus vander Piet, **Heere van Landeghem ende Boeyghem etc. Jongman out** 68. **Jaaren is geſtorven** 8. **Octobris** 1660. **Bidt voor de Ziele.**

Aliud.

Cy giſt le Noble homme Pedro Huens, *Sr. de Landegem Boeyghem, &c. qui mourut le* 24. *d'Aouſt* 1716.

Et Noble Dame ſon Epouſe Catharine Carolina Craywinkel *de Sombeke, la quelle mourut le* 28. *d'Aouſt* 1710. *& leurs ſucceſſeurs.*

R. I. P.

Eccleſia tutelarem veneratur *S. Martinum* Turonenſem Epiſc. Patronatus ejus eſt Archiepiſcopi hujus Diœceſis jure Abbatis Affligemienſis, ad quam Abbatiam ſpectat etiam præcipua & potior pars decimarum, ibique non pauca rura & ſylvas poſſidet. Eccleſia hujus Parochialis habet notabilem diſtrictum decimarum.

A. Miræus in Cod. Piar. Donat. Cap. XCVIII. novæ edit. exhibet Diploma quo Anno 1194. *Theodoricus* Comes Aloſtanus reparat damna Monaſterio Affligemienſi illata, & inter alia concedit prædictæ Abbatiæ Sylvam Fratrum apud Ordengem, quam ſeculari poteſtate vendi & ſuccidi prohibuerat. Præfata Abbatiâ in hoc Pago ſuum habet tribunal, Majorem & Scabinos ſuper realibus jus dicentes.

Ad commendationem hujus loci facit Archipresbyteratus huic Eccleſiæ circa annum 1623. annexus, qui antea erat in Ooſterzele.

Appendix hujus Parochialis eſt *Smet-Lede*, ejuſdem familiæ Gandavenſis vetus peculium. Quomodo autem in hanc familiam devenerit ſupra dictum eſt, ne cogamur eadem ſæpius repetere.

Eccleſia ſacra eſt *S. Pharaildi* Virg. Univerſa hujus pagi decima ſpectat ad Parochum de Oordegem, qui etiam poſſidet notabilem diſtrictum decimarum in Oordegem. In hac Eccleſiâ eſt Capellania *B. Mariæ* cum onere duarum miſſarum hebdommadatim. Anno 1676. hæc Capellania annexa eſt Paſtoratui, ut ex ejus fructibus ſuſtentetur Vicepaſtor.

OOSTERZELE præfecturæ Rodenſis Dominium, ſpectans ad ejus Marchionem, ſecundo lapide cum dimidio à Gandavo. Pagus eſt magnæ extenſionis & magnitudinis, continens ferè mille bonaria.

In

In hoc pago eſt inſigne Dominium *Ter Burght* gentilium *Del Vael*, hodiè jure Succeſſionis primogenituræ ſpectans ad *Maximilianum Guilielmum Del Vael*; dependet a Curia feudali de Schelderode, & Ooſterzele; ſuum habet tribunal, Baillivum, Meyerum, Grafiarium & Scabinos. Hoc Dominium extendit inſuper juriſdictionis ſuæ alas in plures circumvicinos pagos, videlicet Schelde-Windeke, Mortzele, Schelde-Rode, Bottelaer, Munte & Bavegem.

Eccleſia ſacra eſt *S. Gangulpho* Confeſſ. cui olim annexus fuit Archipresbyteratus, prout videre eſt in Synodo Provinciali Mechl. anno 1607. Sed circa annum 1623. Caput hujus Archipresbyteratus conſtitutum eſt Eccleſia Parochialis de Oordegem, eaque ratione Eccleſia ejus vocatur Archipresbyteratus ſeu Decanatus de Oordegem.

Patronatum hujus Eccleſiæ gerit Abbas Eenamenſis Ord. S. Bened. Decima diviſa eſt in ſex manipulos, quorum ex æquo participant pro tribus partibus præfata Abbatia, duos percipit Abbatia de Foreſto Ord. S. Bened. prope Bruxellam, & ſextam reſtantem Parochus cum medietate Novalium, cui inſuper a præfatis decimatoribus in Supplementum competentiæ annuè ſolvuntur XXI. Libræ Flandr. Certum ibidem diſtrictum decimarum percipit Capellania B. M. V. in eâdem Eccleſia fundata, quæ gravata eſt duabus miſſis hebdommadatim.

In ſacris hujus Parochialis appendix eſt vicus de *Bruynsbeke* qui in temporalibus ſubcenſetur pago & Dominio de *S. Lievens-Hauthem.*

Viget in hac Parochiali cultus & veneratio *S. Rochi* pro peſtiferis Patroni & ſolemniter ejus celebratur feſtum die XVI. Auguſti, ac ſolemnis eo die fit Supplicatio ad Capellam hujus Sancti quadrante horæ diſtantem ab Eccleſia hujus Parochialis.

Anno 1716. exſtructum eſt a *Carolo Maelcamp* Mercatore potente, & Cive honorato Gandavenſi nitidum & illuſtre Sacellum, a Parochiali ferè diſtans horæ quadrante, viâ quæ Gandavo tendit Gerardimontem, dicata Virgini Deiparæ Lauretanæ, decorata anno 1717. Venerandis *S. S. Crucis* & *S. Rochi* Reliquiis.

OUDENHOVEN S. GAUGERICI, vernaculè *Ste. Guericx Oudenhoven*, præfecturæ Sottegemienſis, Dominium Comitis Egmondani.

Prætorium hic loci olim habuêre Raſſingemii, quod dein per nuptias fuit familiæ Gandavenſis; at injuria temporum & priſtinis bellorum motibus ita attritum, ut nihil de eo ſuperſit.

J. van Waesberge in ſuo Gerardimontio pag. 94. narrat quomodo *Adrianus Villanus* Raſſingemii Dominus Anno 1490. die 12. Junii cum deſerto *Adolpho Clivio* cum *Maximiliano* Romanorum Rege & Vidua *Mariæ Caroli* Audacis filiæ in gratiam rediiſſet, Gandavoque ad domum ſuam quam in *Oudenhoven S. Gaugerici* habebat cum quatuor famulis properaret a XVI. Cliviis Equitibus ex inſidiis invaſus, dimidio ab urbe milliari multis vulneribus confoditur, cujus cædis expiatio *Maximiliano* Cæſari multum curæ fuit, cui tandem certis conditionibus ſatisfactum eſt die 21. Martii 1492. annuentibus defuncti conſanguineis; inter cætera autem conventum, ut miſſa hebdommadaria pro refrigerio animæ ejus peragatur, item annis ſingulis ejus Anniverſarium die quo mortuus eſt, quæ peragantur hodiedum annuè in Parochiali de Raiſſegem, de quâ ſtatim agemus. Vide *A. Du Cheſne* in probationibus familiæ Gandavenſis pag. 634. & *l'Eſpinoy* de la Nobleſſe de Flandre pag. 739.

Ecclesia (ut nomen indicat) sacra *S. Gaugerico* Camerac. Episc. Ejus Patronatus spectat ad Abbatem *S. Martini* Ord. Præmonstr. propè Castelletum Picardiæ oppidum, qui modo Archiepiscopus Senonensis, qui cum Pastore percipit hujus pagi decimas; sed portiones inæquales sunt, nam Pastoris portio vix transcendit quartam partem, qui solus percipit decimas lini & seminum caulium vulgo *'t Cool-Saet*.

Cæterum præfatus *A. Du Chesne* in Historiâ Genealogicâ familiæ Gandavensis pag. 415. refert quomodo *Joannes Masminius* Dominus de Calckene Anno 1436. obtinuerit pro vitâ suâ, item matris suæ *Margaretæ de Gistelles* & *Antoniæ* filiæ ejus Decimas præfatæ Abbatiæ hujus pagi a *Laurentio* Abbate & Conventu hujus Abbatiæ sub annuo censu.

Hæc Cura Pastoralis deservitur per Parochum de Strype.

Vetus Baronatus.

RAISSEGEM, vernaculè *Reesegem*, Illustre titulo veteris Baronatus, & antiquum familiæ Gandavensis Dominium, in fide & clientelâ Gaveranæ Principis. *Espinoyus* a Sottegemiensibus loco cognominem familiam de *Raissegem* ortam existimat, inde ad gentem de *Gavere* migravit, in qua dudum permansit, donec anno 1447. in familiam Gandavensem pervenit.

Possedit hunc Baronatum nostrâ ætate Illustrissimus *D. Franciscus Villani a Gandavo* Tornacensis Episcopus, tamquam hæreditatis paternæ peculium cum Borsbecâ, Oordegemio & Smetlede, post cujus obitum anno 1666. devenit ad *Balthasarem Philippum Villani a Gandavo* primum Masminiæ Principem &c. ex fratre nepotem, in quâ illustri stirpe hactenus perseverat.

Hic loci quondam stetit insigne Castellum Dynastarum Rassingemicnsium, sed pristinis bellorum motibus & injuriâ temporum interiit.

Ecclesia inscripta est *S. Mauritio* Mart. Ejus Patronatus spectat ad Abbatem *S. Gisleni* Ord. S. Bened. in Hannoniâ, quem obtinuit Anno 1147. a *Nicolao* Episc. Camerac. cum non exiguâ parte decimarum. Diploma hujus donationis exhibui in pago de Herzeele.

Cæterum has decimas cum illis de Oomberga dein cessit hæc Abbatia Anno 1438. Dynastis de Oombergâ sub annuo censu XIV. Libr. Flandric., dein hæc decima viâ emptionis a prædictis Toparchis devenit ad varios, a quibus tandem Anno 1682. die 5. Februarii in Supplementum 200. flor. annue vindicata est a Pastore in Senatu Flandriæ & ita accessit Pastoratui de Raissegem; ita ut potior pars decimarum hujus pagi ad hanc curam Pastoralem hodiè pertineat, quæ deservitur per Pastorem de Borsbeke, Ecclesiæ hujus Parochialis & mensæ pauperum competit notabilis districtus decimarum, quas dividunt inter se; ita ut Ecclesia habeat duas partes & mensa S. Spiritus, seu pauperum partem tertiam istius decimæ. Valent ordinariè simul XX. Libras Flandr.

Abbatia de Biloka Ord. Cisterc. Gandavi & Matricularius, habent inibi exiguam valde partem decimarum.

In hac Ecclesia sunt plures fundatæ Capellaniæ, interque eas Capellania *B. Mariæ* Virg. ad collationem Toparchæ cum onere missæ quotidianæ; sed missæ celebrantur hodie pro ratione fructuum.

Deservitur hæc cura Pastoralis per Parochum de Borsbeke.

SCELDE-WINDEKE, Antiquitus *Wenteca*, *Winti-Scalde* & *Wiendeca* in Diplomatibus legitur, vocatur autem *Schelde-Windeke* ad distinctionem alterius *Windecæ* ad Teneram fluvium in Decanatu Gerardimontensi.

Di-

Distat secundo lapide cum dimidio Gandavo, Præfecturæ Rodensis. Ejus Dominium nuper ex familiâ Marchionis Rodensis devenit jure uxorio ad *Ægidium Dons* Baronem de Lovendegem, *N. D'Hooge &c.*

Abbatia *S. Petri* Gandavi inibi habet Dominium dictum *Berchem ter Spiegelen.*

Ecclesia tutelarem colit *S. Christophorum* Mart. Ejus Patronatus spectat ad Capitulum Metropolitanum Cameracense, cui competit potior pars decimarum, ex quibus Pastori annue datur Supplementum competentiæ in granis & nummis, qui etiam habet parvum districtum decimarum, item Pastor in Balegem, Ecclesia inibi notabilem possidet partem decimarum, item de decimis etiam participant Marchio de Rodes, & varii seculares.

SCHELDE-RODE, Præfecturæ Rodensis caput; Antiquus & Illustris Baronatus, ita dictus est quod ad Scaldim situs sit, primo lapide cum dimidio a Gandavo. *Antiquus Baronatus.*

Præfectura Rodensis seu de Rodes complectitur sub se Vicos seu pagos XVII. scilicet *Shelde-Rode*, *Bottelaer*, *Munte*, *Meile*, *Ghentbrugge*, *Schelde-Windeke*, *Balegem*, *Moortzele*, *Oosterzele*, *Gontrode*, *Lantscauter Vliederzele*, *Bavegem*, *Ghysenzele*, *Letterhautem*, *Berlegem & Melsene.*

Olim hic fuit Castellum Dynastarum, locus & vallum monstratur, sed injuriâ temporum destructum.

Anno 1682. erectus est hic Baronatus in Marchionatum a *Carolo II.* Hisp. Rege Diplomate dato Madriti die 14. Julii in gratiam *Lopes d'Evora & Vega* de gente *Rodrigues*, in qua stirpe perseverat, qui hodie *Emanuel Josephus Rodrigues d'Evora y Vega*, Marchio de Rodes, Baro de Berlegem &c.

Hic Marchionatus est in Clientelâ Comitis Alostani. Hic pagus constituit cum Munte & Bottelare unum tribunal.

Inter antiquos hujus antiqui Baronatus Dominos habuit *Radulphum de Rodes*, qui cum *Joannâ* Flandriæ & Hannoniæ Comitissa permutavit loca de *Nieukercke*, & *Merelbeke*, cum juribus quæ princeps illa habebat in *Melle*, *Gontrode*, *Lantrode*, *Bottelaer*, *Munte*, *Melsene*, *Schelde-Rode*, & *Gent-Brugge*, litteris de eâ datis ad annum 1216.

Hoc Dominio etiam potita fuit familia de *Ghistelles*, & ab hac per filiam hæredem transiit ad *Laxemburgicos*, inde ad *Bourbonios* Regiam in Galliâ stirpem, in quâ *Henricus* ejus nominis IV. Francorum Rex quem magnum appellant initio seculi XVII. eam ditionem vendidit potenti opibus viro apud Antverpienses Lusitano negotiatori *Simoni Rodrigues d'Evora Simonis F.* qui licet variis litibus fuerit a viris magnatibus impetitus, pacificus tamen ejusdem Dominii & Baronatus possessor evasit. Ita ferè *A. Sanderus* in Flandriâ Illustratâ tom. II. pag. 505.

Quoad rem sacram Ecclesia inscripta est *S. Martino* Turonensi Episc. Ejus Patronatum gerit Abbas *S. Petri* Gandavi.

Ibidem est Capellania Castralis non tenuiter dotata ad Collationem Baronis de *Feutiere*, quæ gravata est ad tres missas singulis diebus XIV.

Decima est bipartita, quorum una pars spectat ad Capellaniam præfatam, altera ad Parochum, Decima vero lini est tripartita cujus duæ trientes spectant ad hanc Ecclesiam, altera triens ad Parochum.

Porro hujus Ecclesiæ Parochus rem sacram curat in *Wassem*, in quo pro

majori parte percipit decimas, exiguam vero earum partem habet *N. Del Vau.*

Hic locus est Ditionis Gaveranæ, olim pagus, licet exiguus hodie Vicus; ejus Ecclesia temporum & bellorum injuriâ diruta est, ac destructa, bona illius accesserunt Ecclesiæ Foreſtensi sive de Vurst, quæ est similiter Ditionis Gaveranæ, & huic loco maximè propinquæ.

SEMMERSAKE, præfecturæ Gaveranæ, Dominium Comitis Egmondani, situs est hic locus ad Scaldim fluvium, qui Aldenarda Gandavum tendit.

Ecclesia inscripta est S. Petro ad Vincula. Ejus Patronatum gerit Abbas Eenamensis Ord. S. Bened. dono Burchardi Episcopi Cameracensis anno 1117. uti constat ex Diplomate mox producendo.

Decima est tripartita, quarum una triens est penes Parochum reliquæ duæ trientes spectant ad Abbatiam præfatam, quæ anno 1722. Parocho cessit inibi suas decimas ad sexennium pro Supplemento competentiæ.

Solebat hæc cura Pastoralis esse deservitura Pastoratus de Vurst; at anno 1711. proprium suum nacta est Parochum.

Ex Archivis Abbatiæ Eenamensis.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. *Burchardus* divinâ miseratione Cameracensium Episcopus, tam futuris quam præsentibus in perpetuum. Quia attestationi divinarum Scripturarum resistere ostensa est ei, quæ ait, ante mortem benefac, & secundum vires da pauperi, obnixius est cedendum ne de transgressione in oculis veri judicis arguamur severius, beatos igitur pauperes illos qui gloriæ mundi abrenuntiare prælegerunt familiarius venerari peroptantes, Ecclesiam Eihamensem auditâ Venerabilis Fratris nostri *Gileberti* ejusdem Ecclesiæ Abbatis petitione, exaltare dispositimus, concedentes præfatæ Ecclesiæ ob animæ nostræ & prædecessorum nostrorum salutem; Altare de * *Cimbersaca* cum appendiciis suis. Altare etiam de † *Melcines* remota omni persona, salvis nostris, & ministrorum nostrorum redditibus, addita super hoc canonicâ institutione ut presbyteri qui ibidem serie temporum cantaturi sint curam de manu Episcopi accipiant, & de Synodalibus ministris suis respondeant. Rata autem hæc & inconvulsa sæpefatæ Ecclesiæ imperpetuum permanere decernentes, oblata conservatoribus pace, prævaricatores quoad resipuerint ab omni Ecclesiasticâ communione exterminamus, atque decreti nostri paginam sigilli nostri impressione informantes, subsignato personarum nostrarum testimonio corroboramus. Signum Radulfi eorumdem Altarium Archidiaconi. S. Joannis Anselini. Theodorici Everardi Archid. S. Erleboldi Præpositi, Exlebaldi Decani. S. Balduini, Bernardi, Haduini, Alboldi, Radulfi, Wereboldi, Gerardi Canonicorum. Actum est hoc Anno Incarnati verbi M. C. XVII. Indictione undecima, Præsulatus vero Dni. *Burchardi II.* Ego Weremboldus Cancellarius scripsi & subscripsi.

* *Hodie Semmersake.*
† *Hodie Melsene.*

SONNEGEM, altero lapide ab Alosto Dominium nuper spectans jure usufructuario ad *N. van Hulte*, post cujus mortem Ao. 1721. rediit ad familiam *Deynaert*. Constituit cum Burst, Bambrugge & Cottem unum tribunal. Prædicta Dominia inter illos XXII. recensentur, quos vulgo appellant Proprium Principis, Vernaculè *s'Graven-Propre*..

Ecclesia tutelarem colit *S. Stephanum* Proto-Martyrem, dependet ab Abbatiâ Truncinienſi Ord. Præmonstr. quæ illic e suis Canonicis Religiosis Curionem constituit. Universa pagi Decima spectat ad Parochum.

Anno 1173. *Petrus* Episc. Camerac. contulit præfatæ Abbatiæ Altare de Sonnegem; ita annotatum vidimus in tabulâ pensili in Abbatia præfatâ.

Cæterum hæc Abbatia hic loci possidet opimum prædium, & plurimas agri possessiones, prout & in locis & pagis hic circumvicinis, dono *Iwani* Comitis Alostani & *Lauretæ* uxoris ejus filiæ *Theodorici Alsatii* Flandriæ Co-

Comitis, Diploma refertur in Cod. Donat. *A. Miræi* Cap. XCVI. novæ edit. ut ſequitur.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Ego IWANUS DE GAND. Quoniam plurima niſi ſcripta fuerint, à memoria elabuntur & revolutione temporum in oblivionem rediguntur, neceſſe eſt, litteris notari, quod poſtmodum expedit reminiſci.

Notum igitur facio tam futuris quàm præſentibus, quod alodium meum in villa, quam BURST vocant, ſeu quidquid juris inibi erat exceptâ mancipatione ſervorum, ab omni noſtra vel laica poteſtate omnimodo mancipatum, pro amplificando Dei nominis & laudis honore, ad uſum Fratrum Truncinienſis Eccleſiæ, Præmonſtratenſem Ordinem profitentium, Deo Sanctæque Mariæ Genitrici ſuæ, perpetuæ Virgini, quæ loco præfato præſidet, liberè tradidi, unà cum uxoris meæ LAURETÆ, filiæ THEODORICI Comitis, cui quæcumque noſtræ poſſeſſionis erant, in dotem dederam, gratuitâ conceſſione & devotâ petitione: & ipſum ſub præſentia & manu Domini GOSUINI, Fratribus ſuis coram poſitis, ſuper ſacrum altare Truncinis manu propriâ obtuli. *Drongen.*

De feodo autem Comitis, quod Comes ipſe conceſſit, petiit, pariterque donavit, videlicet totum pomœrium, cum quattuor manſionibus ei adjacentibus, quarum tres AVÆ DE ORNACE, quarta verò cujuſdam WILLELMI militis mei fuerant, annuatim etiam marcam argenti, ſive identidem valens, terram quoque Arnulphi Falconarii, terram quoque Gripponis, & terram quandam paludoſam, quam *Melſvelt* appellant, & hæc Truncinis.

In Waſia verò *Salichem*, cum circumpoſita terra, & villula, totaque palude, & duabus etiam partibus decimæ, quæ me contingebant, *Hulſt* quoque & *Hulſterloe*, uſque ad adjacentes Parochias, apud *Velſeke* incultam terram, quæ jacet juxta *Punbeke* & juxta *Lokkeren*, curtim cum nova terra, inſuper autem decimationem molendinorum, per numerum hebdomadarum, & omnium redituum meorum *Torcungis*, *Truncinis*, & in tota *Waſia* tam futurorum quam præſentium.

Hæc, inquam, Ego, & prænominata uxor mea in remiſſionem peccatorum noſtrorum, ſubſcriptæ teſtificationi fidelium aſſignantes, Deo liberè & votivè obtulimus: quæ præſentis paginæ ſcripto poſterorum notitiæ tranſmittenda curavimus.

Signum Raſonis de Gavera.
S. Willelmi de Boulaer.
S. Gerardi Conſtabularii de Ninive.
S. Giſelberti de Lidekerka.
S. Goſelini Ordeghem.
S. Stepponis.
S. Balduini de Lethe.
S. Oilardi, & fratris ejus Theodorici de Nivelà.
S. Henrici patruelis eorumdem.
S. Willelmi de Viva.
S. Gerardi, & fratris ejus Hugonis.
S. Gervaſii.
S. Hugonis de Affne.

Actum TRUNCINIS anno milleſimo centeſimo triceſimo nono Incarnationis Dominicæ, indictione II, Epactâ XVIII. Concurrente VI, X. Kal. Octobris. 1139.

SOTTEGEM, Antiquitus *Gottegem* a Gothis teſte *J. van Waesberge* in ſuo Gerardimontio pag. 3. Municipium elegans, quarto lapide a Gandavo, ſitum amæno cum primis loco, & frequenti populo habitatum. Caput præfecturæ Sottegemienſis, & antiquus Baronatus Comitis Egmondani, qui illic ſplendidum habet prætorium, cujus prototypon nobis exhibet *A. Sanderus* in Flandriâ Illuſtratâ tom. II. pag. 509. Domicilium olim fuit aliquot Egmondæ Comitum, verum plurimum hodiè de ſuo ſplendore deperdidit. Gaudet foro hebdommadali diebus Martis, nundinas item habet celebres duas,

postridiè *S. Marci* Evang. 26. Aprilis, & postridie *S. Lucæ* Evang. 19. Octobris.

Sottegemium miserabilem in modum direptum fuit incensumque Anno 1452. sub *Philippo Bono* a *Stampano*, & Burgundiæ Notho. Item anno 1564. fortuito igne fœdatum fuit, item anno 1645. ab exercitu Franco-Batavo, quando & Ecclesia in cineres redacta est, Ao. item 1708. Sottegemium fæde direptum fuit a militibus exercitus Fœderatorum. Denique Anno 1723. die 19. Maii pridie quo hæc scribimus igne malevolorum hominum manibus injecto exarsit Sottegemium, quo XXXI. domus absumptæ sunt.

Hoc Dominium habuit Dynastas sui nominis in Historiis & Diplomatibus celeberrimos; dein per nuptias transiit in familiam *De Melun*, inde in *Luxemburgensem*, exinde per similes nuptias in Egmondanam ex quâ Illustri stirpe jure nuptiali devenit in eam, quæ est *Pignatelli*, qui hodie *Procopius Maria Antonius de Pignatelli* Comes Egmondanus, Princeps de Gavere &c. Porro stemma Dominorum ac Comitum Egmondanorum invenies in Donat. Belg. *A. Miræi* Lib. I. Cap. CLIII. novæ edit. pag. 465.

Visebantur olim in hac Parochiali plura monumenta Sepulchralia Dominorum Sottegemiensium, quæ incendio perierunt, exstitit inter alia ante incendium hujus Ecclesiæ anni 1645. ibidem tumba elevatâ ex alabastro ante Aram principem *Franciscæ Luxemburgensis* uxoris *Joannis* Comitis Egmondani cujus hæc erat inscriptio.

Cy gist Haute & Puissante Dame, Madame Françoise de Luxembourg, *Comtesse de Gavre, & Dame de Baronnies de Fiennes, la Hamaide, Vieres, &c. & de Seigneuries d'Arquinghem, d'Armentieres & d'Auxi, en son temps Epouse a haut, & puissant Seigneur, Messire* Jean Comte d'Egmont, *Baron de Baer, Lathum &c. Seigneur de Hooghwaude, Aertswaude &c. Chevalier de l'Ordre, & Capitaine General pour l'Empereur* Charles V. *des chevaux legers, lequel gist a S. Marc a Milan & trespassa le* 29. *d'Avril* 1528, *& mourut Madame le* 1. *de Novembre* 1557.

Et inferius erat.

Lamoral ab Egmonda, Princeps a Gavre hæres mitis parentibus pientissimis & memoriæ ergo.

H. M. F. C.

M. Aug. die IIII. M. D. LXI.

Symbolum Principissæ *Franciscæ de Luxembourg* erat.

La foy que j'ay

In Ecclesiâ Collegiatâ Antonienſi ad Scaldim legitur hæc inscriptio Sepulchralis.

Cy gist Isabeau, *Dame d'Antoin, d'Espinoy, de Sottenghien & Chatelaine de Gand, jadis femme a* Henry de Louvain, *apres*

apres a Mr. Alphonſe d'Eſpagne & apres a Mr. le Viſcomte de Melun, Chambellan de France, Sr. de Blangy & de Monſtreuil-Bellay, qui treſpaſſa le 6. de Decembre 1354.

Hæc inſcriptio idiomate latino exſtat apud *A. Miræum* in Dipl. Belg. Lib. II. Cap. CI. pag. 315. novæ edit.

Anno 1568. ſepultus eſt in hac Parochiali *Lamoraldus Comes Egmundanus*, Nobilitate, formâ regiâ, facundiâque & victoriis de Gallo partis, Flandriæ denique Gubernatione magis quam exitu vitæ Heros florentiſſimus, ait *J. Marchantius* in ſuâ Flandriâ pag. 37.

Cæterum Sottengemio Natales ſuas debet *Joannes de Meyer* Carmelita Conventus Gandavenſis S. T. D. Univerſitatis Lovanienſis. Epiſcopus Biblienſis, ac Suffraganeus *Philippi de Burgundia* Epiſc. Trajectenſis. Sepultus Ultrajecti in Choro *S. Catharinæ*, quondam Carmelitarum Eccleſiæ ſub Sarcophago cum pædo & hac inſcriptione ſepulchrali.

Hoc Saxum tegit oſſa Reverendi Patris & D. Magiſtri JOANNIS MEYER, Epiſcopi Biblienſis ac *D. Philippi de Burgundia*, Epiſ. Trajectenſis Vicarii. Obiit an. CIↃ. IↃ. XXII. V. Julii PERFER, VINCES.

Sottegemienſis item fuit *Joannes Villicus* Carmelita S. T. D. Univerſitatis Lovanienſis, teſte Valerio Andreâ in Faſtis Acad.

In ſacris Eccleſia tutelarem venerat Virginem Deiparam *Mariam*, ab annis non paucis vigere in eâ cœpit cultus ſpecialis *S. Barbaræ* Virg. & Mart.

Erecta eſt hæc Eccleſia in Parochialem a tribus & quod excurrit ſeculis & ſeparata ab Eccleſia Matrice de Strypen, cujus Paſtori annuè penduntur ab hujus loci Parocho in hujus ſeparationis recognitionem V. Sacci ſiliginis, & V. Sacci avenæ. Patronatus hujus Parochialis ſpectat ad Dynaſtam qui eſt Comes Egmondanus, Decimæ ſunt Paſtorales.

STRYPEN, Præfecturæ Sottegemienſis, Dominium Comitis Egmondani.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Andreæ* Apoſt. & *S. Romano* Epiſc. Rothomagenſi. Ejus Patronatus ſpectat ad Abbatem Montis *S. Martini* Ord. Præmonſtr. propè Caſtelletum Picardiæ oppidum, Diœceſis tamen Cameracenſis, qui hodie eſt Archiepiſcopus Senonenſis, qui decimas cum Paſtore poſſidet; ad hunc autem ſpectat univerſa lini decima & ſeminum caulium vulgo *t'Sloor-Saet*, & in Supplementum competentiæ a præfato decimatore 100. flor. annuè percipit.

Ab hac Parochiali olim ſeparatum eſt a trecentis circiter annis Sottegemium, ſub recognitione annuâ huic Parocho ſolvenda, uti mox diximus.

Inter Sottegemium & hunc pagum exſtat Capella *D. Andreæ* Apoſt. ſacra.

VELSICK, præfecturæ Sottegemienſis, Dominium Comitis Egmondani. In Diplomatibus non uno loco apud *A. Miræum Felſeka*, & apud

Gramayum in Aldenardâ *Veltſeca* legitur. Dives Romanarum antiquitatum pagus eſt, & miræ vetuſtatis, quod hic loci plurima eruta Romanorum numiſmata ſatis indicant. Vide plura de hoc loco in Flandriâ *J. Marchantii* pag. 37.

Eccleſia *D. Martino* Epiſc. ſacra eſt. Ejus Patronatum gerit Abbas Haſnonienſis Ord. S. Bened. ad Scarpam fluvium, ad quam Abbatiam etiam ſpectat maxima pars decimarum; ſola enim nona earum pars eſt Parochi; ſed Anno 1645. conventione inita univerſa decima vici de *Ruddershove*, quæ in ſacris huic Parochiali ſubeſt, ſpectat ad Parochum, & inſuper in hoc pago de Velſick percipit decimas de XLVIII. terræ bonariis, reliqua totius pagi decima ſpectat ad præfatam Abbatiam Haſnonienſem, quæ gravata eſt pro competentia Vicepaſtoris annue ſolvere XXX. Libras Flandric.

In Chronico *Sigeberti* per *A. Miræum* edito Anno 1607. refertur, quod *Godefridi* Ducis dicti Eenamenſis filius *Heriminus* & filia ejus *Berthildis*, cum adhuc juvenes eſſent, in Eccleſia apud Felſecam ſint ſepulti, qui poſtea multis miraculorum ſignis claruerunt; ſed a Virdumenſibus Monachis, hic furtivè ablati ſunt.

Hic loci eſt Hoſpitale a Dynaſtis Sottegemienſibus a trecentis & quod excurrit annis fundatum, cujus Moniales Anno 1680. tertiam Regulam *S. Franciſci* amplexæ ſunt.

Cæterum in hoc pago eſt Dominium de *Ruddershove* ſed melius puto *Riddershove*, quod titulo fiduciario & ſubſidiario Ninhoviæ accenſetur, ſpectans ad gentem *Trieſtiam*, quod in ſacris huic Parochiali ſubeſt, quod ſuum habet tribunal & Curiam cenſualem, & multis aliis prærogativis gaudet. Ibidem exſtat Capella *S. Petri*. Hujus Dominii univerſa decima, uti mox dictum, ſpectat ad Parochum. Capellania ejuſdem vici gravata eſt miſſâ hebdommadali, annexa eſt nuperis annis Paſtoratui, ut ex ejus fructibus pro parte ſuſtentatur Vicepaſtor. In hoc pago de Velſick exſtat prædium *den Cleynen Haendaert*, quod vulgus malè hodiè vocat *Het Caſteelken Oranien*. Illud obtinuit Domus Pitzenburgica Equitum Teutonicorum in Urbe Mechlinienſi Anno 1220. a *Gilberto de Sottegem* Diploma hujus donationis recitat *A. Miræus* in Not. Eccleſ. Belgii Cap. CLII. novæ edit. ut ſequitur.

GILLEBERTUS DE SOTTEGEM omnibus Chriſti Fidelibus in perpetuum ſalutem. Noverint tam moderni quàm poſteri, quòd ego Gillebertus de Sotteghem contuli Fratribus Domûs B. Mariæ Teutonicorum de Jeruſalem waſtinam, quam habui inter Felſeka & Elne, & ad opus prædictorum Fratrum liberè reſignavi, ſalvâ tamen mihi & ſucceſſoribus meis juſtitia de cauſſa ſanguinis. Teſtes,

Hillinus Presbyter de Racengheem,
Boidinus,
Henricus, Fratres de Landengheem,
Boidinus de Rode,
Boidekinus van Larne, & alii multi.

1220. Actum anno Domini M. CC. XX. quintâ menſis Maii.

Hoc prædium prædicta domus ſeculo XV. dedit in Emphiteuſim ſub annuo cenſu XVI. florenorum cum medio, continetque ſub ſe XXXIII. terræ bonaria, quod nuper pretio ſibi comparavit cum tali onere *Juſtus Antonius de Jonge* Senatus Flandriæ Conſiliarius, poſt cujus mortem An. 1713. illud hodie jure uxorio poſſidet *Matthias Leonardus vander Noot* Baro de de Kieſekem &c.

VLAC-

VLACKEM, pagus Dominii de Rotſelaer, quod pluribus pagis in Comitatu Aloſtano dominatur, conſtituit cum Ayghem unum tribunal.

Eccleſia tutelarem colit *S. Lambertum* Tungrenſem Epiſc. Ejus Patronatus ſpectat ad Abbatiſſam de Foreſto Ord. S. Bened.

Anno 1686. unita eſt hæc Eccleſia Parochialis, Eccleſiæ de Burſt.

Anno 1219. *Ægidius de S. Auberto* & ejus uxor donat omnes decimationes in Parochiâ de Burſta, Bambrugghe, Vleckem & Borsbekâ præfatæ Abbatiæ. Diploma hujus donationis produximus in pago de Burſt.

Cæterum Abbatia Foreſtenſis Anno 1680. ut ibidem etiam diximus ceſſit has omnes decimas Parocho de Burſt ſub annua penſione 300. florenorum.

VLIEDERZELE, Præfecturæ Rodenſis, altero lapide ab Aloſto; in Diplomatibus *Fliterſela* legitur, vetus eſt Abbatiæ Bavonianæ peculium nunc Epiſcopatus Gandavenſis, prout & Eccleſiæ Patronatus, quæ *D. Bavoni* ſacra eſt. Univerſa pagi decima ſpectat ad Capitulum Cathedrale *D. Bavonis* Gandavi. Parocho ſolvitur ex illis annuè competentia 400. florenorum.

Otho II. Imp., uti *Meyerus* ad annum 974. inter poſſeſſiones Bavoniani Cœnobii nominat Villam de *Fliterzele*. *A. Miræus* in Donat. Belg. Lib. I. Cap. XVII. novæ edit. profert Diploma, quo *S. Henricus* Imp. anno 1003. confirmat poſſeſſiones Monaſterii *S. Bavonis* ubi inter cætera recenſet *Flitherſele* cum Eccleſiis & omnibus appendentiis earum.

Celebris eſt hîc memoria & cultus *S. Flederici* pro ſurdaſtris, qui natione Francus, & a parentibus Chriſtianis natus, quod profeſſus eſt in baptiſmo ab ineunte ætate obſervavit, litterarum & virtutum ſtudio adoleſcentiam inſumpſit, in Sacerdotum ordinem aſcitus Paſtorale munus ſubiit in hoc pago, & ſicut *Aaron* vocatus, pietatem & ſacram doctrinam ſuis ſubditis inſtillavit; fertur autem primitias Sacerdotii celebrans obtinuiſſe ranarum eum turbantium ſilentium. Ita fere *A. Sanderus* in Flandriâ Illuſtratâ tom. II. pag. 508. Vide plura apud *J. Molanum* in Nat. S. S. Belgii ad diem 13. Septembris.

Ad commendationem hujus Parochialis facit quod noſtrâ ætate ab Anno 1672. hic Parochi munus egerit per quinquennium Vir per omnia celeberrimus *D. Franciſcus vander Vliedt*, illud Mechlinienſium decus, quem Lovanium Anno 1663. primum vidit in Scholis Artium & Anno 1677. S. T. L. eodem anno Seminarium Archiepiſcopale ſuum S. T. Profeſſorem & Eccleſia Metropolitana per annos X. Canonicum Graduatum, & tandem Archidiaconum, qui dum hanc Diœceſim ex Commiſſione Illuſtriſſimi *Alphonſi de Berghes* Archiep. ferventi æſtate luſtrare aggreditur, ipſe æſtuanti febri correptus, præmaturâ morte exſtinctus eſt in flore ætatis Anno 1686. die 7. Julii ætatis ſuæ XLIII. Vir longiore vitâ dignus niſi ad meliorem tranſiiſſet.

In finibus hujus pagi eſt Vicus *De Papegem* antiquitate ſuâ multum commendabilis, quia in pluribus antiquis Diplomatibus Abbatiæ *S. Bavonis* legitur expreſſum *Papegem*. In eo ab antiquo exſtitit Sacellum cum Capellania annexâ, gravata miſſâ hebdommadali, noſtris temporibus tranſlata ad Eccleſiam Parochialem, cum illud Sacellum noſtrâ ætate vetuſtate & iniquitate temporum collapſum eſt, ne tamen penitus ejus memoria aboliatur; in hoc loco Capitulum Bavonianum habet inſigne prædium, vulgo nuncupatum *Het Hofte Papegem* cum pluribus agri poſſeſſionibus.

WANNEZEELE, vulgo *Wanſele*, pagus ditionis Teneræmundanæ, uno milliari cum dimidio ab Aloſto. Ejus Dominium ſpectat ad Marchionem de Lede qui hodie *Joannes Franciſcus Nicolaus Bette* Marchio de Lede, &c.

Eccleſia *D. Bavoni* ſacra eſt. Ejus Patronatus ſpectat ad Perſonatum de Schellebelle, qui Anno 1707. unitus eſt Paſtoratui prædicti loci de Schellebelle, ut ex ejus fructibus ſuſtentetur Vicepaſtor.

Decima ſpectat pro parte ad Hoſpitale de *Gantois* in Urbe Inſulenſi, & Parochum & pro parte ad præfatum Perſonatum.

Deſervitur hæc cura Paſtoralis per Paſtorem de Ympe, qui alternis vicibus ibidem rem ſacram operatur, ipſique in Supplementum competentiæ dantur annuè a præfato Hoſpitali ex ſuis ibidem decimis VI. Libræ Flandr.

WESTREM, æquali diſtans ſpatio Gandavum inter & Aloſtum juxta novam viam lapideam, peculium inclytæ familiæ Gandavenſis, quomodo autem ad hanc familiam devenerit alibi in pago de Maſſeme diximus, ne eadem iterum neceſſe ſit repetere.

In hoc pago eſt Dominium de *Voorde*, habens ſuum Baillivum & homines feudales, Curiam Cenſualem & Feudalem, jus inveſtiendi & deveſtiendi; olim inſtructum Caſtro, item annexum habens prædium cum pluribus agris, Sylvis & poſſeſſionibus, tenetur in clientelâ Principis de Maſſeme. Hoc Dominium An. 1718. emptione publicâ acquiſivit *Carolus Boſchaert*; pretium fuit 6. millium & ferè centum florenorum.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Martino* Turonenſi Epiſc. Ejus Patronatum gerit Perſona hujus Eccleſiæ. Decima eſt tripartita, cujus duæ trientes ſpectant ad Parochum, altera triens ad Eccleſiam. Parvos tamen diſtrictus decimarum hic ab antiquo poſſident Abbatia Affligemienſis, item S. Michaelis Antverpiæ, & Domus Pitzenburgica in Urbe Mechlinienſi; unicuique eſt ſuus decimarum diſtrictus.

Viget in hâc Parochiali cultus, & veneratio *S. Laurentii* Mart. cujus venerandis Reliquiis hæc Eccleſia ornatur. Solemnis hic in ipſo Divi feſto X. Auguſti peragitur ſupplicatio, totoque anni tempore ad eundem Sanctum perſeverat peregrinatio, tam a vicinis quam a longè diſſitis populis.

WICHELEN, olim *Wichlines*, ad ſecundum a Teneræmundâ lapidem, & inter Comitatus Aloſtani maximos pagos. Toparchia familiæ *De Cordes*. Ejus Advocatia fuit olim penes varios, uti legitur apud Eſpinoyum, qui primitus refert fuiſſe penes *Joannem Flandrenſem*, a quo tabulis emptionis devenit ad *Simonem de Serthomas* Anno 1351. qui illud tabulis venditionis tranſcripſit Anno 1364. *Joanni Maſminio* filio *Philippi*; inde devenit in familiam *Wyter-Zwaene*, a quâ initio ſeculi XVII. viâ emptionis devenit in familiam de *Cordes*, cui acceſſit a Principe Anno 1616. hujus pagi Deminium, in quâ ſtirpe perſeverat, quæ & illic inſigne habet Caſtellum dictum *Het Hof ten Zype*. Item noſtrâ ætate amœnum erexit prætorium ad Scaldim fluvium in vicinia Eccleſiæ.

In Eccleſiâ ſubterraneâ ſeu Cryptâ Cathedralis Gandavenſis in Capellâ Annuntiationis B. M. V. viſitur inſigne Mauſolæum ad quatuor pedes elevatum *Margaretæ de Ghiſtelle*, uxoris *Danielis Maſminii*, Toparchæ de Calckene &c. cui ſuperius ejus effigies exſculpta eſt, & circumcirca ejus quarteria habens hanc inſcriptionem litteris Teutonicis.

Pier

Hier licht begraven Vrauw Marg^te. van Ghistelle, **Vr. van Calckene / Vooghdesse van Wichelen ende van Serscamp / die starf int jaer 1431. den 1. Augusti. Bidt voor de Ziele.**

In hac Parochiali visitur Monumentum Sepulchrale familiæ *De Cordes* Dominorum de Wichelen, exstructum a moderno Toparcha, cujus hæc est inscriptio.

D. O. M.

Epitaphe de la Noble & ancienne famille de Cordes.

Cy gist Messire Jean Charles De Cordes, *Chlr. Seigneur de Wichele, Cerschamps, Reet, Waerloos &c. mourut le* 18. *d'Aoust* 1641. *Et la Noble Dame* Isabelle van Dilft *son Epouse fille de Messire* Eduart, *Seigneur de Leverghem, Dorne, trespassa le* 5. *d'Avril* 1612. Arnould de Cordes, *Seigneur desdits lieux fils de Messire* Jean Charles *Chevalier, mourut le* 25. *Juin* 1652. *Et Dame* Eleonore Elevine Wouters *sa Compaigne, fille de Messire* Jean *Cheval. Seigneur de Vinderhaute, Merentre, Eeke, trespassa le* 20. *d'Avril* 1647. *Et deux fils* Lanslot François De Cordes, *Seigneur de Wichelen, Cerscamp, Diesegem. Et* Philippe de Cordes, *Seigneur de Hoyberghe, Richove, JC. Prothonotaire Apostolique. Priez pour leurs Ames.* Mort l'an 1725.

Quarteria.

De Cordes. Groesdonck. Preunen. Bomberge.
Vander Dilft. Bernuy. de Cordes. Preunen.
Wouters. Diericx. Colins. Nieuhuyse.
Bernard. Valencia. Wyts. Baillieul.

Quoad rem sacram Ecclesia *D. Gertrudi* inscripta est. Ejus Patronatus est Illustris; Capituli Nivellensis, quod etiam possidet potiorem partem decimarum, reliqua spectat ad Parochum, uterque habens suum districtum.

In sacris subcensetur huic pago vicus *de Eeghene* qui est Ditionis Teneræmundanæ, & Dynastarum dono (teste *D. Lindano* in suâ Teneræmunda Lib. III. Cap. V. N. 69.) jam diu ad Abbatiam Affligemiensem translatum est, habeturque feudum, quod Teneræmundæ Domini beneficio possidetur. Suum tribunal habet, Majorem & Scabinos. Templum autem non habet; sed in ejus vicinia est Sacellum Deiparæ sacrum, vulgo *Schoonaerde Capelle*; in eâ est Capellania cum onere duarum missarum hebdommadatim. In hoc Sacello ad commoditatem incolarum hujus vici, & vicinorum, in hyeme per tres menses, diebus sacris celebratur. Universa hujus Vici decima, quæ satis ampla est, spectat ad Pastorem de Wichelen, cui in sacris subest.

Hoc Sacellum distat tribus horæ quadrantibus ab Ecclesia Parochiali de Wichelen. Vicus autem de *Eeghene* ultra milliare ab eâ se ulterius protendit. Cæterum pagus de Wichelen est ex illis XXII. qui proprium Comitis, sive

s'Graven-Propre vocantur, ratione cujus incolæ talium pagorum ſunt variis ſervitutibus & oneribus ſubjecti.

YMPE pagus Comitatus Aloſtani, Dominium gentilium de *Bette*, qui hodie *Joannes Franciſcus Nicolaus de Bette* Marchio de Lede, Aurei Velleris Eques &c.

Hic loci gentiles de *Grutere*, Domini de Bieſelinck, inſigne habent Caſtellum cum pluribus agri poſſeſſionibus.

Hic pagus pro non exiguâ ſuâ parte Sylvoſus eſt, & ex illis XXII. pagis recenſetur qui proprium Comitis vocantur, vernaculè *s'Graven-Propre*.

Eccleſia inſcripta eſt *S. Dionyſio* Mart. ſub Patronatu Abbatis *S. Adriani* in Gerardimonte Ord. S. Bened. qui decimas ſuas, quas hic loci habuit Anno 1708. ceſſit huic Paſtoratui ſub exiguâ recognitione annuâ.

Cæterum hæc Parochialis olim appendix fuit Parochiæ de Eerdeghem, quod declarat Diploma *Nicolai* Camerac. Epiſc. qui anno 1141. dum dotat Abbatiam Gerardimontenſem inter cætera bona confirmat, quod *Odo* Epiſcopus contradidit *Altare de Goldeghem* (quod hodiè *Eerdeghem* ſive *Erondeghem* vocatur) cum appendentiis ſuis *Impa* & *Otterghem*, verba ſunt Diplomatis.

FINIS.

ADDEN-

ADDENDA

Quæ ſerius advenerunt.

Pag. 36. lineâ 15.

Extractum ex magno Regiſtro Capituli Metropolitanæ Sti. Rumoldi Mechliniæ, ubi titulo primo, Cap. 30. fol. 129. recto & 130. recto & verſo habentur ea, quæ hic ſubjiciuntur.

JACOBUS Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Archiepiſcopus Mechlinienſis ad perpetuam rei memoriam. Cum dilectus nobis in Chriſto conſultiſſimus Dominus *Petrus van Cauteren*, Clericus Diœceſis Gandenſis, jurium Licentiatus nobis expoſuerit ſe pro augmento honoris Dei, Eccleſiæ utilitate, & animæ ſuæ ſalute intendere in Metropolitanâ Eccleſiâ *Sti. Rumoldi* fundare ſeu dotare ex bonis ſuis Canonicatum & præbendam, per nos de novo erigendos, ſub eâ conditione, quod collatio eorumdem, & inſtitutio ad nos, noſtroſque Succeſſores pro tempore exiſtentes, jus vero Patronatus ad ipſum exponentem, ejuſdemque Succeſſores legitimos, & in eorum defectum ad alios de paternâ ſuâ familiâ pertineret. Ita tamen ut nullus ad hujuſmodi Canonicatum & præbendam præſentari poſſit, niſi præhabito noſtro, & præmemoratorum Succeſſorum noſtrorum conſilio & aſſenſu, & quod eam præbendam per ceſſum, vel deceſſum Domini exponentis, eo quo fertur modo, aſſecutus, non minus quam ii, qui in dictâ Metropolitanâ Eccleſiâ, præbendas graduatas obtinent, perſonalem reſidentiam facere, & nos, noſtroſque Succeſſores præfatos, operâ, & officio juvare teneretur, adeoque deberet eſſe ſacræ Theologiæ, aut jurium Licentiatus, & alias qualificatus, prout ſacrum Concilium Tridentinum, & bulla erectionis hujus Metropolitanæ Eccleſiæ, quoad Canonicatus graduatos exigunt. Hinc eſt quod nos præhabitâ deliberatione, cum admodum Reverendis & Venerabilibus D. Dominis Præpoſito, Decano & Capitulo dictæ veſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ, & eorum interveniente conſenſu, etiam factâ prius per dictum Dominum exponentem de ſuis bonis per ſuum Chirographum hodiè datum, aſſignatione de ſummâ ſexcentorum florenorum, pro dote Canonicatus & Præbendæ; ita ut præfertur de novo erigendæ ad Dei honorem, Eccleſiæ utilitatem & animæ ſuæ ſalutem dicti Domini exponentis, piis & laudabilibus votis annuentes, auctoritate veſtrâ ordinariâ novum Canonicatum, & præbendam, ſub conditionibus & dote ſuperius expreſſis in dictâ veſtrâ Metropolitanâ Eccleſiâ ereximus, & per præſentes erigimus, eumdemque Canonicatum & præbendam eidem Domino exponenti juxta præmiſſa qualificato contulimus & conferimus, ipſumque eo Canonicè inſtituimus cum plenitudine juris Canonicalis, absque eo tamen quod favore dotationis per eum factæ, ad reſidentiam, & ad operam, officiaque alia nobis, noſtrove Succeſſori præſtando, nec ad aliud quidpiam ulterius obligabitur, quam ejus voluntas feret. Ad lectionem tamen horarum Canonicarum omnino tenebitur. Quo circa mandamus iiſdem Admodum Reverendis & Venerabilibus Dominis, quatenus eum in corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem dicti Canonicatus & præbendæ ponant & inducant, ſeu poni & induci faciant, ſtallumque in Choro, & locum in Capitulo aſſignent, adhibitis ubique ſolemnitatibus & ceremoniis in hujuſmodi exhibere ſolitis & conſuetis. Actum Mechliniæ in Palatio noſtro Archiepiſcopali die vigeſimâ Auguſti anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quarto, præſentibus Reverendiſſimo D. Henrico Caleno, deſignato Ruremundenſi Epiſcopo, Vicario noſtro generali, & Archidiacono Mechlinienſi, & R. Domino Amato Coriache in eâdem Metropoli Canonico & noſtro Officiali, in cujus rei fidem præſentibus erectionis, & collationis, ac inſtitutionis litteris manu propriâ ſubſcripſimus, eaſque noſtro ſigillo, & Secretarii noſtri ſignaturâ communiri mandamus, erat ſubſcriptum *Jacobus* Archiepiſcopus Mechlinienſis, & inferius de mandato Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi præfati, & ſignatum J. Herregauts Secretarius, & erat dicta bulla Sigillo, ſeu ſignato Illuſtriſſimi Domini impreſſo hoſtiæ rubræ Sigillata, inferius habebatur, ita extractum ex magno Regiſtro antedicto, in-

ventum eſt præſens extractum eidem conformè, quod atteſtor; ſignatum J. Attevoort Secretarius.

Poſſeſſor hujus Canonicalis-præbendæ hodiè eſt D.C.P. *Hoynck*, J.U.L. Vicarius Generalis Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Card. Archiep. Mechl.

Pag. 86. lineâ 31.

D. Gregorius la Bastita, Præpoſitus Vallis Liliorum ſubitâ morte extinctus eſt anno 1724. die 16. Maii, cui eodem anno ſucceſſit

D. Eligius Rigouts, antea S. T. Profeſſor in Tongerlo, præſens Præpoſitus.

Pag. 95. lineâ 26.

Patricium Lovanienſem [adde] poſt cujus mortem ſucceſſit ejus Primogenitus *Petrus Herckenrode*, qui hodiedum Primarius Conſul Lovanienſis, & Dominium illud poſſidet.

Pag. 104. linea 26. omiſſa ſequentia.

Eccleſiâ ſacra eſt Virgini Deiparæ *Mariæ*, ejus Patronatum gerit Archiepiſcopus Mechlinienſis jure Abbatiali Affligemienſis. Decima eſt tripartita, cujus una triens ſpectat ad hanc Abbatiam, altera ad hujus loci Parochum, & reſtans tertia ad præfatum *D. Du Mont*.

Pag. 118. linea 43.

In Eccleſiâ Abbatiæ Cortenbergenſis Ord. S. Bened. inter Bruxellas & Lovanium, viſitur humi in candido marmore hæc inſcriptio Sepulchralis.

D. O. M.

Sepulture de Noble & tres-illuſtre Seigneur Sr. Diederick *Comte de vander Nath & St. Remy, Baron de Corterſem franc Seigr. de Deſſener & Winterhove, Colonel d'Infanterie & Cavallerie au Service de ſa Maᵗᵉ. Imperiale, decedè le* 11. *9bre.* 1693.

Et

Dame D. Marie Conſtancia Invrea, *ſa Compagne, Dame de Relegem, Wolput &c. decedé le* 21. *de Mars* 1680.

Priez Dieu pour leurs ames.

Pag. 130. linea 24.

In Eccleſiâ Parochiali Vilvordiæ legitur ſequens Sepulchralis inſcriptio.

Chriſto Reſurgenti Sacrum.
HENRICI DE BRONCHORST
Viro nobili & antiqua e Geldris ſtirpe
Arcis hîc Præfecto,
Qui militiâ domi & foris peractâ.
In aulâ cælebs conſenuit,
Primoribus gratus, omnibus charus,
Plena virtutis & candoris laude
Extrema quæris? virtutem indicant
Pauperes hujus oppidi hæredes ſcripſit
Amicos, Patronoſque legatis proſecutus

Di-

Divinum quoque in hac æde cultum auxit
Miſſa Dominicis, & feſtis diebus dicenda
Ad medium duodecimæ, ubi navis Bruxellâ appulerit
Septem adoleſcentibus è ſeptem familiis Patric. Bruxell.
In Academiâ Duacenâ novennio alendis
Mille & amplius flor. annuum cenſum reliquit.
Tu Lector imitare, & ut multi imitantur vove
MARCELLUS VILTERS J. C.
Amicorum intimus, & teſtamenti executor P. C.
Obiit a ∞. ICↃ. XXIX. XI. kal. Julii,
Poſtquam vixiſſet annos LXIX.

Pag. 131. lineâ 41.

A. Miræus in Donat. Belg. Cap. CIII. novæ edit.

Pag. 239. lineâ 13.

XXII. CÆLESTINUS ABLOOS, ex Priore Tongerloenſi, modernus Præpoſitus.

Pag. 242. lineâ 47.

Monumenta collecta, & excerpta ex Archivis & variis manuſcriptis Capituli exempti inſignis Eccleſiæ Collegiatæ *B. Mariæ* Virginis Arſcoti, nobis ſubmiſſa in formâ authenticâ ex parte dicti Capituli initio hujus annî 1725. prout ſequitur.

LUDOVICUS DE BOURBON, Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratia electus, & confirmatus Epiſcopus Leodienſis, ad futuram, & perpetuam omnium & ſingulorum memoriam. Sanè exhibitâ nobis pro parte Illuſtris Domini *Antonii de Croy*, Comitis de Porchien, ac Domini temporalis de Arſcot, ſuæque devotæ ac generoſæ Conthoralis *Margaretæ*, ac Villici, Burgimagiſtrorum, Scabinorum, & Conſulum ac Mamburnorum, Luminarium ſeu fabricæ Eccleſiæ Parochialis, & ſingulorum incolarum oppidi Arſcotenſis noſtræ Leodienſis Diœceſis petitio continebat, quod in eodem oppido unica dumtaxat Eccleſia Parochialis exiſtit, ſub titulo *B. Mariæ* Virginis dedicata, Parochiam amplam & populoſam habens, in decimis & aliis ſuis emolumentis abundantem . . . . . .

Quam præfati exponentes ad divini cultus augmentum, majoremque populi devotionem, ac domus Dei ornatum, ex intimo ac bono Zelo ducti in Collegiatam erigi ferventer cupiunt & deſiderant, ad divinum Officium nocturnum ac diurnum collegialiter ibidem deinceps devotè celebrandum . . . . . .

Quodque * Inveſtitus ejuſdem Eccleſiæ, qui ex Canonicis Regularibus dicti Monaſterii aſſumendus erit, præſentatio ad eundem Abbatem pro tempore exiſtentem, & inſtitutio ad Archidiaconum loci pertinebit, qui Inveſtitus unâ cum Præpoſito & Cantore officium curæ Parochialis & miſſam Parochialem faciet & exercebit . . . . . ** Plebanus.*

Intendentes etiam in eâdem Eccleſiâ perpetuum officium Cantoriæ erigi debere, ad quod in perpetuum per dictum Abbatem pro tempore exiſtentem, præſentetur unus ex dictis Canonicis Regularibus, qui omnia onera in dictâ Eccleſiâ conſueta, quæ nunc tertius ſocius nuncupatus ſupportat, tenebitur ſuſtinere . . . . . .

Præfati vero tres Domini Regulares Præpoſitus, Inveſtitus, & Cantor ſolito more obligati remanebunt ad onera miſſarum in Hoſpitali debitarum & fieri conſuetarum. Pro quorum Præpoſiti, Inveſtiti, & Cantoris debitâ ſuſtentatione & vitæ neceſſariis aſſignari & deputari intendunt præfati exponentes de dicti Abbatis, & ſui Conventus ſolemni & expreſſo conſenſu, omnes fructus, reditus, & proventus, decimas, & poſſeſſiones ſpectantes & pertinentes dicto Monaſterio, prout dicti tres religioſi illis gaudere, & in ſuos uſus convertere conſueverunt . . . . . .

Ultra autem prædictos, Præpositum, Investitum, & Cantorem creari & erigi in eâdem Ecclesiâ intendunt decem præbendas, sive Canonicos præbendales, quarum omnium collationem & præsentationem in perpetuum habeat Dominus de Arscot, Capitulum vero erigendum admissionem, institutionem, & receptionem, quæ Presbyteris idoneis, seu clericis sæcularibus, infra annum a die præsentationis eorum sint adstricti ad ordinem Sacerdotii. Et ipsarum Canonicalium præbendarum unus ex Canonicis sæcularibus semper sit Decanus . . . . . Qui & omnes Canonici dictarum præbendarum ad personalem residentiam sint adstricti . . . . . .

Quam residentiam personalem in eorum receptionibus jurent, quibuscumque privilegiis in contrarium, quocumque vel sub quorumcumque verborum formâ concessis seu concedendis renuntiabunt, quodque hujusmodi privilegiis etiam quarumcumque universitatum, seu communitatis vel Collegii in contrarium obtentis seu obtinendis nullatenus unquam utentur . . . . . .

Pro quorum siquidem decem Canonicorum & Decani, qui semper unus ex dictis decem esse debebit, sustentatione & vitæ necessariis assignari intendunt pias largitiones præfatorum Illustris Domini de Croy & suæ devotæ Conthoralis. . . . . .

In processionibus verò & Choro Præpositus primum locum & eminentiorem in dextro latere obtinebit & Decanus in sinistro, qui Præpositus & Decanus in processionibus simul incedent, semper tamen Præpositus in dextro & eminentiori, deinde Investitus in dextro & Cantor in sinistro locabuntur: reliqui verò Canonici bini & bini juxta suarum receptionum prioritatem, ita ut prius receptatus præferatur.

Post cujus pro tempore Decani cessu renuntiationem, sive decessum, Præpositus, vacationis tempore, vices ejus geret, & cum Investito, Cantore, cæterisque Canonicis, vel saltem iis vocatis, perpetuis temporibus Decanum eligere poterunt, non unum ex tribus Canonicis Regularibus, sed dumtaxat ex sæcularibus, qui per nos vel alios pro tempore Leodienses Episcopos ad præsentationem nostri Venerabilis Capituli confirmabitur, prout de aliis Decanis secundariarum Ecclesiarum nostrarum fieri est consuetum. . . . . Qui etiam Decanus personas Capitulares ad Capitulum super proponendis per eum sub pœnis & modis rationabilibus ad hoc statuendis convocare & a majore & saniore parte Capituli, etiam ejusdem Decani voto pro unâ voce computato concludere tenebitur. Omnimodam jurisdictionem & correctionem personarum ejusdem Ecclesiæ cum sui Capituli consensu & aliter ad instar aliarum Ecclesiarum Collegiatarum ipse Decanus habebit, salvo quoad jurisdictionem omnimodam in Cappellanos, Chorales, & alios officiatos ejusdem Ecclesiæ in solidum exercebit . . . . . .

Ipse autem Præpositus, Decanus, Investitus, Cantor, Canonici, Capellani, Cho-
Virgarius. rales Matricularius, Bastionarius, Organista, Receptor & alii officiati ejusdem Ecclesiæ exempti erunt perpetuis temporibus, & per omnia secundum privilegia, usum & consuetudines dictarum nostrarum Ecclesiarum secundariarum.

. . . . . Cæterum fabrica dictæ Ecclesiæ, quæ competenter abundat, fructus suos & proventus præsentes ac futuros integraliter percipiet, pro ejusdem Ecclesiæ conservatione & reparatione retinebit, demptis XXX. Nobilibus prædesignatis ad distributiones quotidianas, ut præmittitur, convertendis, ac eidem Ecclesiæ de luminaribus & ornamentis decentibus ac competentibus ac libris rationabiliter providebit: & recipietur ad Ecclesiæ luminaria ultra solitum unà Ecclesia in exequiis defunctorum sub regimine Mamburnorum per oppidum ad hoc annuatim solito more deputandorum, cum gremio dicti Capituli, qui omnes semel in anno in præsentiâ dicti Capituli, ac coram Villico & deputatis ejusdem oppidi & debitum & legalem computationem facere tenebuntur . . . . . .

Quarè pro parte dictorum exponentium de consensu dicti Abbatis suique Conventus nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ad executionem piæ intentionis prædictæ, & conceptuum prædictorum procedere, ipsam B. B. V. *Mariæ* in Collegiatam quam ipsi exponentes, illiusque Parochiæ numerosa multitudo affectuosis hactenus sitirent suspiriis . . . . . .

Nos igitur Ecclesiam ipsam congruis honoribus prosequi volentes, & ad ipsius Domini cultus augmentum benignius intendentes hujusmodi supplicationibus inclinati de consensu Venerabilis Capituli nostri Leodiensis, dilectorumque Archidiaconi Brabantiæ in Ecclesiâ nostrâ Leodiensi, & Decani Concilii prædictorum, præfatorum Abbatis & Conventus S. Gertrudis Lovanii, ipsam Ecclesiam *B. Mariæ* Virginis Parochialem

chialem in Collegiatam Eccleſiam ad inſtar aliarum Eccleſiarum ſecundariarum Leodienſium erigimus, nec non dictum Theodoricum Magiſtrum, qui pro tempore exiſtit, & in futurum erit in Præpoſitum, Dominum Petrum Corthys in Decanum, Engelbertum in Inveſtitum, Ludovicum in Cantorem & decem præbendas, ſive Canonias præbendales, quatuorque Capellanias & duo beneficia, una cum fructibus, reditibus & proventibus, ut ſuprà præmittitur deſcriptis & ſpecificatis ordinariâ noſtrâ authoritate ſub modis, formis, oneribus, libertatibus & exemptionibus ac immunitatibus ſupra dictis. . . . . .

Ut autem præmiſſa omnia & ſingula perpetui roboris obtineant firmitatem præſentibus ſigillum noſtrum ad cauſas apponi mandavimus. Datum in oppido Trajectenſi ſub anno a Nativitate Chriſti 1462. Indictione decimâ, die vero penultimo menſis Octobris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Pii divinâ providentia Papæ ſecundi anno ſuo quinto. Sic ſignatum erat per Dominum meum Reverendiſſimum & de ejus ſpeciali mandato Hermanus de Elderen ex officio Secretarius.

Confirmatio & exemptio fundationis & erectionis hujus Capituli dein acceſſit Pontificia *Sixti IV.* anno incarnationis Dominicæ 1481. 16. Calendas Auguſti Pontificatus ejus anno X.

Porro Capitulum Arſcotanum componitur ex XIII. Canonicis, quorum tres ſunt Regulares, ſcilicet Præpoſitus, Inveſtitus (nota quod per Inveſtitum intelligatur Plebanus) & Cantor Religioſi Nobilis Abbatiæ S. Gertrudis Lovanii, qui ad onera, ut ante erectionem tenentur. Collatio illarum Præbendarum pertinet ad Abbatem dicti Monaſterii, admiſſio & introductio ad Capitulum. Alii decem Canonici ſunt de Clero ſeculari, ad collationem Ducis Arembergiæ & Arſcoti, admiſſio & introductio ad Capitulum, ex quorum numero eligitur a Capitulo Decanus, in ejus electione Regulares habent vocem activam, ſed non paſſivam. Qui obtinet Canonicatum debet infra annum juxta laudabilem conſuetudinem, & legem hujus Capituli fieri Sacerdos. Ex XIII. præbendis iſtis Canonicalibus quatuor ſunt dignitates ſcilicet Præpoſitura, Decanatus, Plebania, & Cantoria. Inveſtitus ſive Plebanus ut Canonicus admittitur & introducitur a Capitulo, & ut Paſtor inſtituitur ab Archidiacono loci, & aſſignatu ei altare S. S. Trinitatis ante Chorum, quod ſiquidem altare pro miſſis curæ incumbentibus celebrandi, atque adminiſtrationi Sacramenti Euchariſtiæ ſeu exercitio curæ Parochialis deputatur & appropriatur. Tres dicti Domini Regulares gaudent decimis Arſcotanis, quarum meditatem percipit Præpoſitus, & alteram medietatem dividunt æqualiter Plebanus & Cantor. Canonici verò ſeculares habent ſuas proprias fundationes. Ex X. Canonicis ſecularibus quatuor ad confeſſiones audiendas ſunt adſtricti, qui eâ ratione percipiunt augmentationem particularis reditus quem alii ſex non percipiunt. Augmentatio harum IV. Præbendarum ſecularium facta eſt ab Illuſtri Dominâ *Annâ de Croy* Duciſſâ Arſcotanâ &c. Auctoritate & conſenſu *Philippi IV.* Hiſp. Regis anno 1647. die 12. Januarii ſub Illuſtmo. *D. Jacobo Boonen* Archiep. Mechl.

Extrait de l'augmentation des Prebendes Seculieres du Chapitre d'Arſchot.

PHILIPPES *par la grace de Dieu Roy de Caſtille, de Leon, d'Arragon, des deux Siciles, de Jeruſalem, de Portugal, de Navarre, de Naples, de Grenade, de Tolede, de Valence, de Galice, de Majorques, de Seville, de Sardaigne, de Corduba, de Corſicque, de Murcie, de Jaen, des Algarbes, d'Algeſire, de Gibraltar, des Iles de Canaries, des Indes tant Orientales, qu'Occidentales, des Iles & terre ferme de la mer Oceane,*

ne, Archiduc d'Auſtrice, Duc de Bourgogne, de Lothier, de Brabant, de Limbourg, de Luxembourg, de Geldres, & de Milan, Comte de Habsborg, de Flandres, d'Artois, de Bourgogne, de Tirol, Palatins, & de Hainau, de Hollaude, de Zelande, de Namur, & de Zutphen, Prince de Swave, Marquis du St. Empire, de Rome, Seigneur de Friſe, de Salme, de Malines, des Cités Villes & Pays d'Utrecht, d'Overyſſel, Groeningen, & Dominateur en Aſie & Afrique, à tous ceux qui ces preſentes nos lettres verront, ou lire oiront ſalut. Savoir faiſons que ce jourd'hui date icelles par devant notre tres cher & feal Meſſire Ferdinand de Boiſſchot, *Chevalier de l'ordre militaire de St. Jacques, Comte d'Erps, Baron de Saventhem &c. Comparut par devant les hommes de fief de la Souveraine Cour feudale de ſa Matè. en Brabant cy en bas denommée haute & puiſſante Princeſſe Madame* Clara Eugenia *par la grace de Dieu née Princeſſe d'Arembergh, Princeſſe de Chimay, Baronne de Quievrain, Gomont, Wallers &c. au nom & de la part & comme Procuratrice generale & eſpeciale d'auſſi Haut & Prince Meſſire* Philippe François *par la Grace de Dieu Prince & Comte d'Arenbergh, Duc d'Arſchot &c. enſuite de l'inſtrument de procure en étant paſſé en la Cité de Gandie Roiaume de Valence couronne d'Arragon en Eſpagne par devant* Balthaſar Elua *Notaire public admis d'authorité Roiale, & certains temoins y denommez le 30. de Mars* 1643. *cy veue & montrée en originel . . . . . en Icelle qualité a dit & reconnu, comme elle reconnoit par cette au profit des Doien & Chanoines Seculiers de la ville d'Arſchot une rente heritiere . . . . . le tout en bonne monnoie d'or ou d'argent courant ſelon les placcarts de Prince audit tems, ayant la dite Dame Princeſſe comparante en cette obligé, ainſi qu'elle oblige par la preſente la perſone & les biens du dit Seigr. Duc ſon frere originel conſtituant & ſpecialement la terre & Duché d'Arſchot les quatre Baronnies en dependantes Heverle, Merdal, Bierbeck, Rotſelaer & generalement tout ce qui eſt appendant & dependant du dit Duché, bois, prez, viviers, terres, & autres biens de quelle nature & condition qu'ils ſoient, le tout comme pands & contrepands & hypotheque eſpeciale de la dite rente . . . . . Et chaque partie d'Icelle ſera ponctuellement paiée, fournie & ſatisfaite par les Receveurs des dites Baronnies terres & Duché preſens futurs en vertu de la preſente ſeule, ſans pour ce avoir beſoin d'aucune autre ordonnance ou aſſignation, meſme qu'iceux Receveurs & chacun d'eux ſy devront obliger en leur propre & privé nom, tant qu'ils exerceront les dites recêtes, nonobſtant tous mandemens ou ordres que y pourroit avoir au contraire, ou pour divertir ailleurs au prejudice de la dite rente les dites recêtes, ce que le dit Duc ſera tenu de prevenir & laiſſer la preſente ſortir ſon plein & entier effet comme irrevocable, & accepté par partie, ſi ſeront les dits Doyen & Chanoines parmi ce tenus & obligés de fournir, accomplir & ſatisfaire aux charges & conditions portées par l'acte ſigné de Monſeigr. Illuſtriſſime & Reverendiſſime Archeveque de Malines, & Meſſire Joſſe Bachelier Chanoine de l'Egliſe Cathedrale, de Noſtre Dame a Tornai, comme executeurs du teſtament de feue Haute & Puiſſante Dame Anne de Croy Ducheſſe d'Arſchot, Princeſſe & Comteſſe d'Arenberg &c. . . . . Ce qu'a été ainſi le tout accepté par Maitre Laurent Impens Chanoine d'Arſchot & Procureur des dits Doyen & Chanoines muni de procuration eſpeciale . . . . . ce qu'il a auſſi promis de faire le tout approuver, aggreer, & ratifier, tant pour eux, que pour leurs Succeſſeurs ſous obligation de leurs perſonnes & biens . . . . . Et celle rente libre de toutes charges, aides, & impoſitions ſoit de dixiemes, vingtiemes, centiemes moindres ou plus grands deniers & autres charges quelconques connus ou inconnus, miſes ou a mettre ſoit par nous, ou nos Succeſſeurs Ducs ou Ducheſſes de Brabant, ou par les Etats d'icelui nôtre pays ſous quel pretexte que ce pourroit être . . . . . En nous faiſant quant à ce cauſe de notre dit Duché de Brabant, es mains de notre dit Lieutenant, Hommage, foi & ſerment de fidelité & tous autres devoirs & ſervices en tel cas neceſſaires & accoutumés de toute ancienneté, le quel nôtre Lieutenant le receut ainſi en nôtre hommage &c. donné par nous Roi en nôtre Ville de Bruxelles le 12. jour du mois de Janvier l'an de grace* 1647. *& de nos regnes le 26. en bas étoit à côté à grandes lettres par le Roi à la relation du Lieutenant &c. en deſſous* 1647. *étoit ſigné J. Michiels, en bas y appendoit le ſéel de ſa Matè. à un cordon rouge & blanc.*

PRÆ.

PRÆPOSITI ARSCOTANI.

I. Theodoricus de Brakel, anno 1465. Abbas Gertrudanus.
II. Joannes Pinnocx, antea Prior, introductus eſt anno 1466.
III. Joannes Woelmont, primo Paſtor in Ooſterwyck, dein Prior, exinde Præpoſitus.
IV. Raso de Graven, ex Inveſtito ſeu Plebano Præpoſitus. Obiit anno 1529.
V. Reinerus de Louwe, ex Plebano Præpoſitus. Obiit anno 1539.
VI. Petrus de Graven, Obiit anno 1578.
VII. Philippus Vander Noot, ex Paſtore in Betecum Præpoſitus.
VIII. Engelbertus Vander Noot.
IX. Joannes de Donghelberghe, Bruxellenſis, antea Prior, mortuus anno 1633. die 30. Januarii.
Joannes a Ryckel, ab Oorbeeck ex Paſtore in Betecum Proviſor; denominatus Præpoſitus, moritur ante admiſſionem anno 1633.
X. Ægidius Happart, ex Paſtore in Nederlanden Præpoſitus, introductus eſt 9. Martii anno 1633.
XI. Philippus Renatus d'Oyenbrugghe, Primo Supprior, dein ex Plebano Præpoſitus obiit anno 1647.
XII. Maximilianus van Leefdael, ex Plebano Præpoſitus, dein anno 1665. Abbas Gertrudanus.
XIII. N. van Doorne.
XIV. Claudius Franciscus de la Viefville, ex Præpoſito Abbas Gertrudanus anno 1668.
XV. Michael de Raverschot.
XVI. Isidorus de la Viefville, ex Cantore Præpoſitus 8. Auguſti anno 1684.
XVII. Maximilianus Florentius de Glimes de Brabant, ex Cantore Præpoſitus 28. Auguſti anno 1704. Obiit 22. Januarii anno 1722.
XVIII. Guilielmus Joannes de Geloes, Introductus eſt 18. Septembris anno 1722. modernus Præpoſitus.

DECANI ARSCOTANI.

I. Petrus Cortys, Rector Parochialis Eccleſiæ de Cytere Diœceſis Leodienſis, ceſſit Decanatum in favorem ſui nepotis qui ſequitur.
II. Wilhelmus Ghysetberty.
III. Gerardus van Dorne, electus a Capitulo.
IV. Petrus Cortys, per reſignationem ſui prædeceſſoris, & ita fuit primus & quartus Decanus.
V. Joannes a Porta, per reſignationem Decanus, obiit in oppido Dieſthemienſi Sepultus ibidem in Eccleſiâ S. Sulpitii anno 1512.
VI. Joannes vanden Hulle, Decanus per reſignationem obiit anno 1534.
VII. Philippus de Schoonhoven, per electionem Capituli.
VIII. Sebastianus de Witte. Obiit Anno 1599.

IX. Claudius Longin, J. U. L. Obiit 14. Aprilis Anno 1601.
X. Wilhelmus Hagens.
XI. Jacobus Rosa.
XII. Hieronymus Swinnen, Obiit 22. Julii anno 1603.
XIII. Henricus van Rivieren, electus 2. Septembris anno 1603. Obiit anno 1629.
XIV. Guilielmus Matthys, electus 10. Septembris anno 1635. qui & fuit Paſtor Beginaſii.
XV. Petrus Busen.
XVI. Jonnnes van Rivieren, Arſcotanus S. T. B. electus 3. Maii anno 1659.
XVII. Hermanus Harts, Arſcotanus, electus 16. Octobris. Obiit 30. Martii anno 1685.
XVIII. Antonius Smets, Mechlinienſis J. U. L. electus 6. Aprilis anno 1685. modernus Decanus.

Pag. 260. lineâ 17.

In hâc Parochiali eſt Capellania B. M. V. optimè dotata, gravata pluribus miſſis hebdommadatim, item miſſi matutinali diebus ſacris, quæ initio ſeculi XVII. a *Matthia Hovio* Archiep. Mechl. annexa eſt Plebaniæ *S. Leonardi*, uti ſupra dictum eſt in Leeuwâ *S. Leonardi.*

Pag. 278. lineâ 45.

Paſtoratui annexa eſt Capellania S.Crucis Sacelli de *Raenrode*, vulgo *Reynrode*. Parochiæ de Donck Diœc.Leod. prope Dieſthemium.

Tom. II. pag. 43. linea 48. ſubſunt juriſdictioni ordinarii, ſub curâ Prioris Viridis Vallis ab anno 1445.

Pg. 50. lineâ 79.

Creſcente in Suburbano numero incolarum circa hoc Sacellum, Sacrum Miniſtrum nacti ſunt, qui ibidem in eo divina peragit, rem ſacram curat & populo Sacramenta adminiſtrat. Anno 1714. hoc Sacellum magis amplum & decorum redditum eſt propter numeroſitatem incolarum.

Pag. 136. lineâ 8. habetur nondum media pars Diplomatis Joannæ Duciſſæ Brab. Ecce

Integrum Diploma Joannæ Brab. Duciſſæ.

Ex Archivis Monaſterii.

Jehanne, bp der gratien Gods Hertoginne van Lucembourg / van Lothrpck / van Brabant / ende van Limbourg / Marcgrabinne des Heplichs Rycs. Doen cont in eenweger gedinckeniſſe allen lieden / dat wp in puerre aelmoeſſen / om die minne van Gode / en in verlichteniſſen der Zielen alle onſe voorvaren Zeliger gedinckeniſſen / op dat ſp / wp ſelve / en alle onſe naercomelingen Hertogen van Brabant deplechtich werden mogen des dienſts ons Heeren / diemen in tiden toecomende bp den wille ons Heeren daer in begaen ſal / gegeven hebben / en geven onſen geminden in Gode Heer Gielis van Bredepcke met ſine geſellen / die hp daer nu heeft / of die daer in namals comen ſelen mogen erffelpck / ende ememeer die Cluſe banden Zebenborren mette ſtad en plaetſen alſe wpt als ſp daer ter ſtad es gelegen / en hen bp onſen getrouwen Raet / en Rentmeeſter van Brabant Kepnier Holland bewpſt / ende met onſen boſchteken van Zonien gehaeckt es / ende geteekent aldaer van onſen wegen / welcke ſtad en plaet-

plaetſe wy hen wooz ons/ onſe hoir en nacomelinge verepgent hebben/ en verepgenen/ en daer toe oock amortizeren als daer toe behoirt met deſen tegenwoozdegen briebe ome die los en vry van allen comen voertaen ebbelic te houdene/ te hebbene/ en te bezittene/ en alſoe dat ſy daer op een Goidshuys ende Clooſtere ſtichten mogen en maeken ter eeren Gods ons Heer ome ſinen lof daer in te begaen/ en hem te dyenen/ inden welcken wy begeeren in onſen Heer alſe ons by den wille ons Heere niet langer in deſe werelt ſal ſtaen te ziene onſe jaergetide jaerlex begaen te werden ſolemples en temelec des avonts met Vigilien van negen leſſen gezongen/ en des morgens met comendatien en Meſſen gezongen als daer toe behoirt. Ende ome dat wy den voozſz. Perſoenen/ ende hune nacomelingen die hier namaels inder ſelver ſtad ontfaen werden zelen deſe onſe gifte vaſte ſtede/ ende onverbrekelec gehouden willen weſen/ ende begheren ome Gods wille van hen/ en hunne nacomelingen den voozſz. dienſt van onſen jaergetide inder manier dat boven verclaert es gedaen te zine/ ſoe hebben wy voor hen voer ons/ en onſe nacomelingen deſe onſe brieven daer op doen geven met onſen Zegele bezegelt in beſticheiden/ en te weger getugeniſſen der Waerhept. Gegeven te Brueſſele vier dage in de maent van Novembre int jaer ons Heeren duſent driehondert achtentachentich.

Pag. 140. linea 37.

Abbatia Affligemienſis & Foreſtenſis ,item N. Maelcamp ſecularis in agro Aloſtano (in tribus ſcilicet Præturis ruralibus *Nuwer-kercken*, *Mylbeke*, & *Schaerbeke*) non immodicas percipiunt decimas, in quibus Eccleſia Aloſtana *S. Martini* habet XI. Manipulum.

Pag. 168. linea 28.

Litteræ determinationis diſſentionis inter Abbatem Jettenſem & Niniven-ſem de Parochia de Leeuw & Liedekerck *per Dominum* Bernardum *Abbatem Clarevallenſem anno* 1145.

Ex Archivis Abbatiæ Niniven-ſis.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, ego Bernardus Dei gratia Clarevallenſis Abbas, omnibus Sanctæ Eccleſiæ filiis perpetuam in Domino Jeſu Chriſto Salutem.

Notum eſſe volumus tam futuris quam præſentibus diſſentionem inter Abbatem Ninivenſem & Jettenſem pro Eccleſiâ de Liedekercke tali modo in præſentiâ noſtrâ coram Religioſis perſonis determinatam: conſenſit Abbas Jettenſis ſuſcipere in partem ſuam Altare & Eccleſiam de Lewes cum omnibus appartinentiis ſuis, videlicet in terris, in decimis, cenſu, ædificiis, mancipiis utriuſque ſexus, vel ſi qua ſunt alia, & ſicut Tenera dividit Parochiam de Lewes, & eam de Liedekercke, præter decimam unam in Parochiâ de Erenbaldegem, pertinentem ad Eccleſiam de Lewes quam Abbas Jettenſis poſſidebit cum cæteris rebus ejuſdem Eccleſiæ, Abbate Ninivenſe reliqua omnia ad Eccleſiam de Liedekercke pertinentia obtinente. Et ut hæc compoſitio hortatu noſtro & conſilio facta in perpetuum permaneat rata, cartam hanc fieri juſſimus, Sigillique noſtri preſſione ſignavimus, ſubnotatis idoneis teſtibus qui interfuerunt, conſentientibus etiam fratribus, & invicem exfeſtucantibus utriuſque Eccleſiæ ſc. Jettenſis & Ninivenſis. S. D. Petri Abbatis Affligenſis Eccleſiæ S. Roberti Abbatis de Dunis. S. Balduini Abbatis de Caſtellione. S. Goſuini Abbatis Truncinis. S. Everardi. M. Gerardi. M. Geraldi. No. Gualfridi.

Pag. 170. linea 34.

In Continuatione Chronici Affligemienſis relatâ in Spicilegio d'Achery tom. II. editionis Pariſienſis anni 1723. pag. 779. legitur de *Joanne IV.* dic-

to *Wolmeroy* XVIII. Abbate Affligemiensi ut sequitur: „Restituit solido ope-
„ re Ecclesiam Meldrensem, eamque a Bardegemiensi auctoritate *Joannis* Ca-
„ meracensis Episcopi, cujus erat appendicium, divisit.

Pag. 182. linea 13.

Patronatus hujus Parochialis spectat ad Capitulum Metropolitanum *B. Mariæ* Cameracense; decima est bipartita, quarum una pars est Parochi, altera spectans ad hanc Ecclesiam, etiam in Novalibus.

Pag. 282. linea 42.

Hoc Dominium hodie possidet partim jure Successionis, partim emptionis LEONARDUS FRANCISCUS WERBROUCK.

INDEX

INDEX

ABBATIARUM, CAPITULORUM, ET MONASTERIORUM DIOECESIS MECHLINIENSIS.

Nota quod Littera *a* denotet Tomum primum; *b* vero Tomum secundum.

Abbatiæ Benedictinorum.

S. ADriani in Gerardimonte. *b*.pag.191
Affligemiensis. *b*. 170
Eenamensis. *b*. 248
Vlierbacensis. *a*. 186

Præpositura Benedictinorum.

Capellensis in Urbe Bruxellensi. *b*. 25

Abbatiæ Benedictinarum.

Cortenberga. *b*. 56
Bigardia Major. *b*. 115
Forestum. *b*. 61
Anglicanarum Bruxellis. *b*. 44

Prioratus Benedictinarum.

Bigardia Minor. *b*. 126
Gerardimontensis. *b*. 193

Abbatiæ Virginum Cistercienſium.

Bellopratum. *b*. 212
Camera B. Mariæ. *b*. 48
Parcum Dominarum. *a*. 229
De Rosiis, vulgo ten Roosen. *b*. 145
Sartum B. Mariæ, vulgo Rottem. *a*. 247
Vallis S. Bernardi Diesthemii. *a*. 241
Vallis Ducis. *a*. 213
Vallis Florida. *a*. 199
Vallis Rosarum. *a*. 134
Vallis Virginum. *a*. 285
Vinea nostræ Dominæ Lovanii. *a*. 172

Prioratus Virginum Cistercienſium.

Musinensis Mechliniæ. *a*. 81

Abbatiæ Præmonſtratenſium.

Averbodium. *a*. 251
Diligemium. *b*. 85
Grimberga. *b*. 70
Heylissemium. *a*. 282
Ninhovia. *b*. 195
Parchum. *a*. 189

Præpositurae Virg. Præmonſtratenſium.

Insula Ducis vulgo Gempe. *a*. 231
Tusschenbeca prope Alostum. *b*. 275
Vallis Liliorum Mechliniæ. *a*. 83

Abbatia Canonicorum Reg. S. Auguſtini.

S. Gertrudis Lovanii. *a*. 159

Præpositura Can. Reg. S. Auguſtini.

S. Jacobi Montis Frigidi Bruxellis. *b*. 20

Capitula Canonicorum.

Alostanum. S. Martini. *b*. 140
Anderlechtense S. Petri. *b*. 52
Arscotanum B. Mariæ. *a*. 242
Bruxellense S. S. Michaelis & Gudulæ. *b*. 5
Diesthemiense S. Joannis. *a*. 235
Diesthemiense S. Sulpitii. *a*. 236
Leeuwense S. Leonardi. *a*. 258
Lovaniense S. Jacobi. *a*. 152 *
Lovaniense S. Petri. *a*. 152
Mechliniense B. Mariæ. *a*. 67
Mechliniense S. Rumoldi. *a*. 24
Meerbecanum S. Berlendis. *b*. 217
Rothnacensis S. Hermetis. *b*. 237
Thenense S. Germani. *a*. 272

Prioratus Scholarium S. Auguſtini.

Leeuwis. *a.* 259
Mechliniæ. *a.* 71

Prioratus Can. Reg. S. Auguſtini.

Bethleem prope Lovanium. *a.* 216
S. Martini Lovanii. *a.* 165
Melle prope Gandavum. *b.* 290
Rubæa Vallis. } in Sylva Sonia. *b.* 106
Septem Fontium. } *b.* 134
Viridis Vallis. } *b.* 78

Canonicarum Reg. S. Auguſtini.

Albæ Dominæ Lovanii. *a.* 171
Albæ Dominæ Thenis. *a.* 276
Alnetum Marianum Sichemii. *a.* 251
Barlaimontanæ Bruxellis. *b.* 46
Betania Mechliniæ. *a.* 81
Cabbecanum Thenis. *a.* 276
S. Eliſabethæ Bruxellis. *b.* 42
S. Gertrudis Bruxellis. *b.* 42
Jericho Bruxellis. *b.* 43
Lætimons Mechliniæ. *a.* 80
Lotharingæ Bruxellis. *b.* 47
Lotharingæ Dieſthemii. *a.* 241
S. Mariæ Magdalenæ Bruxellis. *b.* 43
S. Monicæ Lovanii. *a.* 175
Mons S. Nicolai Arſcot. *a.* 243
Sion Vilvordiæ. *a.* 132
Thabor Mechliniæ. *a.* 81
Vallis S. Barbaræ Thenis. *a.* 276
Vallis B. Mariæ Dieſthemii. *a.* 239
S. Urſulæ Lovanii. *a.* 172

Alexianorum.

Bruxellis. *b.* 38
Dieſthemii. *a.* 239
Lovanii. *a.* 170
Mechliniæ. *a.* 77
Thenis. *a.* 276

Annuntiatarum.

Aloſti. *b.* 148
Bruxellis. *b.* 46
Lovanii. *a.* 174
Thenis. *a.* 276

Auguſtinianorum

Bruxellis. *b.* 36
Dieſthemii. *a.* 239
Lovanii. *a.* 164
Mechliniæ. *a.* 73
Thenis. *a.* 276

Begginarum.

Aloſti. *b.* 148
Anderlechti. *b.* 54
Arſcoti. *a.* 243
Bruxellis majus. *b.* 39
Bruxellis minus. *b.* 39
Dieſthemii. *a.* 239
In Iſca Superiori eſt extinctus.
Gerardimontibus. *b.* 194
Leeuwis. *a.* 259
Lovanii majus. *a.* 170
Lovanii minus. *a.* 170
Mechliniæ majus. *a.* 79
Mechliniæ minus. *a.* 80.
Thenis. *a.* 276
Vilvordiæ. *a.* 132

Beggardorum.

Arſcoti. *a.* 243
Bruxellis. *b.* 34
Dieſthemii. *a.* 239
Leeuwis. *a.* 259
Lovanii. *a.* 164
Ophemii. *b.* 108
Thenis. *a.* 275

Brigittinarum.

Bruxellis. *b.* 46

Capucinorum.

Aloſti. *b.* 147
Arſcoti. *a.* 243
Bruxellis. *b.* 37
Furæ Ducis. *b.* 67
Lovanii. *a.* 167
Mechliniæ. *a.* 75
Thenis. *a.* 275

Capucinarum.

Bruxellis. *b.* 46

Carmelitarum Mitigatorum.

Aloſti. *b.* 145
Bruxellis. *b.* 37
Gerardimontibus. *b.* 194
Lovanii. *a.* 168
Mechliniæ. *a.* 73
In Muylen. *b.* 168
Thenis. *a.* 274

In Bottelaer prope Gandavum. *b.* 270

Carmelitarum Mitigatarum.

Vilvordiæ ten Trooſt. *a.* 132

Carmelitarum Excalceatorum.

Bruxellis. *b.* 38
Lovanii Duplex. *a.* 168
Mechliniæ. *a.* 76
In Nethene prope Lovanium. *a.* 225

Carmelitarum Excalceatarum.

Aloſti. *b.* 148
Bruxellis. *b.* 45
Lovanii. *a.* 175
Mechliniæ. *a.* 82
Vilvordiæ. *a.* 133
In Willebroeck propè Mechliniam. *a.* 138

Cartuſianorum.

Bruxellis. *b.* 37
Lovanii. *a.* 166
Sylvæ S. Martini propè Gerardimontem *b.* 216
Mechliniæ, inde migrarunt Neoportum *a.* 75

Celeſtinorum.

In Heverleà propè Lovanium. *a.* 220

Clariſſarum Pauperum.

Bruxellis. *b.* 44
Mechliniæ. *a.* 82

Clariſſarum Mitigatarum.

Bruxellis. *b.* 44
Lovanii. *a.* 172
Mechliniæ. *a.* 82

Dominicanorum.

Bruxellis. *b.* 34
Lovanii. *a.* 161.
Ibidem Anglicani. *a.* 170
Ibidem Hiberni. *a.* 169
Mechliniæ. *a.* 76
In Sylva Raſpalia propè Gerardimontem. *b.* 218
Vilvordiæ. *a.* 131

Dominicanarum.

In Auderghem propè Bruxellas. *b.* 105
Anglicanæ Bruxellis. *b.* 47
Lovanii. *a.* 175

Equitum Teutonicorum.

In Beckevoort prope Dieſthemium. *a.* 245
Mechliniæ in Pitzenbourg. *a.* 77

Griſearum Sororum tertiæ Regulæ S. Franciſci.

Dieſthemii. *a.* 246
Gerardimontibus. *b.* 193
Leeuwis. *a.* 259
Lovanii. *a.* 172
Ninhoviæ. *b.* 204
Thenis. *a.* 277
In Velſich in agro Aloſtano. *b.* 304

Guilielmitarum.

Aloſti. *b.* 147

Leproſariarum.

Bancum propè Lovanium. *a.* 196
Mechliniæ. *a.* 83
S. Petri Bruxellis. *b.* 242

Hoſpitalarum.

Aloſti. *b.* 148
Arſcoti. *a.* 243
In Aſca. *b.* 152
In Berchem ad Scaldim. *b.* 241
Bruxellis. *b.* 41
Dieſthemii. *a.* 241
Gerardimontibus. *b.* 194
Lovanii. *a.* 170
Mechliniæ. *a.* 83
Ninhoviæ. *b.* 203
In Roosbeeck Gallis Rebecque. *b.* 133
Rothnaci. *b.* 240
Scornaci. *b.* 264
Thenis. *a.* 276
Vilvordiæ. *a.* 133

Minimorum.

Anderlechti. *b.* 54
Bruxellis. *b.* 38
Gerardimontibus. *b.* 193
Lovanii. *a.* 169

Minoritarum.

In Bootendael. *b.* 104
Bruxellis. *b.* 31
Dieſthemii. *a.* 239
Lovanii. *a.* 164

Ibidem Hiberni. *a.* 168
Mechliniæ. *a.* 71
Thenis. *a.* 274

Nigrarum Sororum Ord. S. Auguſtini.

Aloſti. *b.* 148
Bruxellis. *b.* 44
Lovanii. *a.* 172
Mechliniæ. *a.* 83
Rothnaci. *b.* 240

Oratorii Jeſu.

Bruxellis. *b.* 38
Lovanii. *a.* 169
Mechliniæ. *a.* 76
Rothnaci. *b.* 240

Oratorii S. Philippi Nerii.

Aſpricollis. *a.* 244

Societatis Jeſu Collegia.

Aloſti. *b.* 147
Bruxellis. *b.* 37
Lovanii. *a.* 167
Mechliniæ. *a.* 76

Viſitantinæ.

Bruxellis. *b.* 47

Urſulinarum.

Bruxellis. *b.* 47
Lovanii. *a.* 175
Mechliniæ. *a.* 83

FINIS.

INDEX

INDEX

TOPOGRAPHICUS ALPHABETICUS ARCHIEPISCOPATUS MECHLINIENSIS

cum designatione cujusque Decanatus.

Notandum quod A. *denotet Decanatum Alostensem*, B. *Bruxellensem*, D. *Diestensem*, G. *Gerardimontensem*, L, L. *Leeuwensem S. Leonardi*, L.P. *Leeuwensem S. Petri*, L. *Lovaniensem*, M. *Mechlinien sem.* O. *Oordegemiensem*, R. *Rothnacensem*, & T. *Thenensem.*

Litera *a* denotat Tomum primum, & *b* Tomum secundum.

A.

ATerode sive Attenrode. T. *a.* pag. 277
Ter Alphen, alias Ter Elst. A. *b.* 148
Allodium, alias Neygene. G. *b.* 218
Alostum. A. *b.* 139
Alsemberg. L. P. *b.* 111
Amongies. R. *b.* 240
Anderlecht. B. *b.* 51
S. Antelini, alias St. Tentelins. G. *b.* 226
Appels. A. *b.* 149
Appeltere. G. *b.* 205
Archennes. L. *a.* 198
Arscotum. D. *a.* 241
Aspelaer. G. *b.* 205
Aspricollis. D. *a.* 244
Asche sive Asca. A. *b.* 150
Ast, appendix de Goetsenhoven. T. *a.* 281
Audenaken. L. P. *b.* 111
Aultre, alias Oultre. G. *b.* 224
Autgarde. T. *a.* 277
Auwegem vel Oudegem. A. *b.* 152
Ayghem vel Eygem. A. *b.* 153

B.

BAlen, alias Bael. D. *a.* 242
Balegem. O. *b.* 268
Bardegem. A. *b.* 154
Bambrugge appendix de Burst. O. *b.* 269
Battel appendix B. Mariæ Mechl. M. *a.* 70
Bavegem appendix de Vlierzeele. O. *b.* 269
Bautersem. T. *a.* 277
Bayegem. O. *b.* 269
Beckerseel. L. P. *b.* 112
Beckevoort. D. *a.* 245
Beerthe. L. P. *b.* 114
Beersele. L. P. *b.* 112
Beets. L. L. *a.* 260
Bella Teneræ, alias Dender-Belle. A. *b.* 186
Berchem appendix de Audenaken. L. P. *b.* 112
Berchem. B. *b.* 55
Berchem. R. *b.* 241
Berghen. M. *a.* 86
Berlegem. R. *b.* 241
Beerthem. L. *a.* 200
Betecum. D. *a.* 245
Bevere Appendix de Strombeke. B. *b.* 103
Beughem, alias Bodegem. L. P. *b.* 114
Beygem. B. *b.* 55
Beyssem. L. *a.* 224
Bierbeeck. L. *a.* 201
Binckem. T. *a.* 278
Blaesvelt. M. *a.* 88
Bogaerden. L. P. *b.* 114
Bollebeke. A. *b.* 154
Boenheyde M. *a.* 89
Boondael appendix de Uckel. B. *b.* 104
Boort-Meerbeek. M. *a.* 90
Borsbeke. O. *b.* 270
Bossut. L. *a.* 208
Bost. alias Roo-Bost R. *b.* 242
Botelaer. O. *b.* 270
Bouckel vide St. Blasius ende Denys Bouckel. R. *b.* 242
Boulaer sive Boularium inferius G. *b.* 205
Boulaer sive Boularium superius. G. *b.* 206
Brakel vide Neer-Brakel & Op-Brakel. G. *b.* 208
Brayssem appendix de Cumptich. T. *a.* 279
Breyvelde appendix de Ertegem O. *b.* 273
Brussegem. A. *b.* 154
Bueken. L. *a.* 209
Buggenhout. A. *b.* 155
Bungen, alias Budingen. L. L. *a.* 260
Bunsbeke. T. *a.* 278
Burgrave Lombeeck. L. P. *b.* 131
Burst. O. *b.* 273
Butsel. T. *a.* 279
Buyzingen. L. P. *b.* 114
Bygarden. L. P. *b.* 115

C

CAlfoort. Appendix de Puers. M. *a.* 114
Calevoirt. Appendix de Uckel. B. *b.* 104
Campenhout. M. *a.* 92
Capella S. Udalrici. L. P. *b.* 117
Capelle, vulgo Nieu-Capelle. D. *a.* 245
Capelle op den Boſch. M. *a.* 92
Carloo. Appendix de Uckel. B. *b.* 104
Cherſcamp. O. *b.* 274
Cobbegem. A. *b.* 157
Corbeke over Deyle. L. *a.* 209
Corbeke over Loo. L. *a.* 210
Cortelke, alias Cortryck L. *a.* 210
Cortenaken. D *a.* 245
Cortenberghe B. *b.* 55
Crayenem, alias Craynhem. B. *b.* 58.
Cumptich. T. *a.* 279

D.

DEftingen. G. *b.* 209
Denderbelle. A, *b.* 186
Dender-Hauthem. G. *b.* 210
Dender-Leeuw. A. *b.* 157
Dender-Windeke. G. *b.* 210
Dickel. O. *b.* 276
Dickelvenne. R. *b.* 244
Dieghem. B. *b.* 58
Dielbeke. L. P. *b.* 118
Dieſtum, ſeu Dieſthemium. D. *a.* 136
Dormael. Vide Neer- ende Op-Dormael. L. L. *a.* 261
Dorpe, alias Tornepia. L. P. *b.* 119
Droogen-Boſch. Appendix de Uckel. B. *b.* 103
Duysborch. B. *b.* 60

E

EDelaer. R. *b.* 245
Ekelgem. A. *b.* 158
Elinge. L. P. *b.* 120
Elewyt. M. *a.* 93
Eenam inferius & ſuperius. R. *b.* 245
Eerdegem, alias Erondegem. O. *b.* 276
Eygenhove. L. *a.* 201
Eldene ſeu Elene. O. *b.* 276
Eliſſem. T. *a.* 280
Elſt. R. *b.* 255
Eppegem. M. *a.* 93
Erembodegem. A. *b.* 158
Ermelgem. R. *b.* 255
Erpe. A. *b.* 159
Erps. M. *a.* 94
Ertegem O. *b.* 277
Eſchene. A. *b.* 160
Eſca S. Livini, vide Ste. Lievens Eſche. G. *b.* 210
Etichove. R. *b.* 256
Etterbeke. B. *b.* 60
Evere. B. *b.* 60
Everberghe. L. *a.* 212
Eychem appendix de Appelterre. G. *b.* 205
Eycke-Vliet appendix de Puers. M. *a.* 114
Eygem, Vide Ayghem. A. *b.* 153
Eyſinge. L. P. *b.* 121
Ezemael. T. *a.* 280

F.

FEnacum S. Martini vide S. Mertens Viſſenaken. T. *a.* 280
Fenacum S. Petri vide S. Peeters Viſſenaken. T. *a.* 280
Foreſtum vide Vurſt. B. *b.* 61
Foreſtum vide Vurſt O. *b.* 277
Fura Ducis, alias Tervuren. B. *b.* 64

G.

GAesbeke. L. P. *b.* 121
Gerardimontium alias Geerardsberghe. G. *b.* 189
Gerdeghem, appendix B. Mariæ Mechl. M. *a.* 70
Glabbeke. D. *a.* 245
Godtveerdegem. O. *b.* 277
Goefferdinge. Appendix de Over-Boulaere G. *b.* 205
Gont-Rode. O. *b.* 277
Goitſenhove. T. *a.* 281
Goyck. L. P. *b.* 122
Grez, alias Gravium. L. *a.* 212
Grimmingen. G. *b.* 211
Grimberghe. B. *b.* 67
Grimpde T. *a.* 281
Guerix. Oudenhove. O. *b.* 297
Guſſenhoven. L. L. *a.* 262
Ghyſegem. A. *b.* 161
Gyſenſeele, alias Gyzeele. O. *b.* 277

H.

HAeght. M. *a.* 95
Haeckendover. T. *a.* 281
Haesdonck, alias Natten Haesdonck. M. *a.* 95
Halen. D. *a.* 246
Haltera, alias Haltert. A. *b.* 161
Ham. B. *b.* 75
Hamme. L. *a.* 213
Harderſem. A. *b.* 162
Haren. B. *b.* 75
Haſſelt, alias Op-Haſſelt. G. *b.* 221
Hauthem S. Livini. O. *b.* 278
Hauthem parvum, alias Lutter-Hauthem. O. *b.* 280

Hau-

Hauthem S. Margaretæ appendix de Bunsbeke. T. *a.* 279
Haut Heverle. L. *a.* 219
Hauwaert. D. *a.* 247
Heelen. L. L. *a.* 263
Heffene. M. *a.* 96
Heembeke inferior & ſuperior. B. *b.* 76. & 77
Heldergem. A. *b.* 163
Hemelverdegem. G. *b.* 214
Hemelgem, alias Humelgem. M. *a.* 97
Herderſem. A. *b.* 162
Herent. L. *a.* 215
Herzele, alias Heerſel. O, *b.* 280
Heſpen inferius ſeu Neer-Heſpen. L. L. *a.* 263
Heſpen ſuperius ſeu Over-Heſpen. L. L. *a.* 263
Hever. M. *a.* 97
Heverle. L. *a.* 218
Heyndonck, Appendix de Heffene. M. *a.* 97
Heyliſſem vide Neer- ende op-Heyliſſem. T. *a.* 282
Hillegem. O. *b.* 282
Hofſtade. A. *b.* 163
Hofſtade Appendix B. Mariæ Mechl. & Hevere M. *a.* 70
Holaer. B. *b.* 77
Holeden. L. L. *a.* 264
Holsbeke. L. *a.* 220
Hombeke. M. *a.* 98
Homberge, alias Oomberge. O. *b.* 294
Hoorebeke vide Marie ende S. Cornelis Hoorebeke. R. *b.* 257
Hout Heverle. L. *a.* 219
Huldenberghe. B. *b.* 81
Hulpe. B. *b.* 82
Humbeke. M. *a.* 99
Humelgem. M. *a.* 97
Hundelgem. O. *b.* 282
Huyſingen. L. P. *b.* 123

I.

IDergem, alias Eeregem. A. *b.* 157
Idegem, vel Yedeghem. G. *b.* 232
Itterbeke. L. P. *b.* 123
Jette. B. *b.* 83

K.

KEerbergen. M. *a.* 102
Kercxken, alias Kersken. A. *b.* 164
Kérckem. R. *b.* 257
Kerckem. T. *a.* 284
Kersbeke. D. *a.* 247
Kieſekem. D. *a.* 247

L.

LAere. L. L. *a.* 265
Laken. B. *b.* 93
Landen. L. L. *a.* 264
Landen inferius ſive Neer-Landen. L. L. *a.* 265
Lantscautere appendix de Gyzeele. O. *b.* 278
Langdorp. D. *a.* 248
Lathem vide Marie ende Pauwe Lathem. L. *b.* 257. 261
Lede. A. *b.* 164
Leefdael. L. *a.* 221
Leerbeke, alias Laerbeke. L. P. *b.* 123
Leeſt. M. 75. *a.* 103
Leeuwergem. O. *b.* 283
Leeuw Teneræ, vide Dender-Leeuw. A. *b.* 157
Leeuw S. Petri, alias St. Peeters Leeuw. L. P. *b.* 124
Leopolis ſive Leeuw S. Leonardi. L. L. *a.* 258
Lemberge. O. *b.* 283
Linniacum vide St. Mertens ende St. Quintens Lenninck. L. P. *b.* 130
Liefringe. L. P. *b.* 129
Liedekercke. A. *b.* 165
Lerde vide Marie ende S. Mertens Lierde. G. *b.* 214. 215
Lieſele M. *a.* 104
Linckebeke. L. P. *b.* 130
Linthout. D. *a.* 248
Lintrum vide Neer- & op-Linter. L. L. *a.* 265. T. 284
Lippelo. M. *a.* 104
Lombeca B. Mariæ, vide Onſe lieve Vrouwe Lombeke. L. P. *b.* 131
Lombeca S. Catharinæ, vide S. Catlyne Lombeke. L. P. *b.* 131
Lombeca Caſtri, vide Burgrave Lombeke. L. P. *b.* 131
Londerſeele. M. *a.* 104
Lovanium. L. *a.* 140
Lovenioul. L. *a.* 221
Lubbeke. L. *a.* 222
Luepegem. R. *b.* 257
Lutter Hauthem, vide Hauthem parvum. O. *b.* 280
Lynden. L. *a.* 223
Lys-Meel. L. L. *a.* 268

M.

MAchelen S. Gertruyde. B. *b.* 95
Maldere M. *a.* 105
Marcke. R. *b.* 258

Maria Lathem. R. b. 257
Marie Lierde. G. b. 215
Marie Hoorenbeke. R. b. 257
Marie Oudenhoven. G. b. 224
Maſeele. A. b. 170
Maſſeme. O. b. 284
Matere. R. b. 258
Mechlinia. M. a. 1
Meenſel. D. a. 249
Meer, appendix de Goidſenhoven. T. a. 281
Meerbeke. G. b. 216
Meerbeke. L. a. 223
Meerbeke, vide Boort-Meerbeke. M. a. 90
Meldaert. T. a. 286
Melden. R. b. 260
Meldert. A. b. 170
Melin. T. a. 287
Melle. O. b. 290
Merelbeke, alias Merlebeke. O. b. 292
Melsbroeck. M. a. 109
Mera alias Meere. A. b. 180
Merchtem. A. b. 180
Meſpelaer. A. b. 181
Miſſelbroeck. D. a. 249
Meylegem. R. b. 260
Meys. B. b. 96
Michelbeke. R. b. 261
Middelwinde, appendix Thenis. T. a. 270
Mieuſeldorp. D. a. 249
Miskum. L. L. a. 269
Moerbeke. G. b. 218
Molebeke. B. b. 98
Molebeeck. D. a. 249
Mollem. A. b. 182
Montaigu, alias Aſpricollis. D. a. 244
Moortzele. O. b. 293
Moorſele. A. b. 182
Muelegem. B. b. 97
Munte. O. b. 294
Muyſen. M. a. 110

N

NAthum, vide Ter-Nath. L. P. b. 136
Neckerſpoel, appendix S. Petri Mechliniæ. M. a. 71
Neer-Brakele. G. b. 208
Neer-Dormael. L. L. a. 261
Neer-Eenham, vide Eenam inferius. R. b. 245
Neer-Heembeke, vide Heembeke inferior. B. b. 76
Neer-Heſpen, vide Heſpen inferius. L. L. a. 263
Neer-Heyliſſem. T. a. 282
Neer-Yſſche. L. a. 224
Neer-Landen. L. L. a. 265
Neer-Linter. L. L. a. 265
Neer-Ockerſeel. M. a. 111
Neer-Velpe. T. a. 288
Neer Winde. L. L. a. 270
Nethene. L. a. 224
Neygene, alias Allodium. G. b. 218
Nieuwenhove. G. b. 220
Nieuwen-Rode, alias Rodium novum. D. a. 249
Nieuwen Rode, appendix de Meys. B. b. 96
Nieuw Capelle. D. a. 245
Nieuwkercke. A. b. 185
Ninhovia. C. b. 194
Nodebaix. L. a. 225
Noduwez. T. a. 287
Noſſegem. B. a. 99
Nuykercke, ſive Nieuwekercke. R. b. 261

O.

OP Bruſſel. B. b. 99
Okegem. G. b. 220
Oirbeke. T. a. 287
Oiſterhem. L. a. 216
Oomberghe. O. b. 294
Oordegem. O. b. 295
Ooſterzele. O. b. 296
Onckerſeel. G. b. 221
Onſe lieve Vrauwe Lombeke. L. P. b. 131
Onſe lieve Vrauwe Wavere. M. a. 136
Op Brakel. G. b. 208
Op-Dormael. L. L. a. 261
Opdorp, appendix de Maldere. M. a. 108
Op-Haſſelt, alias Haſlutum. G. b. 221
Ophem, appendix de Meys. B. b. 96
Opheyliſſem. T. a. 282
Op-Linter. T. a. 284
Opvelpe, alias Velpa ſuperior. T. a. 288
Op Woluwe, vide Woluwe. B. b. 109
Opwyck. A. b. 185
Hoorebeke, vide Marie & Cornelis Hoorebeke. R. b. 257
Orſmael. L. L. a. 269
Oſſele. B. b. 100
Ottergem, appendix de Eerdegem. O. b. 276
Ottenborgh. L. a. 225
Oudenhove S. Gaugerici, vide S. Guerix Oudenhove. b. 297
Oudenhove B. Mariæ, vide Marie Oudenhove. G. b. 223
Oultre, vide Aultre. G. b. 224
Over Boulare. G. b. 208
Over Heembeke, vide Heembeca Superior. B. b. 77
Over Heſpen. L. L. a. 263
Overyſche. B. b. 100
Over Winde. L. L. a. 270
Ouwegem. A. b. 152

P

PAmele. L. P. *b.* 132
Paricke alias Parantia. G. *b.* 224
Pauwe Lathem appendix de Berlegem R. *b.* 261
Pellenbergh. L. *a.* 225
Perck. M. *a.* 112
Peuty. M. *a.* 115
Pollaer. G. *b.* 225
Puers. M. *a.* 113
Putte, alias Wavera S. Nicolai. M. *a.* 115

Q.

QUarebbe. M. *a.* 116
Quareſmont. R. *b.* 261

R.

RAemsdonck. M. *a.* 116
Raetshoven. L. L. *a.* 269
Rebecque alias Roosbeke. L. P. *b.* 132
Reeſegem. O. *b.* 298
Relegem appendix de Wemmel. B. *b.* 108
Rhodium S. Agathæ vide S. Achten-Rode. L. *a.* 226
Rhodium S. Petri, vide S. Peeters Rode. L. *a.* 226
Rhodium novum, vide Nieuwen-Rode. D. *a.* 249
Rhodium novum, appendix de Meys. B. *b.* 96
Rillaer. D. *a.* 249
Rode, alias Roda S. Geneſii. L. P. *b.* 133
Roosbeke. R. *b.* 262
Roosbeke. T. *a.* 288
Roosbeke, vide Rebecque. L. P. *b.* 132
Rooſenaken, alias Roſignies. R. *b.* 262
Roſieres. B. *b.* 101
Roſſem appendix de Wolverthem. B. *b.* 109
Rothnacum. R. *b.* 235
Rotſelaer. L. *a.* 227
Ruyen appendix de Berchem. R. *b.* 262
Rumpsdorp. L. L. *a.* 269
Ruysbroeck. M. *a.* 116
Ruysbroeck. L. P. *b.* 136
Rymenam. M. *a.* 117

S.

SAllardingen, alias Saerlingen. G. *b.* 226
Santberge. G. *b.* 227
Saventhem. B. *b.* 101
Scaffen. D. *a.* 250
Schaerebeeck. B. *b.* 102
Schelde-Rode. O. *b.* 299
Schendelbeke. G. *b.* 228
Schelde Windeke, vide Windeke. O. *b.* 298
Schepdael, appendix de S. Mertins Lennick. L. P. *b.* 130
Scherpenheuvel, vide Aſpricollis. D. *a.* 244
Schoriſſe. R. *b.* 162
Schrieck. M. *a.* 118
Segelſem. R. *b.* 264
Semmerſake. O. *b.* 300
Semps. M. *a.* 118
Sichene. D. *a.* 250
S. Achten-Rode, alias Rhodium S. Agathæ. L. *a.* 226
S. Blaſius Bouckel. R. *b.* 242
S. Denys Bouckel. R. *b.* 242
S. Catlyne Lombeke. L. P. *b.* 131
S. Catlyne Waver, vide Wavria S. Catharinæ M. *a.* 134
S. Cornelis Hoorebeke. R. *b.* 257
S. Geertruye Machelen. vide Machelen. B. *b.* 95
S. Guerix Oudenhoven. O. *b.* 297
S. Lievens Eſche. G. *b.* 210
S. Lievens Hauthem, vide Hauthem S. Livini O. *b.* 278
S. Mertens Lennick. L. P. *b.* 130
S. Mertens Lierde. G. *b.* 215
S. Mertens Viſſenaken, alias Fenacum S. Martini. T. *a.* 280
S. Peeter Viſſenaken, alias Fenacum S. Petri. T. *a.* 280
S. Peeters Rode. L. *a.* 225
S. Peeters Woluwe. B. *b.* 109
S. Quintens Lennick. L. P. *b.* 130
S. Stevens Woluwe, vide Woluwe. B. *b.* 110
S. Verone Capelle, alias Verona L. *a.* 221
S. Tentelins, alias S. Antelini. G. *b.* 226
S. Ulricx Capelle, alias Capella S. Udalrici. L. P. *b.* 117
Smerlibbe. G. *b.* 229
Smet-Lede, appendix de Oordegem. O. *b.* 295
Sonnegem. O. *b.* 300
Sottegem. O. *b.* 301
Stalle appendix de Uckel. B. *b.* 103
Steenuffel. M. *a.* 129
Steenhuyſe. G. *b.* 229
Steynockerſeel. B. *a.* 119
Sterrebeke. B. *b.* 102
Stockel appendix de Woluwe S. Petri B. *b.* 110
Stroombeke. B. *b.* 103
Strypen. O. *b.* 303
Strythem, appendix de Burgrave Lombeke. L. P. *b.* 131
Stuyvenbergh, Appendix B. Mariæ Mechl. M. *a.* 70
Sulſike. R. *b.* 265

Swalme vide Alder-Heyligen & Municx Swalm. R. b. 265

T.

TEr Nath, alias Nathum. L. P. b. 136
Ter Vuren, vide Fura Ducis. B. b. 64
Thenæ, alias Thienen. T. a. 272
Theſtelt. D. a. 256
Thieldonck. L. a. 227
Thielt { B. Mariæ. D. a. 256 / S. Martini. D. a. 256
Thiſſelt, appendix de Willebroeck. M. a. 139
Tornepia. L. P. b. 119
Tubiſe, alias Tubeca. L. P. b. 137

V.

UCcla, alias Uckele. B. b. 103
Velpa, vide Neervelpen & Opvelpen T. a. 288
Velſick. O. b. 303
Velthem. L. a. 228
Verona, vide S. Verone Capelle. L. a. 221
Vertryck, appendix de Bauterſem. T. a. 278
Viane. G. b. 231
Vilvordia. M. a. 130
Vlackem, appendix de Burſt. O. b. 305
Vleſenbeke. L. P. b. 137
Vliederzele. O. b. 305
Vloeſegem. G. b. 231
Voorde. G. b. 231
Volckegem. R. b. 266
Vos Cappelle, appendix de Noſſegem. B. b. 99
Voſſem. L. a. 228
Vurſt, alias Foreſtum. B. b. 61
Vurſt, alias Foreſtum. O. b. 277

W.

WAckerſeele. M. a. 133
Waelhem. M. a. 133
Waenroy. D. a. 257
Waerebeke. G. b. 233
Waeſmont. L. L. a. 269
Watermale. B. b. 105
Wambeke. L. P. b. 138
Wange, appendix de Neerwinde. L. L. a. 269
Wanſeel, alias Wanneſele. O. b. 306
Waſſem. O. b. 299
Wavria. { B. Mariæ. M. a. 136 / S. Catharinæ. M. a. 134 / S. Nicolai, vide Putte. M. a. 115
Webbecom Dieſt. D. a. 257
Wechter. M. a. 136
Weert S. Georgii. L. a. 228
Weerde, alias Werda S. Martini. M. a. 137
Weersbeke. D. a. 257
Weldene. R. b. 266
Welle. A. b. 187
Wemmel. B. b. 108
Wezemael. L. a. 228
Weſembeke. B. b. 108
Weſer. L. L. a. 263
Weſpelaer. M. a. 137
Weſtrem. O. b. 306
Wevere. T. a. 288
Wichelen. O. b. 306
Willebringen. T. a. 288
Willebroeck. M. a. 138
Winda Inferior & Superior, vide Neer & Opwinde L. L. a. 270
Winde medium, appendix Thenis. L. L. a. 270
Windicke, alias Schelde-Windeke. O. b. 298
Windeke Teneræ, alias Dender Windeke. G. b. 210
Wieſe. A. b. 187
Wolverthem. B. b. 109
Woluwe { S. Lamberti. B. b. 109 / S. Petri. B. b. 109 / S. Stephani. B. b. 110
Wommerſom. L. L. a. 270
Woubrechtegem. G. b. 233
Wulmerſom appendix, de Haeckendover. T. a. 281
Wiltzele. L. a. 230
Winge. L. a. 230
Wincſel. L. a. 233
Weylegem. R. b. 267

Y.

YEdegem G. b. 232
Yſca { Superiora, lias Overyſſche. B. b. 100 / Inferior, alias Neeryſſche. L. a. 224
Ympde, appendix de Mueſegem. B. b. 98
Ympe. O. b. 308

Z.

ZEllick. B. b. 110
Zellick. D. a. 247
Zuerbempde. D. a. 246

FINIS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

25

512

HISTORIA
SACRA
ET PROFA

TOM. I. II.

B
5
036